B
S 4l
6
11 -c
5
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
8 4 B
1
6-11-C-5

Digitized by Google

Digitized by Google

FAMIANI STRADÆ ROMANI

E SOCIETATE IESV

PROLVSIONES ACADEMICÆ.

NVNC SECVNDO AB AVCTORE recognitæ, atque ſuis INDICIBVS illuſtratæ.

BIBL. DOM. PROF. ROM. IHS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI,
Sumpt. Iacobi Cardon & Petri Cauellat.


M. DC. XXVII.

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]



[illegible]

Digitized by Google

ALEXANDRO CARDINALI VRSINO

FAMIANVS STRADA S. D.

NOn ego vnquam, ALEXANDER VRSINE, conſuetudinem improbaui dicandorum voluminum ad nos Veterum authoritate deductam; eorum conſilium laudare tantundem haud potui, qui aut ſtatim inuolant in ſplendida quæque nomina, quáquam inania eius artis, quam ipſi pertractant, aut claritudinem generis poſt virtutem habentes nonniſi ſummos eligunt literarũ Antiſtites, quorum iudicio committant lucubrationes ſuas. Etenim illiquem,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

rogo, fructum gratiámve colligant, ſi vel abſtemio vinum miſceant, vel ſurdo citharam donent? hi verò non ſibi nihil tribuere videntur; dum ad ſe legendos aliquem acerrimi virum ingenij nominatim prouocant, & cuius iudicium formidare debuerát, vltrò inuitant. Neque enim inopiam ſuam cauſari perinde poteſt is, qui cœnam offert, atque ille cui offertur hoſpes cœnaturus. Sed mihi in te, Princeps Illuſtriſſime, nominando neutrum ſanè pertimeſcendum fuit. Nam etſi me trahere ad ſe vnicè potuit iſta nobilitas, quæ vt eminet in hac luce Populi Quiritium, ita præcipua inter omnes illecebra oculos inuitat; tamen tu mihi tam magnus Virtutibus tuis, támque per te ſpectádus ipſe occurris, nõ modò in rerum adminiſtratione maximarum, atque in hoc, quod tecum nuper omnium gratulatione cõmunicatum eſt, pa-

tro

trocinio Galliarum, ſed in iis potiſſimùm contemplatricis animæ facultatibus, ſtudióque ſapiẽtiæ, atque in hac ipſa politiorum peritia litterarum, ad quas à natura factus egregiè videris, vt quoties ego aut de te cogito, aut tecum præſens loquor, & iſtius Purpuræ decus, & natalium ſplendor opéſque familiæ, & Maiorum Virtus conſilio manúque præſtantium, & quidquid non in Italia modò, atque in Gallia, ſed in Germania, Britãniáque dominationis atq; amplitudinis obtinẽtis, excidant hæc mihi cũcta pariter ex animo. Adeo tu ornamentis tuis occupas propemodum omnia, nec extra te relinquis vllum apud tuos admirationi locũ. Ex altera verò parte iudicium ingenij tui, quod profectò numquam à me hiſce inſcriptionibus laceſſitum eſſet, cur ego in præſentia timerẽ, expertus illud aduerſum me adeò beneuolum

honorificúmque, vt tenuitati meæ, ne ſibi aliquid inde tribuat, ſedulò laborandum ſit? Quid enim? quanta hæc ſunt, quæ tu Florentiâ ad me Romam ſcribebas etiamdum puer?

Strada, meos tibi pollicitus conſcribere verſus,
Ingratus videar potiùs, ſtultúſque Poëta,
Quàm fregiſſe fidem, iuratáque fœdera forſan
Carminibus licet inſulſis, pinguiſque Mineruæ,
Ingenium, cui nulla fluit facundia venæ,
Et ternis tantùm luſtris numerabilis ætas
Præſtabunt veniam: túque haud ingratus amico
Scribendi præcepta dabis, quæ ſedulus ipſe
Auribus accipiam, & memori ſub pectore condam.

Interea

Interea tibi dum plaudit Romana iuuentus,
Atque efferre tuæ geſtit præconia linguæ,&c.

Hoc autem beneuolẽtiæ teſtimoniũ, in quo illa iá tum apparebat indoles ingenij in ſinu Muſarũ feliciter adoleſcẽtis, amplificaſti tu poſtea multis ac magnis argumentis, cùm Romam reuerſus exigere à meque cũque apud auditores meos proludere conſueui, eáque non modò auidè perlegere, atque apud te muneris loco habere, ſed etiam magnificè communicare cum aliis, interpretari eorũ ſenſa peracutè, nempe ex ingenio tuo, admirari, extollere, gratiam iis abs te conciliare plurimam voluiſti. Quare cùm in hiſce, quæ nunc prodeunt, lucubrationibus meis, integram iam non ſit mihi ſubterfugere iudiciũ tuum: nemo me temeritatis arguerit, quòd te, Quiritiũ Nobiliſſime Ingenioſiſſiméque,

que, compellare vnum ex omnibus, meaq́; hæc offerre tibi ſim auſus nominatim. Quin potius dicar egiſſe ſapienter, hæc ad te delegando, vt quem Pręconem feliciter ſortita iam ſint, Patronum conſtanter habeant in poſterum, túque me, & iudicium de me tuum vnà tuearis. Ego interea (quoniam non modò ſolutioni, ſed profeſſioni etiam impar ſum) ſatis habuero, ſi tuum, quod mihi altè hæret in animo, hærebítque perpetuò, nomen in fronte operis exponam, argumentum beneficij tui pariter, atque authoramentum obſeruantiæ meæ. Vale.

MVTIVS

MVTIVS VITELLESCVS
Societatis IESV Præpoſitus Generalis.

CVm *Proluſionum Academicarum libros tres P. Famiani Stradæ noſtræ Societatis Sacerdotis*, tres eiuſdem Societatis Sacerdotes, quibus id cõmiſimus, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint: facultatem concedimus, vt typis mandentur, ſi ita iis ad quos pertinebit, videbitur. In cuius rei fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 10. Februarij 1617.

MVTIVS VITELLESCVS.

Facultas R.P. Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi.

EGo Bartholomævs Iacqvinot Societatis Iesv in Prouincia Lugdunenſi Præpoſitus Prouincialis, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnãte, 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus noſtræ Societatis compoſitos abſque ſuperiorum eius permiſſione imprimant, permitto Horatio Cardon Lugdunenſi Bibliopolæ, vt Opus quod inſcribitur, *Famiani Stradæ Romani è Societate* Iesv *Proluſiones Academicæ*, ad ſex primos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni Calend. Iulij 1617.

B. IACQVINOT.

APPRO

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE in ſacra Theologia Magiſter, in S. Pauli huiuſce ciuitatis Canonicus, librorum Cenſor in hac Lugdunenſi Diœceſi deſignatus: fidem facimus nos hunc librum, cui inſcriptio eſt, *Famiani Stradæ Romani è Societate* IESV *Proluſiones Academicæ*, vidiſſe, nihilque Catholicæ Apoſtolicæ ac Romanæ fidei contrarium inueniſſe. Lugduni apud S. Paulum 10. Iunij anno 1617.

DEVILLE.

R. D. D. Thomæ de Meſchatin la Faye huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus & Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, in ſuprema Dombarum Parlamenti Curia Conſiliarius, Galliarum Primatiæ Officialis, & Vicarius Generalis in Archiepiſcopatu Lugdunenſi, Opus inſcriptum, *Famiani Stradæ Romani è Societate* IESV *Proluſiones Academicæ*, vt in lucem edatur facultatem concedo. Lugduni Calend. Iulij anno 1617.

MESCHATIN LA FAYE.

INDEX PROLVSIONVM ACADEMICARVM.

LIBER PRIMVS.

Proluſ. I. AN proprium ſit Oratoris præſtare ſolùm memoria: reliquis autem ornamentis animi, præſertim intelligentiæ acumine, atque Iudicio, carere tutò poſſit. Quídque de Oratoriâ cum facultatibus aliis comparata ſentiendum ſit. pag. 1

Proluſ. II. An congruenter honeſtatis, & Hiſtoriæ legibus faciant ij, qui in rerum narrationibus ad callida & politica, vt ipſi vocant, præcepta diuertunt: quo loco de Cornelij Taciti ſcribendi ratione multa diſceptantur. 25

Proluſ. III. An Poëtæ dicendi ſint obſcœnorum carminum ſcriptores. 64

Proluſ. IV. Idem argumentum: An poëticè faciant, qui verſus faciunt impudicos. 101

Proluſ. V. An rebus ſacris idonea commentationibus poëticis argumenta proueniant æquè ac ex profanis. 131

Liber ſecundus.

Proluſ. I. DE ſtylo Oratorio: & an acumina dictorum vellicantéſque ſententiæ Oratoribus vſurpanda ſint. 157

Proluſ. II. An omnia dicere debeat, aliqua omittere poſſit Hiſtoricus: & an iudicia, & coniecturæ

ræ aliena ſint ab eo,quæ gemino exemplo ad Liuianam Cornelianámque ſcribendi rationem conformato illuſtrantur. 181

Proluſ. III. An Hiſtorici cum Poëtis Oratoribúſque ſtylo conueniant: pleriſque Hiſtoricorum ob id examinatis: exemplóque compoſito ad conciones pugnáſque narrandas; ac demum vna eadémque re hiſtoricè,oratoriè,ac poëticè diſcriminis ergo deſcripta. 213

Proluſ. IV. Ciuilis inſtitutio, & Politica præcepta ad omnem vitam cùm in pace, tum in bello temperandam, ex narrationibus rerum geſtarum, quæ vna Liuiana decade continentur,expreſſa. 246

Proluſ. V. De ſtylo poëtico, qui partim Poëtis ob oculos poſitis, partim explicata Poëſeos natura monſtratur. 274

Proluſ. VI. De ſtylo poëtico, qui tum admotis rurſum ad oculos Poëtis, tum exemplis ad eorum imitationem conformatis, tum demum iudicio de ſingulis prolato, qualis eſſe debeat, oſtenditur. 296

Liber tertius.

Prælect. I. SAtyra Varroniana, Poëſi Poëtíſque cognoſcendis accommodata. 323

Prælect. II. Poëtæ Comici virtutes ad Plauti commendationem explicari cœptæ. 347

Prælect. III. Virtutes reliquæ Comici Poëtæ ad Plauti quoque commendationem abſolutæ. 373

Prælect. IV. Πτάρνυμαι,Cur ſternuentes ſalutentur. 400

PROLV

PROLVSIONVM ACADEMICARVM LIBER PRIMVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PROLVSIO PRIMA.

An proprium ſit Oratoris præſtare ſolùm memoriam reliquis autem ornamentis animi, præſertim Intelligentiæ acumine, atque Iudicio carere tutò poſſit. Quidque de Oratoria cum facultatibus aliis comparata ſentiendum ſit.

SVPERIORE, qui ſe proximè conuoluit, atque elapſus eſt, anno (Præſules ac Patres, aliíque nobilitate, atque eruditione clariſſimi) memini, dum ex hoc loco nouos Rhetores more maiorum ſalutarem, oſtendere me illis, quantùm opis haberent in ea Arte, quam ipſi recèns amplecterentur, quãtóque ciuitatum bono tripartita Oratoriæ, Hiſtoriæ, ac Poëſeos facultate ad publica, priuatáque commoda vti poſſent. Illa mihi in aliud tempus argumenta reſeruabam, vt rem à capite reſumendo, ſingulas harum quas dixi triũ partes aliquanto diligentiùs expenderẽ, eáſque à

Digitized by Google

certis vitiorum notis, quibus laborare vulgò quæque feruntur, qua poſſem ratione vindicare. Etenim, ſeu culpa fiat eorum, qui hanc Artem ita pertractant, vt in eos dici poſſit illud Petronianũ, PACE veſtra, Magiſtri, vos primi omnem Eloquentiam perdidiſtis: ſeu potiùs Artis conditione, quæ ſicuti eſt per ſeipſa popularis, nullóſque mortales præterit, cum quibus aliquid commercij ſuadendo non habeat, cum aliis plurimũ, non parum cum aliis, nemo cum quo nihil habeat, vſquam ſit; ita expoſitam eſſe vulgi arbitrio, & interdum etiam ludibrio neceſſe eſt; certè qua id cumque cauſa fiat, nullam hodie partem tenemus huiuſce facultatis immunem ac liberam ab hominum reprehenſionibus. Quare facturum me conuenienter exiſtimaui perſonæ, quã mihi pridem impoſuiſtis in hoc Eloquentiæ theatro, Patres, accommodatè huius Artis excellentiæ, quæ alicuius patrocinio repræſentari meritò cupit: non ingratè auditorum expectationi, quorum aures atque animos rerũ cognitio definitióque iucundiſſimè paſcit; ſi rem totam arbitrando potiùs ac diſſerendo, quàm exornando, & laudibus otioſè complectendo traducerem. In quo tamen dicendi docendíque genere ita me geram in hac corona ſapientium virorum, vt, ſiue in Rhetorum officinis agam, ſiue ad Academiæ ſpatia deflectam, vtrobique exiſtimatorem me eſſe meminerim, non magiſtrum. Atque hodie quidem ſtatuere in medio libuit Oratoriam, quòd potiſſimùm in eam quaſi tardam iacentémque, ac ſtolidè, vt aiunt, hebetem, non modò clàm obloquantur aliqui, ſed reperiatur etiam non nemo, qui

In Satyrico.

Cõſilium in hiſce Proluſionibus.

Occaſio diſputationis.

qui edito in lucem libro, eandem velut inertis cuiuſdam ſtupiditatis ac tarditatis ream non tam liberè,quàm illiberaliter accuſet. Nimirùm ſunt hi ex eo genere hominum, qui reiecti plerumque ab hac Arte, vertunt ſe in eam partem; vt, quod ipſi ſcire ſe profiteri non poſſunt, dicant ingenioſorum eſſe neſcire: rémque ita ſtatuunt; NON ex omnium tractatione, vſúque diſciplinarum hominis ingenium æquè deprehendi: ſed cùm alij intelligentiâ, phantaſiâ, viſíſque alij, alij memoriâ præſtent; de Oratoribus ita pronunciandum eſſe; in iis memoriæ plurimùm, imaginationis haud parùm, ingenij rationíſque quam minimùm elucere. Sic iſti Artem præſtantiſſimam intelligentiæ ac rationis acumine, hoc eſt, principe dominantis animi parte dum ſpoliant, contemptam videlicet abiectámque infra infimam quamque diſciplinam irridentium probris ac ſalibus exponunt. Quæ temerè potiùs dicta,vt ego interpretor,quàm acerbè,non ea,qua par eſſet, adornata & alacri ad vindictam oratione confodiam: quamquam hoc libens facerem,putarémque ſingularem nobiliſſimæ facultati gratiam referre me, ſi vilia hæc capita in hoc ipſo Eloquentiæ Templo,quaſi ad eius Aram,atque conſpectum iuſto ſanè ictu conficerem. Sed alia mihi ratione cùm hiſce hominibus agendum eſſe compoſito iſto vultu aſpectúque veſtro ſignificatis,Auditores:qui hos Eloquentiæ ira indignos non prægrandis ac declamatoriæ vi orationis, ſed perpugnacibus argumentis è re ipſa petitis, conficiẽtibúſque rationũ momentis,nempe ſuis,

A ertio nonnullorum de Oratoribus.

Styli ratio in hac diſputatione.

quod ipſi aiunt, armis repellendos eſſe cenſetis.

Et ſanè ſi res ad Socratis vſque tempus referretur, quo tempore, vti accepimus, Sapientia atque Oratoria ita coniunctæ erant, vt vna ex vtraque facultas exiſteret, iidémque ſapientes haberentur, & eloquentes; ſublata planè lis eſſet, vt enim Sapientiæ facilè deferuntur primæ ingenij partes, ſic Eloquentia, quæ non ſine illa ſit, eodem loco & laude ingenij cenſeretur. Poſtea verò quàm ſcidit ſe in partes ſentiendi, dicendíque ſtudium, & aliis lingua eſſe cœpit in quæſtu, ambitioséque nomen eloquentis adamatum eſt; aliis neglecto linguæ cultu ſola cordis expolitio, & glorioſa ſapientis appellatio quæſita; tunc illud diſſidium extitit quaſi linguæ ac pectoris: factúmque, vt quæ vna erat rectè ſentiendi, & bene dicendi Magiſtra, artes iam eſſe plures viderentur. Et quemadmodum ex Apennino diuortia fluminum, ita ex communi Sapientium iugo, quod ait Tullius, artium deriuationes extitêre, dum Philoſophi in Ionium mare, Græcum quiddam ac portuoſum, Oratores in Tuſcum hoc noſtrum Sirenibus obſeſſum defluxerunt. Quæ hominum vitio diducta iam contrariè ſtudia ad caput reuocare, vnóque in fonte, quod erat antè, confundere, non eſt conſilij inſtitutiq; mei. Illud in præſentia ſuſcepi, vt quoniam de magna poſſeſſionis noſtræ parte depelli videmur, non redigamur in eas prædioli anguſtias, vbi ne titulus quidem Oratoris ſtare poſſit: ac turpe profectò ſit, nos qui aliorum patronos agimus, noſtræ patrocinari cauſæ in tanto Artis vniuerſæ diſcrimine nequiuiſſe.

Diſſidium linguæ & cordis.

3. de Or.

Tres

Tres inſunt in hominis anima facultates,quarum excellentiam præſtantiámque mortales adamare ſolent,Memoria , Ingenium , ac Iudicium. Primæ ſecunda præponitur,ſecunda tertiæ,multorum ſententia,poſthabetur. Ergo ex his tribus vnum Oratoribus abundè,duo perparcè nimiùm concedunt:ſi quidem in litterariis comitiis præferri aiunt cæteris eloquentes in contentione memoriæ : at ad honorem ingenij,iudiciíve,ferre facilè repulſam,ac relinqui penè omnium poſtremos. Neque id mirum videri:conſequi enim iſta ſeſe,vt laborent ingenio plerunque,qui memoria plurimum valent:rationem verò in promptu eſſe : quippe ſiccitatem prodeſſe ingeniis , & qui cerebro ſicciores ſunt , Ariſtotelis ſententia ingenioſos meritò cenſeri:quales ipſe in Problematis refert , & nos experimur eſſe melancholicos:contrà,qui humidiore mollioréq; ſunt cerebro , rudes hebetéſque,Galeno iudice habendos. Atqui memoriam hoc maximè mollitudinis humore niti , quia in raro cereóque capite multo faciliùs ſimulacra rerum imprimantur , quàm in adſtricto , ac ſiccitate durato. Quòd ſi,quæ memoriam alit teneritas , ingenium necat, liquidò conſtare , eoſdem ingenioſos iuxtà ac memores eſſe non poſſe. Ita de vobis , Rhetores , iſti definiunt Magiſtri ; & quò vos memoria liberaliùs impertiunt,eò ab ingenio iudicióque,quas partes arrogant,opinor , ſibi , confidentiùs atque inhumaniùs expellunt. Sed nos horum liberalitate, ſi placet , vtamur in præſentia , & quam partem ſponte nobis attribuunt,ita interim accipiamus, vt quid de duabus ſentiendum ſit , paulo pòſt

Quid tribuāt, quid adimant Oratoribus aliqui.

lib.3. de loc. aff.

ſeorſim atque impensè viſuri ſimus: ſperamus enim fore, vt ex iis, quæ partim vltrò deferuntur, partim iure nobis ipſi vendicabimus, nihil ad extremum eſſe perfectius Oratore concludamus.

Memoria præſtat Orator. Plut. de educ. lib. Cic. in part. Plat. in Theæt. Ariſt. lib. 6. Eth. c. 5. Cic. lib. 5. Tuſ. q. Memoriæ deſcriptio.

Age igitur: MEMORIA præ aliis valet Orator; & verò etiam gloriatur tanquam excellenti vitæ bono, tanquam theſauro & penu diſciplinarum, germana litteraturæ, Muſarum parente, altrice Sapientiæ, inſigni demum argumento Diuinitatis. Quid enim? an poteſt quicquam eſſe, aut excogitari præſtantius, quàm eam patere in animo capacitatem, quam immenſa rerum aliarum aliis quotidie accedentium congeries non modò non exæquet, non expleat, non cumulet, ſed dilatet etiam laxétque ac fundat ampliùs, nouóſque ſemper ſinus ac receſſus intus latè lacunoſos aperiat? quid admirabilius, quàm rerum verborúmque multitudinem forma variam, ſenſu diſcrepantem, numero infinitam, iis loci anguſtiis ita non confusè ac permiſtè, ſed diſtinctè electéque conſeruari, vt quaſi diſcreto deſcriptóque in capita, ſeu familias populo, in fronte domus Domini titulum legere, indéq; habitatorem euocare, aut gentem vniuerſam cenſere facilè poſſis? quid accommodatiùs, quàm ſimulacrorum ingentes copias, tamquam addictam vbique tibi ſacramento militiam, eo inter ſe nexu ac fide coniunctam cohærentémque habere, vt ſiue vnumquodque ſeparatim, ſiue confertim vniuerſa, ſiue ſingula ordinatim in aciē proferre velis, nihil planè in tāta rerū turba turbetur, ſed alia procul atque in receſſu ſita prodeuntibus locum cedāt; alia ſemiaperto aditu quaſi tentabūda, & an

ipſa

ipſa quærantur, exploratura ſubſiſtant, alia ſe tota confeſtim promant, atque in medium certò euocata proſiliant? Hoc autem tam magno, tam fido domeſticorum agmine inſtructus animus quam ſpeciem ſui auditoribus exhibebit, dum nihil agetur vnquam, nihil cadet in conſuetudinem quotidiani ſermonis, nihil in diſquiſitionem deliberationémque aliquando vocabitur, cuius arbitrium ille continuò petere ab antiquitate, teſtes citare, majores, ſententiis exemplíſque confirmare, dicta ſapienter, fortiter facta, excogitata prudenter inſerere, cum recentibus antiqua, noſtra cum externis, cum vltimis prima mediáque conferre ad pompam vſque oſtentationémque non valeat? Non eſt quòd blandientes ipſi nobis rebus per nos inuentis, hoc eſt, ingenij laude magnopere gloriemur, aliorum placita delicato faſtidio reſpuamus, vetera ſuperbè, atque arroganter indignemur. QVOTVS quiſque eſt, qui noua condat, priſca non reſarciat? Equidem numquam aſſenſus ſum Platoni, qui rerum ſcientiam exiſtimauit eſſe reminiſcentis animæ laudem. Illud non rarò ſum expertus, cùm aliquid acutius excogitarem, méque eius inuentorem paulo blandiùs efferrem, vbi in illud mox incidi, ac recordatus ſum id lectum fuiſſe à me olim; tunc enimuerò animaduertiſſe, beneficium illud non fuiſſe ingenij, ſed memoriæ. Et ne alios metiri videar ingenio meo, nónne hûc ſpectant illæ Sapientium voces, nihil eſſe ſub Sole nouum? Vix quicquam dici, quod non ſit dictum priùs? Quæ modò ſunt, fuiſſe pridem ac futura poſtmodum

Memoriæ præconium.

eſſe? nónne inquam oſtendunt, rarum iam ſupereſſe, qua vſquequaque gloriemur; inuentioni locum, occupata maioribus magnam partem ingenij ſpatia, peramplum memoriæ patere campum, vno verbo, ſcire iam noſtrum recordationis agnitioníſque plurimùm habere? Quod ſi ita eſt, quis non videt, quantùm inter cæteros efferant Oratorem, qui pulcherrimo illum memoriæ bono inſtructum volunt, & quod inde ſequitur, quàm non abiectè humilitérque de vobis loquantur, Rhetores, qui efficere contendunt, Artis veſtræ laudem ornamentúmque eſſe memoriam? Verùm memoriæ vim cum intelligentiæ acumine conſtare poſſe indagatores naturæ Philoſophi negant. Credo, Philoſophorum Principes Plato & Ariſtoteles: quorum alter ſalutem ſenſuum, atque intelligentiæ appellat memoriam, alter facilius reminiſci qui excellunt ingenio, diſertè pronunciat. credò, Fabius Quintilianus, qui & doctrina & vſu longiſſimo, æſtimandorum ingeniorum peritiſſimus, indicium ac ſpecimen ingenij ſtatuit in pueris memoriam. credo, ingenioſiſſimi quique, quos fuiſſe conſtet maximè ſcilicet obliuioſos. HOMERVM loquor, illum ingeniorum fontem, rerúmque omnium comprehenſione feliciſſimum. loquor ARISTOTELEM virum extra omnem ingenij aleam, ac memoria rerum plurimarum excellentem. loquor C. IVLIVM Cæſarem, qui nihil vnquam præter iniurias dicitur oblitus. loquor ANNÆVM Senecam Declamatorē, in quo ingeniū viguiſſe nos admiramur, memoriā ad miraculū vſque floruiſſe teſtatur ipſe. loquor inter viros sāctimonia nobiles

[Margin notes: An memoria cum ingenio conſtet. — In Philebo. De Mem. & Rem. — Memoria, & ingenio præſtātes. Homerus. Ariſtoteles. — Iul. Cæſar. — Seneca.]

AVGVSTINVM, atque HIERONYMVM ſummo ingenio mirabiliſque memoria præditos, quorum hic quem poſteriore loco nominaui, cùm linguas nationum ferè omnium calleret, eo præconio exornatus eſt, vt diceretur, AB nullo hominum ſciri quod Hieronymus ignoraret. loquor, vt proxima commemorem, PICVM Mirandulanum memoria æquè ac ingenio plauſus omnium admirationémque promeritum. denique, vt è noſtræ familiæ multis vnum proferam viuentem adhuc victurúmque perpetuò fama nominis immortali; FRANCISCVM Suarium loquor ingenio ſine controuerſia maximo: cui tantùm memoriæ eſt, vt inter reliquos ſanctos Patres Auguſtinum multiplicem ſanè vberémque ſcriptorem animo promptum habeat vbique, eiúſque tum ſententias, tum (quod perquàm mirum eſt) verba pro re nata prolixè fideliterque ſubiiciat. quin etiam de ſuis voluminibus, quæ iam Bibliothecam ſola conficiunt, ſi quid interrogetur, vti fit ſtatim quo loco, quáque pagina diſſeruerit ea ſuper re, expeditè docentem ac digito commonſtrantem ſæpe vidimus. Adeò memoriam ingenio non officere certum eſt. At rationi quî ſatisfiet, quæ duo hæc in vno eodémque vigere non permittit, cùm quo humore memoria paſcitur, eo extinguatur ingenium? Non expendam diligentiùs quanti ratio ſit: ſed neque illud docebo, virtutem memoriæ duplicẽ eſſe, celeriter percipere, percepta diu retinere: illud ex humecto fluxóque, hoc ex arido & ſicco prouenire: quare eoſdẽ magno eſſe ingenio, & perinde tenaci memoria ſatis poſſe. hoc paucis attingam, quod vobis, Viri Sa-

SS. Aug. & Hier.

Io. Picus.

Franc. Suarius.

Memoriæ vis duplex.

pientiſſimi, ex Ariſtotele, Ariſtotelíſque interprete D. Thoma exploratum ſcio, Memoriam ab Agnitione, Reminiſcentiam vocant Philoſophi; differre ſanè plurimùm: illam homini cum brutis animantibus, hanc homini tantummodo conuenire: illius celeritatem cum ingenij tarditate plerumque conſiſtere, huius verò cunctationem & moram volucris ingenij comitem eſſe. Etenim cùm reminiſcendi virtus peruestigatio quædam ſit rerum in memoria oliteſcentium vno animi motu alios ſecum atque alios quaſi conſertis manibus educente; ita mentis agitationem comprehendit, vt qui ratiocinando expeditiores ſunt, ingeniíque celeritate præcellunt, eos faciliùs reminiſci, is quem ſæpè laudo, Ariſtoteles ſcitè confecerit. Atque hanc memoriæ laudem, contra quam nec Philoſophorum authoritas, nec rationum ſuffragia contendunt, illam fatemur in primis eſſe, cuius gratia ſe commendari multo auidiùs expoſcit Orator, quàm ob eam memoriæ gloriolam, qua nihil non momento accipiat regerátque: qua multiplicium ac inter ſe perplexarum rerum congeriem perpetua oratione euoluat: qua longam verborum ſeriem modò à ſummis rectà ad ima, modò ab imis ad ſumma præpoſterè, modò à mediis ad extrema perturbatè, plaudente circùm auditore profundat: ſed quæ in animo impreſſa ſemel, etiamſi ægrè, rerum verborúmque veſtigia ad eum vſum tenax ac fidus ſeruet, nihil vt ponatur in medio, de quo ille copioſè, electè, ſapienter, ſi minùs flexibili ipſa per ſe, excuſſa certè per ratiocinationem memoria diſſerere diu multúmque non

Diſcrimẽ Memoriæ & Reminiſcentiæ.

Quid ſit Reminiſcentia.

Oſtentatio memoriæ.

non poſſit. Quod dum faciet Orator, faciet autem ſi tueri volet Oratoris nomen, non minùs ſe inter memores ingenioſum, quàm inter ingenioſos memorem præſtabit.

Verùm ſentio me, dum in Oratore Ingenium cum Memoria in gratiam reduco, ad eam partem deueniſſe, qua de INGENIO agendum erat. quam ego laudem memoria longè præſtantiorem dum Oratori enixè reſtituo, conſtabit etiam, quod modò dicebam, Oratoris Memoriam non hebetem ſegnémque, ſed cum accurata animi ratiocinatione, Ingeniíque acumine eſſe coniunctam. Principio illud inter nos conueniat neceſſe eſt, cùm de Oratore loquimur, non eſſe ſermonem de cauſidico aliquo, aut locutuleio, qui è grege concionalium Rabularum vendibilis repentè proclamator exiſtat: hic enim licet ingenio deſtituatur, animo tamen complexus ingentem rerum verborúmque ſyluam, quandiu non excidet memoria, tandiu non modò probabilis, vt aiunt, ad clepſydram, ſed perdius ac pernox ad auditoris vſque conuicia pertinaciter declamabit. Neque etiam hîc agi de Rhetore ac dicendi Magiſtro, in quo diuturna exercitatio, ac multorum lectio obſeruatióque librorum ita ſæpe numero ſupplet ingenij partes, vt in tradendis iuuentuti præceptis Rhetoris perſonam non magis experti, quàm acuti ſuſtinere cum dignitate videatur. Sed de eo demum Oratore diſputari, qui ſiue ad populum in foro templóque, ſiue in aula in priuatis publicíſque conſiliis ad Principes viros, ſiue in Exedra & Academia ad Sapientes, quacumque de re propoſita, tam erudita atque

De ingenio Oratoris quid ſentiendum.

Quo de Oratore ſermo ſit.

Triplex munus Oratoris.

atque aperta oratione doceat,tam ſuaui gratáque demulceat, tam robuſta atque pugnaci commoueat,vt grauitate rerum,verborum ſuauitate,argumentorum ſeu vi, ſeu ſpecie concitatos auditores in quam ipſe velit partem,vnius linguę imperio traducat vniuerſos. Hunc autem magno excelsóque eſſe ingenio numquam mihi timidè pronunciandum putaui:quando triplex hoc munus,quod adeò Oratorium eſt,vt Orator abſque eo nullus ſit, ne mediocriter quidem exerceri poteſt ſine ingenij laude. Nam,vt de primo dicam, qua ratione DOCERE poterit is non in vna alteráve materia,ſed in iis omnibus,quæ vſurpātur hominum ſermonibus,aut cadere aliquando in diſceptationem ſolent; niſi earum notitiam perbenè ac ſcienter hauſerit? Quomodò ſua ſtabilire,aliena refellere, repugnantibus occurrere, falſa & fallentia procul habere,omnia certis rationum ponderibus momentíſque firmare: ſi ignoret,quid poſſit Enthymemate confici, quid Inductione,quid aliis argumentationibus?in quibus dum alia ponuntur,aſſumuntur alia,alia deducuntur: ſiue ſola ſeorſim intelligat,ſiue plura inuicem componat, ſiue ex vno aliud ducta in orbem ratiocinatione comprehendat Ingenium certiſſimo ſe vbique prodit argumento, ductúque ſe ſuo quodammodo circumſcribit. Falluntur qui Oratorem concludunt ea tanquam regione,ſeptúmque continent iis terminis, vt eleganter & ornatè dicat: in quo fortaſſe memoriæ, quàm ingenij maior eſt vſus. Non hæc eſt Oratoriæ prouinciæ amplitudo,totúmve munus Oratoris,quin potiùs ipſi artifices dicendi, eius

Primum Oratoris munus, Docere, quantùm egeat ingenio.

Argumentorum tractatio poſtulat ingenij vim.

inſcitiam,cui res non ſuppetant,abundent autem verba,ſtultitiam loquacem appellant atque irrident. Sed inuenire quid aptè dicat, quæ fundamenta iaciat orationis, quam rerum molem attollat, quibus argumentorum præſidiis omnia communiat, hoc adeò Artis huius eſt, vt addictus huic parti Ariſtoteles Rhetoricam ex inuentione definiat, cúmque perfecti Oratoris appellatione ſpoliare non dubitet,qui inueniendo minùs excellat: cúmque perſuaſionem fide ac motu comparari dicat, inter ea quæ fidem faciunt, atque ideo perſuadere poſſunt,Elocutionem non enumeret, niſi tanquam comitem,quæ inuentioni ad fidem famuletur. Hæc autem inuentio rerum,quas expeditè atque in omnem dicendi occaſionem intentus illicò expromat Orator: hæc celeritas animi transferentis ſeſe in omnem partem,omnia vbique rimantis, omnia colligentis: hæc mentis feracitas progignentis tam multa, tam varia,tam apta rebus,tam opportuna temporibus, tam decora perſonis, quis non videt, quanti opus ingenij,quantæq; intelligentiæ ſint opes? Sanè cùm ſedes argumentorum eaſdem Dialecticis ac Rhetoribus vtrorumque Princeps Ariſtoteles attribuit,non ille exercendę campum memoriæ, ſed locos ſagaci impigræque rationi perueſtigandos aperuit. Iam verò vt DELECTET Orator (nam hoc eius alterum munus dicebam) quo id modo ſine ingenij ſolertia conſequetur? Vt enim omittam quod eſt in oratione robuſtius,& quædám minuta conſecter,in quibus ingenij laus fortaſſe videri poteſt ambigua; certè & in verbis tranſlationes inuerſionéſque, & in ora

Inuentio rerum eſt opus ingenij.

lib. 1. Rhet.

Secũdum munus Oratoris Delectare, an ſit ab ingenio.

oratione ſententias habere plurimùm delectationis omnes experimur: atqui ingenij non vulgaris argumenta ſunt vtraque. Et verba quidem aptè transferre, mentis eſſe omnino peracutæ ac perſpicacis apud Eloquentiæ parentem vir cum primis eloquens M. Craſſus affirmat; quòd nimirum nobilis ac præalti ſpecimen ingenij ſit tranſilire ante pedes poſita, trita ac ſponte ſe offerentia contemnere, & alia longè repetita cum delectu ſumere: ex quo fiat, vt auditoris animus tranſlatione audita, euolet continuò ad Authoris ingenium, eiúſque contemplatione in admirationem excitatus, ea perfruatur, quam ex admiratione naſci Ariſtoteles voluit, voluptate. Accedit, quòd nemo poteſt vnum alterius loco concinnè ſubſtituere, quod in tranſlationis vſu venit, qui non plurium inter ſe ſimilitudinem, nexum, atque concordiam deprehendat: hoc autem eſt rationis opus, quæ rerum naturas peruestigat, animaduerſáque proportione ingenioſè permutat, ex quo naſci putandum eſt, vt qui hæc audiunt, per eadem rationis veſtigia progredientes, dum deprehenſa vnius cum altero comparatione, hoc eſſe illud, ratiocinando diſcunt, maximè delectentur: cùm ſemper quidem iucundum ſit homini diſcére, tamen ratiocinatione, id eſt, congruēter hominis naturæ, multo iucundiſſimum. In ſententiis verò conformandis, vbi VIS ingens ac virtus in breue dictum coacta mirè oblectat auditores, quàm viuit penè ac ſpirat ingenium? Quid enim? argumentum peramplum & graue, quódque fuſum ac diſſipatum vires amitteret, vnius verbi compendio collige-

Tranſlationes.

lib. 3. de Orat.

Ariſt. 3. Rhet.

Sententiæ.

re,

re, ac proinde fortiùs intorqueret:res communes vſúque proculcatas,tanquam tranſmarino atque aduentitio quodam cultu inter noua ac prima reponere: dictis improuisò aggredi, ſubitíſque animum pugiunculis laceſſere, laceſſenti repentè ictum referre,iocis feſtiuè decertare,facetiis ambiguè ſuſpendere, ſalibus acutè vellicare, comiter illudere,argutè blandiri, vafrè cauillari;hæcne ſtupidum quiddam ac plumbeum ſonant; an mentem potiùs acrem ac vigentem,celerriméque multa ſimul agitantem præ ſe ferunt? Quòd ſi in his, quæ minima ſanè ſunt, & in quibus quaſi proludit Eloquentia, non minimùm tamen elucet ingenij; quid in concitatione animorum ac MOTV (quod tertium eſt munus Oratoris) quæ mentis præſtantia,quæ vires orationis,quæ ingenij maturitas apparebit? Sanè vniuerſam de affectibus diſputationem, quæ & Philoſophi naturalis eſt, vt eorum cauſas à natura petat;& moralis, vt eoſdem honeſtatis ac turpitudinis capaces oſtendat; ita ad Oratorem, qui eos excitet aut componat in animo, ſpectare exiſtimarunt ſapientes viri, vt affirmauerit Plato, Rhetores non ſcripſiſſe ex arte, qui de affectionibus animi non ſcripſerunt. Quæ verò de illis non Philoſopho in Ethicis,ſed Oratori in Rhetoricis ſcripſit Ariſtoteles,an huiuſmodi ſunt, quorum naturas, cauſas,effecta ſemidocti homines ac vulgaris ingenij capere poſſint? Et tamen diſertè idem pronunciat, Oratoris officium implere non poſſe, qui non planè perceperit, quid vnaquæque perturbatio ſit,qualis,quibus in perſonis, quáve ratione concitetur.Nam quid dicã de vſu,odio,inimici

Tertium Oratoris munus, Mouere, quantum requirat ingenium.

In Philebo.

Lib.2. Ret.

micitiáque flagrantes gratia & amore coniungere: furentes ira lenitate mitigare: confidentes ac ſpei plenos repentino timore comprimere: indignatione ſuccenſos miſericordia flectere: inuidia tabeſcentes, aut maleuolentia exultantes æmulatione aliò traducere, vel deſpicientia retardare; quam ingenij non mediocritatem, aut vulgarem communémque ſolertiam, ſed incredibilem ſagacitatem, admirabilem induſtriam, diuinam propemodùm felicitatem deſiderant? quàm eſſe acutam oportet ac perſpicacem eam mentis aciem, quæ naturas hominum rimetur, ſéque tam altè inſinuet in eorum animos, vt quibus illi ſtudiis ducantur, penitus introſpectis, talem ſe ad ſpeciem conformet, qualis eorum moribus ſimilis primùm obſecũdet in loco, ac blandè circum præcordia ludat: deinde, vbi fauentes animaduertit, paulatim perſonam ſibi, mox etiã auditoribus exuat: denique affectiones alias, alios ſenſus, naturam penè aliam iis, apud quos agit, victrix imponat? Detinebantur apud Polymeſtorem in Cherroneſo Græci vnà cum Troianis captiuis, cùm primum licuiſſet, in patriam inde tranſmiſſuri: ſed petebat Achillis vmbra, vt ad honorarium tumulum ſibi eo loco poſitum Polyxena Priami filia mactaretur. Abducenda ergo Polyxena erat ab Hecuba matre: haud magno conatu, ſi clam matre, aut illa inuita per vim tranſigere rem totam voluiſſent: ſed ea conſulta ac probante, Achilli, hoc eſt, infenſiſſimo Troianorum hoſti victimam immolare; arduum enimuerò negotium, & haud ſcio an humano maius agebatur. Deſtinatur huic operi non

Concitatio animorum.

Euripides in Hecuba.

Vlyſſis facinus.

Agamemnon aliquis, aut Diomedes, aut ipſe, cuius intererat illo honore patrem non fraudari, Neoptolemus; ſed eloquentiſſimus inter Græcos VLYSSES. Quid putatis? adit Hecubam, victimam poſcit, perſuadet, abducitur filia, mactatur. Deus immortalis! Et quod homini ingenium fuit, quæ animo ſapientia, quæ linguæ facundia, quæ menti ſagacitas, qua prouidere rationes potuerit, vt odia contra Græcos euerſores Troiæ in Troiana Regina reſtingueret, iram aduersùs Achillem Hectoris interfectorem in matre ſedaret, impetum contra Neoptolemum Priami parricidam in vxore cohiberet, miſericordiam erga vnicam, quæ ſupererat, filiam, in parente compeſceret, lacrymas ob cædem innocentis puellæ in fœmina exhauriret, Hecubam in ſumma orbitate luctúque, quaſi obiecto Meduſæ capite, ſenſu omni atque humanitate ſpoliaret? Equidem magnus ſit licèt, quòd Troiam Vlyſſes expugnauerit: mihi, quòd vicerit Hecubæ mentem, non paulo maior eſt. Certè illud cum multis, hoc ſolus præſtitit: ibi dolo mutum & inane Palladis ſimulacrum aggreſſus eſt, hîc palàm cum matre peruigili atque attenta conflixit: tunc in corpora ferro deſæuiit, quia mentes ad concordiam flectere non potuit, hîc non ante ſanguinem fudit, quàm in animum oratione penetrauit. Hæc autem, quæ de Vlyſſe dicuntur, ſiue ad Hiſtoriæ fidem, ſiue Poëtarum more, quid aliud ſunt, quàm quæ ſuper figmenta & fabulas vſu venire quotidie videmus? dùm homines Eloquentia nobiles rem aggreſſi difficultatibus impeditam, pertinaci ani-

Vis Eloquentiæ.

mo defenſam, ſanguini ac vitæ prælatam, eam rem, non vi, non armis, non imperio, ſed dicendi facultate, qua ſe penitùs inſinuant in animos; dexteritate mirabili, protinus expediunt, à videntibus planè ac volentibus extorquent, atque ad exitum nulla cuiuſquam mala gratia perducunt. Vt ſanè dubitare nefas ſit de illorum ingenio, qui tantùm operis moliuntur, quique Arcem hominis excelſiſſimam, vníque expoſitam Deo inuadunt, capiúntque quoties libet, atque in poteſtatem redactam arbitratu ſuo moderantur.

Ab ingenio quid iudicium differat.

Supereſt iam ex iis, quæ initio propoſui, tertio loco IVDICIVM: quam animi partem ab ingenij virtute ſeiunximus, quòd ingenium celeres quidam motus ad excogitandum acuti, & quædam intelligentiæ alacritas oſtendat; iudicium verò ſapiens animi mora, & matura inter res plures æſtimatio, electióque commendet; nec perpetuò in ſingulis reperiri vtrumque, imò peracuto ac volucri ingenio viros ſæpe prudentia conſilióque laborare compertum eſt. Verùm non eſt, quòd hoc vobis diſſidium timeatis, Rhetores, adeò ingenij, de quo dixi, bonum tenetis, vt iudicium veſtrum ſit; atque ita veſtrum, & Oratoria cum arte coniunctum, vt plures dicendi Magiſtri perantiqui & graues, ſextam Rhetoricæ partem iudicium numerent, ídque tam firmis rationibus enitantur, vt nemo expedire ſe illis poſſit, niſi pluſculum aliquid, quàm petitur admittat: nempe iudicium partem quidem eſſe, non tamen ſolitariam ac diſtinctam à ceteris, vnúmque in locum reiectam, ſed annexam

De Oratoris iudicio quid ſentiendum.

ſingulis

ſingulis atque permiſtam, quæque tanquam ſuccus ac ſanguis per vniuerſum Eloquẽtiæ corpus æquè diffundatur. Et ſanè ſi finem Oratori à ſuperiore præſcriptum diſciplina ſpectemus, facilè patebit, magno ac ſolerti iudicio opus eſſe ei, qui agere Oratorem velit. Exiſtimauit, ſcriptúmque reliquit Ariſtoteles, Rhetoricam ciuilis ſcientiæ propaginem eſſe, adeóque vnum ſibi vtramque finem propoſuiſſe, vt Rhetores ſua ætate ciuiles ſe Magiſtros appellarent, ac pollicerentur auditoribus ſuis adminiſtrandarum vrbium rationem. quod apud Platonem Gorgias facit, & ſequutis deinde temporibus Tullius, Quintilianus, aliíque conſcriptis voluminibus profeſſi ſunt. Et quamquam hoc dictum eſt alicubi glorioſius, illud certò conſtat, AD bonum ciuitatis vtramque ita conſpirare, vt ſi quis ab ciuili ſcientia mos inducendus, tollendúſve ſit: ſi lex ferenda aut abroganda: ſi tributum, aut in capita, aut ex cenſu, aut extra ordinem imperandum: ſi expeditiones ſumendæ, ſi bella continuanda, ſi deditiones faciendæ, ſi induciæ, ſi fœdera paciſcenda, confirmanda, reſcindenda, ad eloquentis alicuius operam cõfugiat, illum in priuatis congreſſionibus Conſultorem habeat, illum in publicis Suaſorem. at neutrum horum, quæ dixi, munerum ſuſtineri vel leuiter poteſt ſine ſolerti circumſpectóque iudicio. Et Conſultatio quidem tota prudentiæ trutina quædam eſt: cùm enim in ea non generatim de rebus vniuerséque agatur: non metienda ſit aſtrorum cælique magnitudo, non fructus quæratur contemplationi voluptas: non leges

li. 1. Rhetor.

In Georg.

Plato in Alcib. 2.

Conſultatio quatenus opus habet iudicio.

leges vbique ſtabiles æternæque, in quibus nihil videlicet deliberes, ante oculos per otium proponantur: ſed ſingula minutatim atque præcipuè inſpicienda ſint, ſæpe vtilitatis, neceſſitatis interdum, ſemper honeſtatis ratio habenda: priuata ac publica lucri damníque comparanda momenta: loca inter ſe, vires, potentia, opes, imperia conferenda: plurima quæ cauſas circumſtant, quæque perſonis adiuncta ſunt æſtimanda; ſola profectò hiſce deliberationibus tam multis, tam variis; tam ſæpe ac facile mutationi propoſitis præeſſe Regina vitæ Prudētia poterit, cuius, vt Sapientes affirmant, ſolius opus eſt cōſiliari, certáſque ad conſtitutum finem rationes ac vias excogitare. Ad hoc porrò munus cùm à ciuili ſcientia, hoc eſt, Principe reliquarum, Oratores præ cęteris admittantur, atque ab Ariſtotele, qui ob ſolam conſultationem librum Rhetoricæ ſcripſit ad Alexandrum, huic in primis operi deſtinentur; quis non videt, quæ ſententia de Oratoris iudicio, prudētiáque feratur?

S. Thom. 2. 2. q. 9. art. 5. Ariſt. l. 6. Eth.

Iam verò ſuaſio in aliis dicendi generibus nihilo minorem quærit iudicij ſagacitatem. Etenim ſi ſuaſori certa eſſet ac circumſcripta materies, eáque ſtabilis, nec perpetuò varietati obnoxia, ſi perſonarum numerus intra gentem vnam ac nationem contineretur, ſi illi iidem, quibuſcum agendum eſt, eoſdem ſe manè veſperique præſtarent; non difficile eſſet Oratori, aliquot ſibi leges atque inſtrumenta definire, pauca regionum ingenia indagare, ſibíque adiungere, mores hominum eodem tenore conſtantium ſemel ſibi cognitos perpetuò retinere. at verò cùm rerum

Suaſio cur magno egeat iudicio.

quæ

quædam infinitas ac mutabilitas ſit, cùm perſonarum varietas nullo certo genere comprehendi poſſit, cùm temporum inconſtantia non eadem ferat, cùm ambiguis homines moribus ipſi à ſe alij atque alij in horas diſcrepent; vigilet ſanè Oratoris induſtria, circumſpiciat probè vel minima quæque momenta rerum, nihil eum vſquam prætereat, vertat ſe in omnem partem neceſſe eſt. Quare ſapienter Plato, vt leuaret hoc onere Philoſophos, præcepit. In ſumma rerum conſiſterent, ad ſingula ne deſcenderent. nempe SVPREMA & propinqua cœlo aëris pars à turbis libera eſt, non cogitur illa in nubem, non in tempeſtatem propellitur, non verſatur in turbinem: inferior tonat ac fulminat. ſic hominem ſi animo vniuersè videas, nihil illo tranquillius, nihil pacatius, nihil ſereno puróque cœlo ſimilius. at ſi ad ſingulos hominum acceſſeris, hîc nimirum inter affectionum nubes odia funduntur, hîc ardent cupiditatum faces, hîc irarum fragoribus omnia quatiuntur. planè vt non difficile fuerit olim Prometheo, vt eſt in fabulis, vbi hæc humana prætervectus eſſet; in cœlo liberè vagari, admotáque ad Solem ferula, vel inter Deos ignis cuſtodes ignem ſubducere: cùm verò ad homines rediit, perſuadere hominibus non potuit, ne ab illis proditus, ad Caucaſum montem, perpetuum aquilæ pabulum miſerè torqueretur. Scilicet indagatori naturæ Philoſopho facile ac iucũdum eſt, cum homine illo ſuo, ſeu veriùs hominis ſimulacro degere dies ac noctes, certámque cum eo agendi rationem inire, in quo ſtabilia, conſtan

Oratoris cum Philoſopho comparatio.

Heſiodus in Theogonia.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſtantia, æternáque ſunt omnia? vt ſi aciem intelligentiæ, qua idolum pulcherrimum contemplerur,paulo acutiùs intendat,non habeat interea, in quo magnum prudentiæ ſpecimen oſtendat; cùm longè ſecus Oratori contingat, qui congredi eo cum homine debet, cuius ingenium per ſe latens,multiplex, ac tortuoſum,vbi ſe quæri ſentit, déque rebus ſuis agi; ita ſe neſcio quos intra flexus atque anfractus abdit, ſepit, obſtinatéque concludit, vt nulla via niſi Theſei filo,id eſt, ſagacis prudentiæ ductu adiri extrahíque poſſe videatur. Hinc illa indagatrix ſolertia opportunitatum, locorúmque obſeruatio, temporum prouidentia,ſtatuum coniectura, omnium delectus, quibus Orator adeò tempeſtiuè aditus tentat, occaſiones prouidè venatur, ſedes ac loca ſagaciter explorat, rem ipſam veſtigiis penè omnibus odoratur, vt inſinuatus ſemel in hominis animum, ei non modò non inuito, non oppreſſo,non modò patienti, aut non repugnanti, ſed volenti etiam perlibentique de gradu, déque fortunis ſuis cedere perſuadeat.

Hominis ingeniũ.

Neque hoc quamquam permagnum, iudicij tamen ſumma eſt in Oratore: quando vbi hæc ille perfecerit, non continuò ex vnius prælij victoria de vniuerſi exitu belli certam facere coniecturam poteſt; ſed plurima adhuc ſuperſunt, eáque inter ſe longè diuerſa; quæ alio ſemper artificio, nouáque prudentiæ machinatione aggredienda ſunt. Quot adoleſcentia mores educat? quot media ætas firmat?quot ſenectus mutat? quidquid ſplendor familiæ, opum copia, honorum gradus: quidquid humilitas, egeſtas,

Ampliſſimus Oratoris iudicio campus.

Mores ætatis, fortunæ, & nationũ.

ſeruitus

ſeruitus in animos inuehunt: quantùm litterarum cultus ac patrocinium, quantùm earum ignoratio odiúmque ad virtutes,aut ad vitia cõformant: quidquid vbique gentium conſuetudines populorum,inſtituta nationum,regionum ingenia,ritus,natura præcipiunt aut vetant;tantùm Oratori perueſtigandum, tenendum, vſurpandum eſt. hæc illi omnia in conſilium vocanda, hæc præ manibus, hæc ob oculos ita proponenda, vt paratus æquè ac intentus in omnem occaſionem, ſtatim in promptu habeat, qua ſe ratione gerat cum adoleſcente cupidè, cum viro fortiter,cum ſene temperatè: in Academia grauiter, in foro confidenter: principibus Viris imperium extollat, nobilibus claritudinem,fortunas opulentis, miſeris ſecuritatem: quid cuique nationi obſecundanter ingerat: quid dicat apud Germanos candidè, apud Gallos præferuidè,apud Hiſpanos compoſitè, apud Italos peracutè: denique quomodo ad ſingulorum mores ita cõponat ſuos, vt vnus omnium gnarus, nuſquam hoſpes atque inſolens, vbique in patria eſſe videatur. Ad ſummam: ne ſingula perſequar dicendo, totam eam rationem, quæ cautè circumſpicit,quid cuique conueniens,quid tempori,quid loco,quid rei,quid perſonæ ſit aptum, quæ vno *Decori* vocabulo, cum latiſſimè pateat explicatur; eam ſatis conſtat & ſummum eſſe opus Prudentiæ, & proprium eſſe artificium Oratoris. **Decorum.**

Quòd ſi hæc, Rhetores, iudicium ſolito maius, & quiddam propè infinitum in hominis prudentia deſiderant, & tamen omnia ab

Arte veſtra requiruntur, Artiſque Princeps Ariſtoteles ſine his eſſe Oratorem negat; nam iam vnde dicendo abieram, pugnaciter eò reuertar, & vobis tantùm laudis, quantùm ab rerum multarum memori comprehenſione, ab excellente ingenio, ab ſolerti nauóque iudicio prouenit, glorioſa exultantíque oratione gratulabor: ſed hoc vnum, quod ex iis, quæ poſtremò dixi, per ſe ſequitur, reputãdum vobis cum animis veſtris etiam atque etiã relinquo; quàm multiplici rerum cognitione ad tam cœleſte Prudentiæ faſtigium, hoc eſt, ad debitum veſtro ordini locum peruenire debeatis; vt quam prudentiam Homericus Vlyſſes multarum vrbium mores videndo didicit, eam vos iis, quas vetus Poëta facit, prudentiæ cauſis memoria & vſu, vel huius loco, lectione auditionéque conſequamini.

Afranius.

PROLV

PROLVSIO II.

An congruenter honeſtatis, & Hiſtoriæ legibus faciant ij, qui in rerum narrationibus ad calida & politica, vt ipſi vocant, præcepta diuertũt. quo loco de Corn. Taciti ſcribendi ratione multa diſceptantur.

PERSEQVOR etiam hoc anno inſtituti mei rationem, Cardinalis Illuſtriſſime. Diſſerui ex hoc pridem loco apud nouos Rhetores de Artis, quam illi recèns, præceptore me aggrediebãtur, vtilitate: oſtendíque, Rhetoricam non eſſe tenerioris ætatis honeſtam ſcilicet moram, aut ludicrum negotium, atque vmbratilem exercitationem, quæ Gymnaſiorum intra parietes concluſa, vix quicquam emolumenti ad ciuilem hominum vitam foras deriuet. imò verò nullam eſſe inter humanas diſciplinas mortalium bono excogitatas, quæ ciuitatum commodis inter aduerſa pariter ac ſecunda præſtò ſit magis, quàm Artem dicendi. ídque cùm in Oratoria, Hiſtoria, ac Poëtica quà generatim, quà præcipuè demonſtraſſem; rurſus ab Oratoria exorſus, quid præſtantiſſimæ facultati vitio daretur, amoliri conatus ſum. Nunc verò Hiſtoria nobis eſt inſpicienda, cuius ob cauſam tantò maiori apud Sapientes inuidia laboramus, quantò minùs obiectum crimen multi, vt video, reformidant, non pauci etiam tanquam ſpecioſum in vulgus ambiunt, eóque palàm nomine gloriantur. Quid autem hoc ſit, accipite ex hominis voce, cuius Cl. Aquauiua Præp. Gen.

B 5 dicta

dicta apud vos, Patres Religioſiſſimi, legum inſtar meritò habentur, obſeruantúrque. Hunc dicere non nemo audiuit, duas videri ſibi diſciplinas, nobiles quidem illas ac ſalutares, præcipuè tamen obnoxias, ne ſe addiſcentibus perniciem aliquam creent: alteram Mathematicorum, Rhetorum alteram. ILLA ne in Genethliacorum diuinationem, HÆC ne in eorum calliditatem, qui ſe Politicos dici volunt, quandoque degeneret. Etenim ſicut in floribus & oleribus minuta interdum animalia innaſcuntur, quæ incautos colore promiſcuo, ac penè indiſcreto enecant; ita CVM bonis artibus ſua plerunque vitia ſubcreſcunt, quæ perſimili affiníque Virtutibus ſpecie venenum occultant. Et ſanè, quod attinet ad hanc, quam profitemur Artem politioris humanitatis, in hoc denique multorum ingenia deſinere; & tanquam generoſa vina vetuſtate coaceſcere ſatis conſtat, cùm id ipſi, vt amant ſua vitia, præ ſe non obſcurè ferant. Videas ex iis non paucos, quos hiſtoricorum volumina delectant, hiſce demum præceptis prodire inſtructos è Rhetorum Schola. Ius ac fidem perpulchra eſſe nomina, ſed inania, niſi ad rem tuam detorqueas: nec quemquam altiùs emerſiſſe, qui pudori ſuperſtitioſè obluctaretur, ſumma ſcelera incipi cum periculo, peragi cum præmio. Dominorum gratiam aſſentatione parari; & conſcientia ſecretorum retineri: ſic non rarò Seianos creari, qui ſæpe arcanorum participes facti, Regum ac Principum aulas ſuo arbitratu verſare ſolent. Senſa animi numquam penitùs aperienda:

Diſciplinæ diſcẽtibus ad extremũ noxiæ.

Ab Hiſtoria quid aliqui colligunt.

rienda: ob ídque oratione vtendum ſuſpenſa, perplexáque, atque eluctantium verborum quæ vtroque trahi poſſint: ita in integro futurum eà meditatum decernere, quæ improuiſum effugerant. Hæc horúmque ſimilia, quæ, vt ex vultu coniicio, ad aures veſtras minùs gratè accidunt, Auditores, illi magni faciunt, ac prudentiæ neruos dictitant: hæc ex penetralibus Hiſtoriarum ſedulò rimātur, eóſque ex omni antiquitatis memoria ſcriptores colunt ac terunt, qui ad haſce dominatrices artes callidioribus præceptis informant. Quare cùm Hiſtoria rerum geſtarum narratione ad prudentiam inſtituat: prudentiam verò ſic politica iſtorum fraus imitetur, vt ſub honeſtatis aliena ſpecie, fœdiſſimæ vtilitatis vias vbique doceat; factum eſt, vt multi ſe ad hoc genus ſcribendi contulerint, atque à multis (vt plerique vtilitate quacumque capiuntur) magis, ac magis quotidie lectitentur. Ex quo Hiſtoria facta callidior, atque mēdoſior, malè iam audire, ínque ſe, ac Rhetoricam vniuerſam, obtrectationis materiam deriuare nonnullam cœpit. Quæ me impulit cauſa, non tam vt aduersùs Hiſtoriæ corruptores aliqua dicerem, oſtenderémque, eos qui hac ſcribendi libidine ducuntur, haud facere congruenter Hiſtoriæ legibus, quàm vt Rhetores meos ab huiuſmodi lectione amoréque ementitæ prudentiæ remouerem, certè Hiſtoriam ab ea, qua immeritò laborat, inuidia liberarem. Ac mihi quidem de hoc hominum genere cogitanti verſiculus Poëtæ non ignóbilis veniebat in mentem, qui vt hiſtoricum luderet, quòd perpetua narratio

Politica fraus.

ratione in ſuos laudes, in hoſtes probra, vtrobique immodicè congereret: appoſitè concluſit,

Sannaz. lib. 1. Epigr.

Nec malus eſt ciuis, nec bonus hiſtoricus.

Quamquam mihi addendum aliquid videtur in mea cauſa, atque vnius verbi mutatione dicendum,

Nec bonus eſt ciuis, nec bonus hiſtoricus.

Summa Proluſionis.

Quas omnino partes duas permittite, Auditores, humanitatis veſtræ argumentum eſſe pariter, ac diſputationis meæ.

Qui ciues non boni inter hiſtoricos.

Age igitur, quicunque Hiſtoriam contexendo, latentes neſcio quas artes ac dominationis arcana interim aperit, ſi Religioni, cuius prima eſſe debet in vnaquaque re cura, ſi ciuitati, hominúmque conſuetudini pernicioſus erit; haud erit, opinor, vobis iudicibus, ciuis bonus. at hęc duo nec rarò, nec indiligenter præſtari ab hoc ſcriptorum genere, niſi me ratio deficit, ſic euinco. Sumite, ſi placet, ex iis aliquem non minorum gentium hiſtoricum, non qui Religionem obtentui palàm habeat, eámque, vbi vtilitas concuttat, vtilitati facilè poſtponat: ſed è veteri ac prima nobilitate modeſtiorem, ipſúmque, à quo defluxiſſe videtur hæc ſcribendi ratio, vno verbo CORN. TACITVM. Iuuat enim in hoc potiſſimùm ſcriptore conſiſtere: non quòd ingenium eius ſolertiámque ac reliquas virtutes tāti non faciam, vt præ iis non exiſtimem paucula, quæ inſunt homini, vitia ferri haud poſſe: ſed vt à cæteris pro eorum indignitate abſtineam, qui hoc tempore ſi aliquot argutiolis Hiſtoriam aſpergant, Corneliano videlicet exemplo ſe ſcribere, à cuius laude diſtant ſanè quàm plurimùm,

Corn. Tacitus an quid obſit Religioni.

glo

gloriantur. Hic igitur, quem loquor, hiſtoricus, etſi totus in eo eſt, vt prudentiæ præceptis imbuat animos legentium; iis tamen, quas identidem interſerit, animaduerſionibus, conſiliis, coniecturis, profectò non agit vbique, mea quidem ſententia, ciuem bonum. Nam, vt RELIGIONEM curſim attingam, mitto ſacra apud illum impunè violata, pollutas etiam cum lucro ceremonias, crimina feliciſſimè patrata: quæ tamen haud par erat ab homine obſeruationum iudiciorúmque non ſanè perparco, ſine aliqua nota præteriri. mitto Virtutibus auerſos, ſceleribus faciles, humana plerunque contemnentes Deos. Quid illa? quantùm Religioni conducunt? cùm narratione rerum omiſſa, quaſi diſceptator ſedet otioſus, atque in vtrâque partem quærit ambigítque, *Fatóne res mortalium, & neceſſitate immutabili, an ſorte voluantur*: quidve de inſita multis opinione ſentiendum, *non initia noſtri, non finem, non denique homines Diis curæ eſſe.* Quid alia hiſce ſimilia, cùm eueniſſe aliqua commemorat ſine Deorum cura? Nónne dicta planè videntur ad Epicuri mentem? vt nobilis eius Interpres, ἐπικουρίζειν eo loco, atque alibi Tacitum apertè commonuit. Et ne longum faciam, quid illa in Religionem iniuria quanta eſt? Sub exceſſum Neronis Italia cladibus afflicta, hauſtæ aut obrutæ vrbes, Campania incendiis vaſtata, Capitolium ciuium manibus euerſum, Sacerdotia & Cóſulatus tanquam ſpolia reportata, plenum exiliis mare, infecti cædibus ſcopuli, nullus in vrbibus, nullus in agris ſecurus à ſcelere, atque à ſupplicio locus. quid

Lib. 6. Annal.

lib. 13. Anna.

I. Lipſ. in Notis.

lib. 1. Hiſt.

ergo

ergo poſt hæc enumerata mala Coniector egregius adiungit? agnouit credo Deorum Numen, qui crimina pœnis proſequentes efficerent, vt ſceleſtum eſſe minus feliciter aut ſecurè liceret. *Numquam atrocioribus*, inquit, *Populi Romani cladibus, magiſve iuſtis iudiciis approbatum eſt, non eſſe curæ Diis ſecuritatem noſtram, eſſe vltionem.* ô peruerſam hominis interpretationem, ac penè dixerim, inter ea prodigia recenſendam! adeóne impiè quiſquam indoctus ſit, vt cùm ſeculum ſuum vitiorum feraciſſimum fateatur, indignetur nihilominus, ſi ſuppliciis, hoc eſt, peccatorum pœnis illud affligari ſentiat, Deóſque ſcelerum vltores, inuidiæ in humanum genus aut crudelitatis accuſet? Vt meritò permagnus litterarum arbiter, ac Tacito addictiſſimus Iuſtus LIPSIVS continere ſe non potuerit, quin ad

In Notis. eum locum exclamaret, *γνώμη ἀσεβής*, impia inquam ſententia: quidquid pro Tacito obluctetur in Lipſium familiaris olim quidem meus, rerúmque Ciuilium non infacetus æſtimator; ſed qui non tanti vnquam mihi fuit, vt præ illo Iuſtum Lipſium litteraturæ magnæ virum minoris fecerim, purúmque ac putum, vt ille vocat, Grammaticum, imparémque Cornelianis ſenſibus exiſtimauerim. præſertim cùm inter alios

Cōment. in Tacit. quoque Interpretes idem ſentientes ANNIBAL Scotus (in quo, veterano quippe Aulico, nemo iure deſideret politicarum rerum ſcientiam) Taciti dictum vti improbum impiúmque auerſetur, ac reſpuendum Chriſtiani honeſtíque hominis auribus, ac palàm execrandum clamet. Sed finge in tuto eſſe Religionem, num ſaltem

CIVI

CIVITATI, ſocietatique humanæ ſalutares ſunt iſti, qui tam crebrò interiectis in Hiſtoria callidè conſiliis Ciuilem doctrinam inſtillare ſe mortalibus gloriantur? Profectò dum ſe ea ratione Politicos dici volunt, adeò ciuitatis cauſam non agunt, vt horum vitio Politiæ nomen, non ciuilis, ac publici commodi, ſed priuatæ propriæque vtilitatis appellatio eſſe videatur. Non ita veteres illi ac boni, qui de Politicis, ſed non ad iſtorum normam diſputantes diſertè definiunt, OPVS ciuium eſſe publicæ ſalutis curam, cui ſe quiſque conformet neceſſe eſt, vt ad eius bonum familiam dirigat, & per ſe domui, per hanc ciuitati felicitatem pariat. immo vocem eſſe naturæ, ſi illam exaudire velimus, VT pars omnis ad corpus, in quo pars eſt, ita referatur, ſuam vt ei ſalutem poſthabendo, malit ſibi malè eſſe, quàm corpori. Quare cùm ciuitatis pars ciuis ſit, hoc aiunt eſſe Politicum agere, ciuitatis ſalutem incolumitatémque ſua vtilitate ac fructu potiorem habere. Planè vt cõſtet, quàm non accommodatè, congruentérque rationi, imò quàm reclamante natura doceant, qui lectores ſuos per rerum narrationes ducunt, ad callida quædam vtilitatis compédia: dúmque propriis ſingula rationibus ſubdolè metiuntur, Politici nomen, laudis olim atque honeſtatis, nunc vitij, ac propterea odij nomen effecerunt. Verùm quæ vniuersè, nulláque exemplorum appoſitione curſim attigimus, diſtinctè præcipuéque, ſi placet, à capite ſumamus. Etenim ſiue inter ſe ciues conſidero, ſiue eos ad Principem refero; vtrobique reperio, crebras horum animad

An proſint ciuitatibus iſti, qui ſe ciuiles Scriptores vocãt

Quid ſit Politicũ agere.

maduerſiones in Hiſtoria, interpretationéſque in deteriorem plerunque partem, officere non parùm hominum ſocietati. Atque, vt de ciuibus inter ſe compoſitis priùs dicam, FIDEM eſſe mortalium nexum veriſſimè dictum eſt: neque enim ſolùm homines in agris olim ac nemoribus ſolitarios ac vagos ſemel ad communionem rerum eadem ſub mœnia fides traxit, ſed quidquid commercij operíſque, quidquid induciarum ac fœderis, quidquid amicitiæ & affinitatis præſentes abſentéſque perpetuò contrahunt; id mutua inter homines fides perſuadet: quam ſi ex animo tollas, continuò ſanguinis ac neceſſitudinis coniunctio, legum ſacramentorúmque iura, negotiorum ac ſocietatum conſpiratio diſſoluentur: ipſi inter ſe mortales auerſi, & ſuſpicioſi, ſibíque ab aliorum perfidia metuentes, ab rerum adminiſtratione publicarum, ab vrbibus, atque conuentibus, à communi colloquio cóſpectúque ad ſyluas, & glandes more pecudum redigétur. Atqui nullum, mea ſententia, eſt telum, quod tantùm infringat ac labefactet humanam fidem, quantùm hiſtoria hoc, de quo loquimur, ſtylo verſutiáque conſcripta. Accede ad horum Annales, aut Hiſtorias (quos ego Seſquiulyſſes dũ aut animo, aut oratione cóplector, fateor me de iis nõ quidẽ ex odio iudicare, ſed ex iudicio eos nonnihil odiſſe (quid vſquam apud illos ſincerè honeſtéque factum leges? quid non potiùs ſubdolè? quid nón veteratoriè? quid non fraudulenter? Ille imagine pacis in errorem inductus: iſte per ſummam odij diſſimulationem, odium tutò deſtinauit: hic ſpecie recuſan

Fides in hominum ſocietate neceſſaria.

Quid adiumenti habet fides in aliquorum Hiſtoriis.

Varia fraudum argumenta.

cuſantis ambigua de ſe hominum iudicia odoratus. Amici tanquam viles, abiecti, inanes, opulenti ac pleni primò expreſſi, dein ad ſuſpendium coacti: corrupti largitionibus in Dominos ſerui: veneno armati in Patronos liberti: & quibus deerant inimici, per amicos faciliùs oppreſſi: diffidentium in morem facinus occultatum: pietas ſceleri prætenta: oratio plena dignitatis, expers fidei: inuidia in occulto, adulatio in aperto: preces, ora, lacrymæ ſimulandi artem vſque ad conuicium veritatis edoctæ. Quæ hîc noctes meræ, Deus immortalis! quæ fallentium, falſorúmque technæ? quæ tricæ inexplicabiléſque laquei? qui nodi? quę ambages? quæ offuciæ? Equidem citiùs ipſe ſperarem in Cretæ labyrintho exitum, in Gordij plauſtro loríſque caput, in Cimmeriis tenebris lucem, in Scyllæ aut Carybdis æſtu tranquillitatem; quàm in iſtorum commentationibus tantulùm ſecuritatis, ac fidei. Sollicitata in viri necem vxor, & aduersùs hanc apud Principem ſcena criminis parata: permiſſi ad lucra de induſtria facinoroſi, móxque veluti ſpongia expreſſi: initâ palàm amicitia, vt amicum criminaturo proniùs credatur. Itáne hæc hominum vita? hic rerum ciuilium ſtatus? Ecquis legat haſce præſtigias ac fraudes, qui dubitare ſingulis in rebus non incipiat, ſuſpectos habere ſociorum mores, ſuorum fidem vereri, anceps conſilij paſſim reſtitare, vndique ſe aduersùs improbitatis opinionem circumſpicere, à fronte, à tergo, à lateribus timere, nulli mortalium fidere? Nam ſi HISTORIA (quod quidam hiſtoricorum non vanus olim dixit)

Niceph. in procemi. Baz. Hiſtoriæ.

dixit)lectores ſuos Vates reddit,quæ futura ſunt, ex iis quæ præteriêre, coniicientes; quodnam, obſecro,de humanis rebus iudicium ferat is,qui hanc Romæ vitam, omnium ordinum conſenſu ductam diutiſſimè doceatur? nónne mores noſtros veterum perſimiles, & vt in humanis accidit aliquantò deteriores interpretatus, nihil iam ſupereſſe apud homines fidei ſibi perſuadeat? conſanguinitatem, fraudum opportunitatem vereatur? promiſſa & ſacramenta,nugas & præſtigias vocet? amicitias tamquam coniuratorum conſpirationem euitet? maiores, Tyrannos;pares, hoſtes: minores,fures interpretetur? atque ipſe, quando ita viuitur, nomen ſuum in turbam conferat,abiectáque FIDEI moneta iampridem obſoleta in vulgus, quod celebre iam eſt,è fraudibus pretium petat? At, quid (inquiunt) agat hiſtoricus, qui in ea tempora inciderit deſcribenda, quibus Vrbem obtinebant illa hominum monſtra, quæ nullum toto Imperio veſtigium integritatis ſinceritatíſque reliquerant? an, cùm Hiſtoria ſit imago factorum, hæc alia ratione referenda ſunt, quàm vti euenerunt? Ego verò non id queror, incuſóve: ſit hoc infelicitatis eorum, delegiſſe materiam ad ſcribendum, ex qua tam pudenda ad poſteros exempla tranſmitterent. Sed illud queror: additas vbique fuiſſe ab hiſtorico eas (quas omiſiſſet vltrò, ſi narrare, quàm docere maluiſſet) interpretationes, ſubiectionéſque cauſarum, & conſiliorum, quibus ambigua quæque, obſcura, incerta, in deteriorem partem plerunque trahit, omniáque ſuſpicione, metu, diffidentiáque ſuſpendit.

Fidei moneta.

Taciti interpretationes plerũque in deteriorem partem.

pendit. Audi Cornelium TACITVM. *Auguſtus teſtamento Tiberium, & Liuiam heredes habuit, in ſpem ſecundam nepotes, pronepotéſque, tertio gradu primores ciuitatis ſcripſerat, pleroſque inuiſos ſibi, ſed iactantia gloriáque ad poſteros.* Vide interpretationem nō modò hiſtoricorum, qui teſtamentum illud retulêre, nemini notam: ſed, quod hîc loquimur, animos legentium ſuſpicionibus, iíſque nequioribus imbuentem. Ecquî licuit vni Tacito introſpicere mentem Auguſti, ab eóque glorioſè ac ſuperbè id actum eſſe tam diſertè ac exploratè pronunciare? Cur enim iactantia potiùs, quàm aut ſtudio veræ laudis, aut eos vt conciliaret Liuiæ ac ſuis, aut etiam vt ſignificaret, MORTE demum finiri ſimultates? Sed hæc ſanctiora, credo, viſa ſunt, quàm vt decerent hiſtoricum ſuſpicioſè omnia criminoséque narrantem. Quid illud? Hiſpania miſſis ad Senatum Legatis orauit; exemplo Aſiæ, delubrum Tiberio, matríque eius extrueret: non tamen aſſenſus eſt Tiberius, perſtitítque poſtea ſecretis etiam ſermonibus aſpernari talem ſui cultum. *quod alij modeſtiam, multi quia diffideret, quidam vt degeneris animi interpretabantur. optimos quippe mortalium altiſſima cupere. ſic Herculem, & Liberum apud Græcos, Quirinum apud nos Deorum numero additos cætera Principibus ſtatim adeſſe: vnum inſatiabiliter parandum, proſperam ſui memoriam. nam* CONTEMPTV *fama contemni virtutes.* Audi declamantem hiſtoricum, ínque aliorum rumoribus, deterrima quæque plurimis verbis interpretantem; quas ille occaſiunculas obtrectandi niſi quæreret, profectò ſatius habuiſſet,

lib. 1. Annal.

lib. 4. Annal.

eos,ſi qui erant, rumores caſtigare paucis,memor deſcriptum à ſe vbique fuiſſe Tiberium gloriæ perſanè cupidum, quàm vana aliorum dicta (an potiùs ſenſa ſua?) tam abundè, atque adeò tam abſurdè commentari. Non enim contemptus erat famæ, ſed longè VIA certior ac melior ad laudem famámque graſſari per modeſtiam & nomē repudiati cultus diuini,quàm per ſuperbiam eiuſdem cultus vſurpati. Sed in hanc ſententiam quia multa paulò poſt ſubdam,illud in præſentia ſpectemus,ac ciues nō tam ad ſeſe, quàm ad Principem, quod dicebam poſteriore loco, referamus: ſanè perniciosas hinc quoque ſentiemus huiuſmodi coniecturas hiſtoricorum. Mirum enim eſt,adminiſtrationem ciuitatum,ac regendi onus Imperij, quod per ſe difficile eſt, quantò iſta difficilius efficiant, atque perturbent. non dicam eo nomine,quia Regnorum arcana expediat clam populo, penes Principem, & conſiliarios eſſe: ſed quia hæc ab illo populum abalienent, doceántque ſuſpecta omnia eius dicta,factáque habere, atque illum Tyranni potiùs,quàm Regis loco ducere. *Auguſtus addiderat* (inquit Tacitus) *conſilium coërcendi imperij intra terminos.* verè hactenus, atque hiſtoricè. at cùm addit; *incertum*, *metu an per inuidiam.* de ſuo nimirùm addit, hoc eſt, accommodatè ad inuidiam apud populum Principi conflandam, cęteráque eiuſdem facta ſimili coniectura interpretanda. Omitto illud, cùm deſtinatis Roma militibus in Inſulam Africi maris ad Sempronium Gracchum ſecuri ferendum; *Quidam* (inquit Tacitus) *non Roma eos milites, ſed ab Lucio*

An iſta opem ferant Principi in rerū adminiſtratione publicarum.

lib. 1. Annal.

lib. 1. Annal.

Aſperna

Aſpernate Proconſule Africæ miſſos tradidere, authore Tiberio, qui famam cædis poſſe in Aſpernatem verti fruſtra ſperauerat. Hæc, inquam, atque horum ſimilia omitto, in quibus ſunt, qui Tacitum reprehendant, quòd ſupplicia reis illata à Magiſtratibus, inuidioſè referat in Principem illa præcipuè mandantem, vt penes eoſdem Magiſtratus (quod idem ſcriptor ait) ſæuitia facti foret, & inuidia. Illud omitti, ferríque nō poteſt, quòd horum complures, de quibus loquor, hiſtorici apertè admonent inter narrandum, Religionem vſui demum eſſe Principibus ad populos continendos, aut impellendos: ideóque ad firmamentum potentiæ aſſumi iuxtà, ac deponi. in quo Cor. TACITVM leuiſſimè accuſo præ iis, qui Corneliano more dicere hoc tempore videri volunt. Annon iſti animaduertunt, quantum inſtrumentum è dominorum manibus eripiunt, vbi eripiunt Religionem, hoc eſt, rectricem, ac veluti aurigam animorum? Nam multitudo cùm audit, cultum rerum ſacrarum, obligatámque Deo fidem, ſpecioſa eſſe nomina, quibus Princeps deuinctos habeat aptóſque ex ſeſe mortales: eóſque tanquam freno pro arbitratu regat, ac flectat in omnem partem; profectò haſce habenas ore non facilè accipiet, franget potiùs, & comminutas proteret, neque ſe in poſterum iis vinculis obligari, coërcerique patietur. Hoc autem (vt de Religionis iniuria lacrymis potiùs, quàm oratione proſequenda nihil dicam, quæ penitùs ex hominum mentibus auellitur) quantùm vires dominantium infringit? quàm contumaces aduersùs imperia facit animos multitudinis,

Religio inſtrumētū regendorū populorum.

Abſque Religione quo ſe modo gerat cum Principe multitudo.

dinis? quantùm confidentiæ in periculis adeundis, quantùm conſtantiæ in ſuſtinendis, quantùm virtutis in rebus tum domeſticis, tum externis adminiſtrandis, componendíſque labefactat? Nimirùm hæ Politicorum, vt ipſi ſe dici volunt, diuinæ Hiſtoriæ hûc demum recidunt, dum propoſitis neſcio quibus ſtatus cuique ſui rationibus, eodem tempore (vt ſemel, quæ dixi, omnia comprehendam) à cultu Religionis auertunt; contempto ciuitatum bono, priuatas vtilitates docent: comminuta hominum fide, humana commercia ſocietatéſque diſſoluunt: Principum conſiliis peruersè ac inuidiosè patefactis, rerum adminiſtrationes publicarum difficiliores, atque adeò turbis & excidio propiores, contrà quàm ipſi profitentur efficiunt.

An qui huiuſmodi coniecturales Hiſtorias ſcribunt, boni ſint hiſtorici?

Verùm his, quæ iam dixi, videtis opinor Auditores, confeciſſe me, eos qui ita ſcribunt Hiſtoriam, ciues non modò malos, quod erat inſtituti mei, ſed hiſtoricos etiam non bonos videri, quod in poſteriorem hunc locum differebam. Etenim cùm Hiſtoria illuſtri appellatione donata ſit, vt MAGISTRA morum nominetur, quòd qui ad eam ſe conferunt, inſtructi ad vitæ caſus, ſempérque inde meliores abeant; iſti, qui docent publicam honeſtatem priuatis rationibus poſthabere, fidem ac iuſiurandum vtilitate metiri, Religionem pro arbitratu colere, nónne Hiſtoriam, ac ſe iuxtà deprauant, atque adeò tanquam fraudum magiſtros, morúmque corruptores haberi vitaríque decet? Sed iam pars hæc altera propiùs eſt aggredienda, quærendúmque ſeparatim: Qui coniecturales Hiſtorias

tias ſcribunt, atque ab rebus geſtis ad monita, & præcepta ſæpenumero diuertunt, quidquamne peccent in Hiſtoriæ leges? quarum cùm longè maxima ſit, ac veluti fundamentum cæterarum, Veritas; hanc omnibus poſthabitis in diſquiſitionem, ſi placet, aliquantò diligentiùs, ac fuſiùs vocemus. Quamquam autem aliqui exiſtimant voluptatem, cui dat operam Poëta: fidem, ad quam appoſitè dicit Orator: mores, quorum inſtitutionem Philoſophus molitur; ita eſſe hiſtorico miſcenda, vt nullum ex his prætereat in narrationibus rerum: ego nunc tamen in exploranda fide conſiſtere decreui: quòd de moribus verba iam fecerim, de voluptate verò non multis agendum ſit aduersùs eos, qui à ſcriptis ſuis abeſſe plerunque hanc partem apertè fateantur. Nam minuta quædam dum perſequuntur ac leuia, eáque in partes ſecta conſiderant impenſiùs ac putidiùs: dum triſtia ex iis pleraque ac luctuoſa paſſim ingerunt: dum non externa vt plurimùm bella, honeſtéque obitas pro Republica mortes, ſed patientia ſeruili effuſum domi ſanguinem, continuatis ac ſimilibus infortuniis referunt; exiguam nimirum legentibus oblectationem afferre ſe, quin potiùs fatigare animos, & mœſtitia reſtinguere probè intelligunt. Certè ita id TACITVS ſentit, vt aliquot in locis orauerit: ne quis Annales ſuos cum ſcriptura eorum contenderet, qui veteres Populi Romani res compoſuêre. illos ingentia bella, expugnationes vrbium, fuſos captóſque Reges libero egreſſu memoraſſe: ſibi in arcto, & in hac parte inglorium laborem. profecturum tamen le-

A Poëta, ab Oratore, & à Philoſopho quid mutuetur hiſtoricus.

Taciti Hiſtoria quantùm habeat voluptatis.

Tacitus ipſe de ſe quid ſentiat. lib. 4. Annal.

ctoribus, quamuis minimùm delectationis allaturum: nam ſitus gentium, varietates præliorum, clari exitus ducum retinent ac redintegrant legentium animum: ſe verò ſæua iuſſa, continuas accuſationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium, & eaſdem exitu cauſas coniungere, obuia rerum ſimilitudine, ac ſatietate. Imò excuſationem idem attexens tot pa-

lib.16.Annal.

rium triſtiúmque narrationum, non diſſimulauit, ſe illa caſuum ſimilitudine, ſatietate iam affici, aliorúmque tædium expectare: neque propterea aliam defenſionem ab iis, qui ſua legent, exigere, quàm ne oderint tàm ſegniter pereuntes. Verùm ſicut ipſi vltrò fatentur, ſe magnam partem delectatione carere, ita fidem apud ſe incorruptam, ac ſtabilem reperiri ſtrenuè digladiantur. Cùm autem fidem hiſtorici faciant non probabilibus inuētis, quod eſt opus Oratoris, ſed ſimplici veráque narratione rerum; in

Veritas in Hiſtoria.

hac illi VERITATE, Hiſtoriæ ſummam tenere ſe iactant. Ego verò quantò faciliùs aſſentior, veritatem ante alia Hiſtoriæ neceſſariam eſſe, tantò eam magis in iſtorum voluminibus nutare cùm videam, minoris eos facere, eorúmque interpretationes, & coniecturas, quas exemplorum narrationibus apponunt identidem aduersùs Hiſtoriæ leges apponi, hoc ipſo quod nunc vrgeo neglectæ veritatis nomine, exiſtimare cœpi. In

Cauſæ dubitandi, an hæc reperiatur apud aliquos hiſtoricos.

quam ſententiam (ne temerè quidquam ſtatuere videar) quibus ego gradibus deſcenderim, quæſo cognoſcite. Primùm admonuit me iſtorum calliditas, ſuſpectámque meritò habere cœpi eorum fidem, qui tantùm verſutiarum fraudúmque noſ-

ſent:

ſent: & quoniam fidendum eſſe nemini docerent, optimum factu iudicabam, ipſis quoque non fidere: deinde huiuſmodi ſcriptores mendacij vitio accuſari apud multos legebam. denique eorum dicta diligentiùs expendendo, falſa non rarò comperi. Hinc ad eorum coniecturas digreſſionéſque me referens dubitare de earum fide ſeriò cùm cœpiſſem; animaduerti ſæpenumero ingenioſiùs eas, quàm veriùs allatas eſſe. Hæc porrò ſingula dum fuſiùs aliquantò pertracto, oro vos, Viri eruditiſſimi, vt ſicubi fortè aberrauero, reprehendatis opportunè me, ac reſtituatis in viam: cùm nulla alia laborandum gratia mihi duxerim, quàm vt in omni quæſtione veritas explicetur. Alio igitur, hæc diuerticula Corn. Tacito quæſita ſæpiùs ad præcipiendum cùm alio nomine laudanda non ſint in Hiſtoria (id quod mihi ſepono in aliud tempus) hoc ſuſpecta eſſe debere, quòd plerunque calliditatis rationem potiùs, quàm veritatis habere videantur. Timidè id ego quidem pronunciarem, Auditores, de Scriptore laudibus ingenij, iudiciíque præſtante, niſi hic eſſet Corn. TACITVS, de cuius fide ambigi à magnis viris obſeruaſſe. Immemorem, ſecúmque pugnantem nominat, oſtẽdítque non ſemel Tacitum Iuſtus LIPSIVS. arguit tanquam ſectantem veri ſpeciem relicta veritate BONAMICVS Philoſophus, mendacem, inuidúmque Cæſar BARONIVS confutat. eóque illum crimine inſimulat Cælius RODIGINVS. eodem mendacij vitio Marſilius FICINVS accuſat. falsũ in hiſtoria Dion NEPOS appellat atque vt alios omittam, TERTVLLIANVS, qui vno ſer-

De Tacito aliorum iudicia. In Notis. In ſermonibus poët. ſer. 5. de veriſim. To. 1. Annal. lib. 21. c. 24. De Chriſt. Relig. cap. 35. In vita Pro. Imp.

In Apologet. c. 16. mè ſeculo minor Tacito fuit, mendaciorum loquaciſſimum vocat. Et verò ſi quis Annales eius, aut Hiſtorias expendat, non impoſitam homini falsò calumniam fortaſſe reperiet. Vultis eorum aliqua, quæ inter legendum aut animaduerterim ipſe, aut animaduerſa ab aliis obſeruauerim, proferam in medium? faciam ſanè quàm libenter, ita tamen, vt explorem potiùs eorum fidem, veſtræque ſapientiæ definienda relinquam, quàm vt quidquam ſtatuam ſuper iis arbitratu meo. Ob rem bene geſtã Numidáſque pugna fuſos Furio Camillo non triumphus, ſed inſignia triumphalia decernuntur, *multóſque poſt annos*, inquit Tacitus, *Furio nomini partum decus militiæ, nam poſt illum Reciperatorem vrbis, filiúmque eius Camillum penes alias familias Imperatoria laus fuerat*. Atqui ego ex eadem familia inter eum primum, atque poſtremum hunc Tiberio Principe Camillum, duos reperio Imperatores, qui Romæ triumpharunt: P. Furium Camillum Conſulem, quem de Gallis inſignem retuliſſe victoriam author eſt Polybius, numerátque Oroſius octo millia Gallorum cæſa, ſeptemdecim millia capta, eiúſque triumphi meminit Plutarc. & L. Furium Purpureonem, quem deuicto duce Pœno Amilcare de Gallis triumphaſſe docent præter Liuium, triumphorum tabulæ M. Verrij Flacci. Perge. negat Tacitus cùm de Claudio Principe dilatante Pomœrium loquitur à quoquam fuiſſe auctum, præterquàm à Sylla, atque Auguſto. *Nec tamen*, inquit, *Duces Romani quamquam magnis nationibus ſubactis vſurparunt, niſi L. Sylla, & Diuus Auguſtus.* At

Veritas extenditur in aliquot Taciti locis.

lib. 2. Annal.

lib. 2. 7

In Marcel.

lib. 12. Annal.

At quo modo? cùm interiectus Syllam inter & Auguſtum Iulius Cæſar Pomœrium auxerit, vt M. Tullius, & Dio, & Gellius, & ex ſuperiori ſeculo Andreas Fuluius, & Onuphrius, & antiquarij omnes atteſtantur. Et, ſi deeſſent alij, ſatis vnus eſſet M. Antonius, qui in oratione funebri, quã de Iulio Cæſare dixit, inter cætera ad commiſerationem, indignationémque accommodata, in ea vrbe Cæſarem extinctum per inſidias lamentatur, cuius vrbis Pomœrium latè protulerat. Quid illud? ſentit Tacitus Romulum fuiſſe Principem, qui Senatores maiorum gentium: Brutum, qui minorum appellauerit: cùm tamen ante Brutum reperiamus minorum mentionem: quos enim Patres adlegit Tarq. Priſcus minorum gentium nominatos Liuius alíique ex veteribus ferè omnes conſentiunt. quin antiquitatis indagatores Paulus Manutius, Onuphrius, alíique pro certo id habent, Onuphriúſq; etiam, ex M. Tullio perſuadet. Quid? cùm votum deſcribit, quod EQVESTRI Fortunæ conceperant Equites Romani pro incolumitate Auguſtę, nónne dicit: cùm Romæ inter multa eius Deæ delubra nullum tali cognomento eſſet, Antium, quo in oppido Ædes erat, quæ ita nuncupabatur; donum fuiſſe tranſlatum; & tamen erat Romæ templum Fortunæ EQVESTRIS, quod ducentis ferè ante annis Q. Fuluius Prætor bello Celtiberico vouerat; idémque mox Cenſor magnificè conſtruxit: cuius tum votum, tum ædificationem multis refert T. Liuius, eiúſque meminêre Vitruuius, Iulius Obſequens, Valerius Maximus, Pub. Victor, alij ferè omnes. Ei autem, qui templum

lib. 13. ad Att. lib. 44. Hiſto. lib. 13. c. 14. Apud Dion. lib. 11. Annal. lib. 1. lib. 3. An. lib. 41. & 42.

plum non extitiſſe ſuſpicaretur Tiberio Principe,conſumptum fortè incendio,ruináve;occurrit Iuſtus LIPSIVS ex Pub. Victore,occurrit MARLIANVS ex Vitruuio, occurro & ipſe non mala,vt mihi videtur,ex Valerio Maximo coniectura,qui inter neglectæ Religionis exempla Q. Fuluium enumerans, à quo marmoreæ tegulæ Iunonis Laciniæ in Ædem Fortunæ EQVESTRIS, quam Romæ faciebat,tranſlatæ fuerant; negat eum poſt hoc factũ mente conſtitiſſe:quin etiam per ſummam ægritudinem animi expiraſſe. Profectò ſi hæc ipſa Ædes de cælo tacta conflagraſſet,aut alia vi cócidiſſet,inter irati Numinis indicia,pœnáſque violatæ Religionis hoc quoque Valerius commemoraſſet. Sed hæc,quæ ſparſim attigi pauca de multis,ſingula quædam ſunt, & fortaſſe alicui videri poſſunt patrocinio digna; illa certè,quæ in libro Hiſtoriarum vltimo,tanquam in fundo hæsêre, vnum congeſta ſunt in locum plurima,apertiſſimáque mendacia. Narraturus Hieroſolymæ vrbis ſupremum diem Tacitus, congruens arbitratur primordia eius aperire: ac Iudæorum quidem originem aperit in hunc modum. *Iudaos Creta Inſula profugos nouiſſima Libya inſediſſe memorant, qua tempeſtate Saturnus vi Iouis pulſus ceſſerit Regnis. argumentum è nomine petitur. Inclytum in Creta Idam montem: accolas Idaos Iudaos vocari.* Falsò primum, ac penè pueriliter: nec vnquam Idam vidêre Iudæi. *Quidam regnante Iſide* (addit ille) *exundantem per Aegyptum multitudinem, Ducibus Hieroſolymo ac Iuda, proximas in terras exoneratam.* Commentitia omnia: nam quid hominis eſt, oro,

In Notis. lib.4. lib.1.

Expenditur liber vltimus Hiſtoriarum Taciti.

oro, iſte Hieroſolymus? nec Iudas habet hîc locum. *Plerique Æthiopum prolem, quos Rege Cepheo metus atque odium mutare ſedes perpulerit.* Inſcitè, ac fabuloſè: præſertim cùm Iudæi cane peiùs, & angue oderint Æthiopas. *Sunt qui tradant, Aſſyrios conuenas, indigum agrorum populum parte Ægypti potitos, ac mox proprias vrbes Hebraáſque terras & propiora Syriæ coluiſſe.* Falſa veris permiſta: neque enim Ægypto potiti ſunt Hebræi. *Clara alij Iudæorum initia: Solymos carminibus Homeri celebratam gentem condita vrbi Hieroſolyma nomen è ſuo feciſſe.* Nugæ: quaſi verò à Solymis Iudæis dicta ſit Hieroſolyma, cùm tantò ante eorum aduentum vrbs eo nomine diceretur. *Plurimi authores conſentiunt, orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, Regem Occorim adito Hammonis oraculo remedium petentem, purgare Regnum, & id genus hominum vt inuiſum Deis alias in terras auehere iuſſum.* Hæc verò tam contumelioſa, quàm falſa ſunt: cùm nulla tabes, nullum oraculum, nullus Occoris, nullum Principis Imperium fuerint Iudæorum fugæ cauſa. *Sic conquiſitum collectúmque vulgus poſtquam vaſtis locis relictum ſit, cæteris per lacrymas torpentibus, Moſen vnum exulum monuiſſe, ne quam Deorum, hominúmve opem expectarent ab vtriſque deſerti: ſed ſibimet vt Duci cæleſti crederent.* Impiè dictum, neque à Scriptore cætera culpante ſine reprehenſione prætereundum. *Aſſenſère, atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt: ſed nihil æquè, quàm inopia aquæ fatigabat. iámque haud procul exitio totis campis procubuerant, cùm grex aſinorum agreſtium è paſtu in rupem nemore opacam conceſſit. ſecutus Moſes*

ſes coniectura herbidi ſoli largas aquarum venas aperit. Veritas, tuam fidem; quàm anilibus enim te commentis corrumpit hiſtoricus! *Id leuamen & continuum ſex dierum iter emenſi, ſeptimo pulſis cultoribus obtinuêre terras, in quibus vrbs & templum dicata ſunt.* Sex dierum ?at, ſi neſcis, quadraginta iter illud annorum fuit *Effigiem animalis, quo monſtrante errorem ſitimque depulerant, Penetrali ſacrauêre.* Riſum, an itam teneatis amici? *Caſo ariete velut in contumeliam Hammonis.* Iam verò conſtipant ſeſe premúntque mendacia. *Bos quoque immolatur, quem Aegyptij Apin colunt. Sue abſtinent, memoria cladis, quòd ipſos ſcabies quondam turpauerat, cui id animal obnoxium. Longam olim famem crebris adhuc ieiuniis fatentur: ſeptimo die otium placuiſſe, quia is finem laborum tulerit: dein blandiente inertia, ſeptimum quoque annum ignauiæ datum: alij honorem eum Saturno haberi: ſeu principia Religionis tradentibus Idæis, quos cum Saturno pulſos & conditores gentis accepimus: ſeu quòd è ſeptem ſyderibus, queis mortales reguntur, altiſſimo orbe, & præcipua potentia ſtella Saturni feratur, ac pleraque cæleſtium vim ſuam & curſum ſeptimos per numeros conficiant.* Sed iam finis ſit in re propè infinita: tædet enim me planéque pudet, ſingulis hiſtoricum verbis tam prodigialiter audire mentientem. Enim verò, Corneli Tacite, ſi tibi vltima terrarum ſola, atque Orientis extrema commemoranda fuiſſent, aperiendáque origo gentis numquam Romanis armis aditæ, imò nec antea vobis auditæ; profectò in magna locorum ignoratione ſcribenti condonandum aliquid foret: at de natione dicebas toties

Taciti errata vix excuſãda.

ties à Romanis ſubacta:ad quam regendam quotidie migrabant ex Vrbe, remigrabántque Præſides: cuius captiuis ob recentem Titi triumphum plena erant Romæ propemodùm omnia: de qua ſcripſerat tam multa Flauius Ioſephus, nobilis in primis author, ſtatuámque ob ingenij gloriam in Vrbe meritus. huius ſi tu ſcripta (quæ Veſpaſiani, Titique filij iuſſu tradita iam erant publicæ Bibliothecæ) conſuluiſſes: ſi ſaltem captiuos paſſim,vt ita dicam, obuios de rebus ſuis interrogaſſes, vti ſolerté decebat hiſtoricum; audiſſes,opinor, ab iis,eſſe originem ſibi ab HEBER vno ex poſteris Noëmi, ab eóque Hebræos primùm dictos:deinde ab Iacobo, ſiue ISRAELE Abrahami nepote Iſraëlitas:demum ab IVDA vno ex Iacobi liberis Iudæos appellatos. audiſſes vrbem Hieroſolymam primò SALEM nominatam,poſtea captam à Iebuſæis adiuncto victorum nomine Iebuſalem, indéque Hieruſalem vocari cœptã, antequàm in Iudæorum poteſtatem, qui Pharaonis iugum excuſſerant, deueniſſet. audiſſes eorum ex Ægypto fugam, clara cælo, clara terræ, maríque prodigia, primordia Religionis, ſacrificiorum ac rituum cauſas, inſtituta, moréſque maiorum: quæ te compotem iam veri factum, non dubito quin adegiſſent, vt aut nugis poſthabitis ea tantummodo ſeligeres:aut ſaltem inter tam multa, hæc quoque non omitteres. ſic nimirùm in Iudæorum rebus ad poſteros tranſmittendis, & Hiſtoriæ veritati, & legentium oblectationi multò meliùs, quàm anilia iſtæc figmenta ex Apione Grammatico, quem Tiberius appellabat mun-

Hier. de Scrip. Eccl. Euſ. lib.3. Eccl. Hiſt. c.9.

Cur Iudæi appellati. Cur Hieroſolyma dicta.

Iudæorum fuga.

di

Plin. in præfat. ad Veſpaſ. Imperat. lib. 1. Annal. & Hiſtor.

di *cymbalum*, temerè congerendo proſpexiſſes. Sed nimirum in eam gentem odium, ſine quo tamen ſcribere te gloriari ſoles, in huiuſmodi conuicia atque commenta te compulit: mihíque planiſſimè perſuaſit, id quod aliunde in animum induxeram meum. Hiſtoriam à te ſuſceptam eſſe præceptorū causâ, in iiſque tradendis vigilaſſe te vbique multùm: in aliis verò partibus per incogitantiam prætériiſſe nonnulla, aliqua inuidè atque odioſè concinnaſſe, non pauca, quæ ad præcipiendum præmolirentur viam, de induſtria compoſuiſſe. Quamobrem videtis, Auditores, quàm non temerè de Cornelianis coniecturis ambigere me eáſque ſuſpectas mihi eſſe, ac ſubolere aliquid falſi paulo antè dicebā. nam ex iis, quæ manifeſtò tenentur, erratis, de aliis quorum dubia videtur fides, argumentum capere prudentiæ eſt. Quamquam has ipſas hominis coniecturas atque animaduerſiones (quod poſtremum eſt ex iis, quæ mihi propoſui ad dicendum) ſi per ſeſe, nullóque deriuato aliunde præiudicio exploremus, fortaſſe videbimus, quàm parùm in iis momenti, veritatíſque reſideat interdum. Neminem veſtrûm fugit, Auditores, Hiſtoriam ideo appellatam eſſe imaginem rerum, quòd quales in authoribus res erant dum gerebantur, tales appareant in ſcriptoribus dum leguntur: nihil vt ab his liberaliùs augendi, minuendíve ſtudio adiungatur, quod cum illorum facinoribus non adæquetur. Eſt enim hæc hiſtorico propoſita lex, & ſi Platoni credimus, INDE Hiſtoria nomen accepit, quòd præteritorum memoriam cæteroqui interituram ſiſtat apud poſteros. Quòd

De Tacito iudicium.

Hiſtoria cur dicta imago rerum.

In Phædro.

Quòd ſi inter narrandum multa de ſuo quis apponeret, non hic accepta poſteritati tranſmitteret, ſed noua propemodùm concinnaret. Atque hoc eſt, quod Tacito dandum vitio videtur; quòd aliqua narrationibus crebrò inſerat, non tam ad Hiſtoriæ curſum, quàm ad hiſtorici acumen cognoſcendum. Vt enim erat ille ingenio in aulis Principum ſubacto; ita occaſionem arripiebat identidem lectorem interpellandi, éáque docendi, quæ longo vſu homo non incallidus obſeruauerat: &, ſi minùs re acciderant, accidiſſe tamen probabile videri poſſet. Exemplo hæc ſint. Vita cedens Auguſtus heredem Imperij Tiberium legit. hîc mihi Tacitus, *Non hoc*, inquit, *charitate, aut Reipublicæ cura factum eſt: ſed quia arrogantiam, ſæuitiámque Tiberij Auguſtus introſpexerat, comparatione deterrimâ ſibi gloriam quæſiuit.* Vafrè id quidem, an verò hiſtoricè, videamus. Quem enim ſufficeret potiùs Auguſtus, quàm Liuiæ omnia moderantis filium? quàm priuignum, & generum? quàm rei militaris peritiſſimum? Induxerat quidem Auguſtus in Cæſarum familiam, adoptauerátque Caium, & Lucium, mox & Agrippam ex Iulia filia nepotes: ſed Lucio, Caióque duodeviginti menſium ſpatio defunctis Tiberius, & Agrippa ſupererant ex adoptatis. Vtrum ergo ex his eligeret? Agrippámne, ex vna parte neque ætate, neque experientia tantæ moli parem? trucem præterea, & accenſum ignominia, rudem bonarum artium, ſtolidéque ferocem? ex altera Auguſto adeò infenſum, vt authore Suetonio, ob ingenium ſordidum ac ferox eum abdicauerit, ſepo-

In Corneliani cōiecturis quantùm inſit momenti.

Lib. 1. Annal.

Suet. in Aug. c. 65. Agrippæ vituperatio.

Tacit. lib. 1. Annal.

Idem ibidem.

In Aug. cap. 65.

lib. 45. Hiſt. ſueritque Surrentum? vt addit verò Dio, ob ſeruiles eius mores, continuatámque nequitiam, non abdicauerit modò, ſed eius etiam facultates in ærarium militare retulerit, ipſum in Planaſiam Corſicæ propinquam Inſulam relegauerit? Hunc igitur quia non reliquit hæredem Imperij, Tiberij laudes. reliquit autem Tiberium, hoc eſt, ducem bellorum laude inclytum, qui deuicto Oriente, receptiſque ſignis, quę Craſſo ademerant Parthi: mox Vel. lib. 2. Suet. in Tib. c. 9. Rhetico, Vindelico, Pannonico, Germanico bellis feliciter adminiſtratis, exceptus eſt Romæ Idem cap. 16. nouo, nec antea cuiquam tributo genere honoris: qui toto Illyrico perdomito, grauiſſimum externorum omnium bellorum poſt Punica confecit: qui repetita ſuperatáque Germania, illatam Vel. lib. 2. ex Variana clade Populo Romano ignominiam incredibili prudentia, ac fortitudine deleuit vnus, Suet. in Tib. c. 18. Idem c. 17. cui ob res præclarè vbique locorum geſtas, præter inuſitatos honores ac triumphos, obtulit Senatus, vt INVICTVS cognominaretur. quem Auguſtus appellare conſueuerat modò virum forIdem c. 21. tiſſimum, prudentiſſimúmque ducem: modò peritiſſimum rei militaris, atque vnicum Populi Rom. præſidium: modò curas ac vota ſua, pro cuius ſalute obſecraret aſſiduè Deos, vt valere eum paterentur, ſi non Populum Romanum peroſi eſſent. Hunc, inquam, virum, quia, poſthabito Agrippa, heredem Imperij Auguſtus inſtituit, dicendus eſt, non charitate, aut Reipublicæ cura adſciuiſſe ſucceſſorem; ſed comparatione deterrima ſibi gloriam quæſiuiſſe? Et quem, rogo, ſi cura Reipublicæ Imperiíque bono eligere vnum ex omnibus voluiſſet, quem

Tiberio

Tiberio potiorem potuiſſet eligere? Nam ſi gloriam ſui ex aliena comparatione ſpectaſſet, non erat, quòd ab Agrippa diſcederet: ad quem eligendum non monere potuiſſet charitas in illum, quem odiſſet: nec ſtudium Reipublicæ, cui adminiſtrandæ imparem eum noſſet ob ætatem inertiámque, ac ſeruile ingenium. At hæc opinio de Auguſto adſciſcente Tiberium ſucceſſorem, non fuit Cornelij Taciti coniectura, ſed aliorum ſermo in eum modum interpretantium Auguſti mentem. Quaſi verò Tacitus inſolens ſit attribuendi aliis, quod ipſe vnicè ſentiat. nam ſi hic fuit hominum ſermo, quî latuit Velleium Paterculum ea tempeſtate degentem in aula? quî Suetonium Tranquillum? quî Dionem Caſſium? quî Sex. Aurelium? quî alios ſcriptores? Imò Velleium lego ita ſcribentem: *Non eſt diu cunctatus Cæſar Auguſtus: neque enim quærendus erat, quem legeret, ſed legendus qui eminebat.* lego Suetonium, hac ipſa de re ſentientem in hunc modum: *Agrippa abdicato atque ſepoſito, certum erat ſpem ſucceſſionis incumbere vni Tiberio.* lego Sex. Aurelium in hæc verba idem confirmantem. *Satis prudens in armis, ſatiſque fortunatus ante ſuſceptum Imperium ſub Auguſto Tiberius fuit: vt non immeritò Reipublicæ dominatus ei committeretur.* Quòd ſi Dio eius rei meminit, atque hanc ipſam nonnullorum ſuſpicionem affert de Auguſto; tamen, cùm non ſub illius obitum (id quod Tacitus affirmat) ſed pòſt multo fuiſſe hunc populi ſermonem apertè ſic ſcribat, *Verùm hi rumores ſeriùs in vulgus dari cœperunt*; veriſimile ex hoc etiam capite mihi fit, non ante

lib. 1. Annal.

lib. 2.

In Tib. c. 15.

In Tib.

lib. 58. Hiſt.

ſcriptorem Tacitum illud in cuiuſquam animo, aut ratione fuiſſe. Imò ad Tacitum refellendum reſpexiſſe crediderim Suetonium; dum, *Nec illud*, inquit, *ignoro aliquos tradidiſſe, Augustum ambitione tractum, vt tali ſucceſſore deſiderabilior ipſe quandoque fieret. adduci tamen nequeo, quin exiſtimem circumſpectiſſimum, & prudentiſſimum Principem in tanto præſertim negotio nihil temerè feciſſe: ſed, vitiis virtutibúſque Tiberij perpenſis, potiores duxiſſe virtutes.* idque multis, grauibúſque coniecturis toto illo cap. perſuadet. Hoc autem vti dicebam, quàm non temerè ego quidem referam ad Tacitum, qui æqualis fuit Suetonij, paulo tamen ante illum ſcripſit Hiſtoriam, facilè animaduertet, qui redargui à Suetonio Tacitum non rarò alibi obſeruauerit. Sed video, quid hîc tandem afferre poſſint aliqui, Tacitum non malè de Augoſto perſuaſiſſe illud ſibi: quippe veriſimile eſt (vt ſunt homines gloriæ cupidi) ex malo ſucceſſore famam nominis ſui augere eum voluiſſe. Itáne verò, dum ad Hiſtoriæ veritatem accedere me exiſtimo; ad hiſtorici neſcio quæ vaticinia, & commentationes alliſdor? Ergo Hiſtoriæ fidem huc reuocas, vt non tam vera, quàm veriſimilia conſectando cum Poëſi confundas Hiſtoriam? Et tamen hoc ipſum diſcrimen, cùm Hiſtoriam inter ac Poëſim author ſanè probabilis Ariſtoteles afferret; negauit, eam quæ vera & facta contexeret, Poëſim eſſe, quæ non facta, ſed factis ſimilia narret, eſſe Hiſtoriam. Nec aliam ob cauſam Cyri vitam à Xenophonte compoſitam negant Hiſtoriam eſſe; niſi quia perfecti Regis forma ſibi ante

Tacitus redarguitur interdum à Suetonio.

Diſcrimẽ inter Hiſtoriam & Poëſim.

In Poët.

te oculos poſita, dum ille æquè laborat vera de Cyro,& paria veris prædicare; non ad Hiſtoriæ fidem, ſed ad iuſti ſpeciem Imperij Regem regnúmque deſcripſerit. Et verò ſpectaſſe Tacitum potiùs veriſimilitudinem, quàm veritatem, vir eruditus in paucis, ac Philoſophus profectò nobilis Bonamicus ante me ſcripſerat in hunc modum: *Falſum ego quidem appellò Cornelium Tacitum, quòd diuerticula quædam ad differendum plus æquo quærat, ſectetúrque nimiùm vmbras, veriſque ſimilia, quæ re ipſa vera non ſunt: quo nihil eſt ab Hiſtoria magis alienum.* Quòd ſi ad hæc addamus, neque etiam ſimilitudinem veri ſolidè tenuiſſe Tacitum in hac interpretatione,vt ſuprà aduersùs illum cæterorũ teſtimoniis Hiſtoricorum,ac ratione ipſa pugnauimus; quid ſupereſt, niſi vt ad extremum conficiamus:ad hoc hominem impulſum cupiditate docendi,exercendíque quas intimè callebat artes atque argutiolas?nempe vt loco ſuggereret arcanum Tyranno quàm Regi aptius,eſſe è re famáq; Principis,ſi ſibi deteriorem ſubſtituat; optimum factu exiſtimauit in Auguſto Tiberium adoptante eam cauſam mercémque diſtrahere, ſéque πολιτικώτερον opportunè venditare. Saltem (quando iam ſiue ex ſua, ſiue ex aliena ſententia exitiale præceptum obtruſerat, dixerátque Tiberium non adſcitum Reipublicæ causâ)ſubieciſſet in contrariam partem,Auguſtum iuraſſe in concione,SE Reipublicæ causâ Tiberium elegiſſe;id quod de Agrippa eadem die adoptato non addidit, retuliſſet aut exercitus plauſum excipientis in Gallia Tiberium, eúmque antè meritis, ac viribus, quàm

Cõſilium Taciti in ſcribenda Hiſtoria.

In ſermonibus Poët. ſer. 5. de Veriſim.

Vell. li. 2. Sueton. in Tib. c. 21.

Vell. li. 2.

D 3 nomi

nomine Cæſarem conſalutantis: aut eorundem militum iudicia coram Auguſto ad Tiberium transferentium illud Ennianum,

Vnus homo nobis vigilando restituit rem.

Sueton. in Tib. c.21. Vell. li. 2. ſubdidiſſet aliorum dictum de moderatione Tiberij, qui cùm ſeptem triumphos meruiſſet, tribus contentus fuerit, meminiſſet complurium Auguſti litterarum, quibus nihil ſe non ſperare Tiberio comite, nihil non timere Sueton. in Tib. c.21. illo deficiente: in eóque vno ſalutem Imperij Romani poſitam eſſe teſtatur. Hæc ſaltem ſi ex altera parte non omiſiſſet, non modò æquiùs induxiſſet hominum ſermones, non modò notam vitaſſet vaticinantis hiſtorici; ſed crimen etiam ingenij trucis, ac deteriorem vbique partem conſectantis effugiſſet. Quo in genere accipite illud interpretantis perperàm hiſtorici documentum. lib. 4. Annal. *Cor. Cethego, & Vitellio Varrone Coſſ.* inquit Tacitus, *Pontifices, eorúmque exemplo reliqui Sacerdotes, cùm pro incolumitate Principis vota ſuſciperent, Neronem quoque, ac Druſum Germanici filios iiſdem Diis commendauêre, non tam charitate iuuenum, quàm adulatione, quæ moribus corruptis, perinde anceps ſi nulla, etſi nimia eſt.* Audio cauſam, audio & præceptum: ſed in illa veritatem, in hoc opportunitatem requiro. Nam quomodo id adulatione, & non potiùs beneuolentia factum fuiſſe putandum eſt, cùm aliàs offenſionem lib. 3. Annal. Tiberij ſubire (Tacito ipſo teſte) non dubitauerit Populus Romanus amore Germanici, eiúſque ſobolis: quem amorem, fauorémque præ ſe perpetuò tulit, quamquam Liuia, Tiberióque, ac Seiano indignantibus? Nónne idem

Tacitus

Tacitus in funere Germanici deſcripſerat accenſa præter modum ſtudia hominum in Agrippinam, *illam decus patriæ, ſolum Auguſti ſanguinem, vnicum antiquitatis ſpecimen* appellantium? rogantiúmque Deos, vt *integram ei prolem, ac ſuperſtitem iniquorum eſſe vellent*? quin etiam tota vrbe clamitantium *concidiſſe rempublicam, nihilque ſpei reliquum*? idque tam promptè ac apertè, *vt non meminiſſe imperantium* viderentur? Nónne *quo primùm die forum ingreſſus eſt Druſus*, inquit idem Tacitus, *congiarium plebi datum admodùm læta, quòd Germanici ſtirpem iam puberem adſpiciebant*: Imò nónne laudante Tiberio pro Roſtris defunctum filium, *Senatus Populúſque* (vt idem inſcribit) *habitum ac voces dolentum, ſimulatione magis, quàm libens induebat, domúmque Germanici reuiuiſcere occulti lætabantur*? Quid ergo Tacitum mouit, vt immemor ſui diceret, Druſum & Neronem publicis votis inſertos non tam charitate iuuenum, quàm adulatione, niſi PRONVM hominis ingenium ad obtrectandum, atque ad argutum & callidum aliquid, qua data cumque occaſione præcipiendum? Nec illud melius eſt, quod ſuprà indicaui. Reliquit Auguſtus in Imperij rationario conſilium: ne ſucceſſores proferre vellēt Imperij fines. Quod ſalutare monitum magnopere commendatum ab Hiſtoricis reperio; cauſámque lego apud Dionem in hunc modum: *Cùm difficulter Imperium tantum ſeruari poſſit, periculum fore, ne plura appetentes parta quoque admitterent.* addítque idem Dio, *Hoc non verbis modò, ſed re ipſa ſeruaſſe conſtat Auguſtum: namque etſi plurima barbarorum ſui iuris poterat efficere,*

Ibidem.

lib. 3. Annal.

lib. 4. Annal.

lib. 1. Annal.

re, numquam tamen voluit. Et Auguſto quidem ſimiles Imperatores potiùs cupiebant augere dignitatem, vt ait Appianus, quàm propagare Imperium inter barbaros, gentem inopem minimæque vtilitatis. *Quorum ego, inquit, nonnullos vidi Romam miſſos ob id, vt ſe ſuáque Romanis dederent, neque Imperatorem admittentem, ſed vt inutiles ſponte recuſantem. Plurimis quidem nationibus Reges ſtatuunt Romani; nihil his ad Imperium indigentes.* Vt ſanè non immeritò Auguſtus ipſe hoc conſilium pluribus extollat apud Iulianum in Cæſaribus dicátque: iis terminis impoſitis conſuluiſſe ſe in poſterum Reipub. adamantinúmque reddidiſſe Romanum Imperium. Cuius qui deinde clauſtra laxarunt, magno rei Romanæ malo experti ſunt, quantùm in ea admonitione prudentiæ foret, vt apud Zoſimum alicubi legimus. Et tamen hariolus noſter, *Addiderat*, inquit, *conſilium Auguſtus coërcendi intra terminos Imperij: incertum metu, an per inuidiam.* En quo læuum ingenium flexit, cùm cæteri probauerint Auguſti conſilium, quòd nimia vaſtitas perinde Imperiis atque corporibus periculoſa eſſet temperatique meliùs ac defendi iuſta amplitudo, quàm immodica poſſet; homo ad maledicendum æquè procliuis atque aduersùs commendationem probationémque rectè factorum implacabilis, quod erat cautionis & prudentiæ, metum; quod beneficentiæ & amoris, inuidiam interpretatus eſt. Denique, vt exemplis, quæ alia naſcuntur ex aliis, modum quandoque faciam; mos erat Tiberio Præſides raro mutare, ac pleroſque ad finem vitæ in iiſdem exercitibus, ac prouinciis habere: adeò

In Proœ. Hiſt.

lib. 2. & 3.

lib. 1. Annal.

adeò, vt, teſte Flauio Ioſepho, toto Imperij tempore, id eſt, viginti trium annorum ſpatio, duos Iudæis Rectores impoſuerit, Gratum Pontiúmque: nec ſe aliter geſſerit in aliis prouinciis. Cauſam huiuſce moris ac moræ hãc à Tiberio redditam amicis ſciſcitantibus affert Ioſephus Veſpaſiani familiariſſimus, aduersùs quem inter præcipuos Iudæorũ Duces bellum geſſit Nerone Principe ſcripſitque triginta fermè annis ante Cornelium Tacitũ. Poteſtates ſemel conſtitutas ideo ſinere ſe Tiberius aiebat, vt pareatur ſubditis ciuitatibus: cùm enim natura omnis Magiſtratus ad auaritiam ſit pronior, ſi diutiùs eo fruantur, ſatiatos lucris, ſegniores ad rapiendum fieri: quòd ſi ſucceſſor immineat, non ſuffecturos eorum auiditati prouinciales: dum deceſſor tantò magis ſpoliat, quantò minùs temporis ad hoc agendum ſibi putat reliquum. Vtebatúrque hac ſimilitudine. Conſauciati cuiuſdam vulnera muſcæ confertim ingruentes operuerant; eum quidam fortè præteriens miſeratus eſt, exiſtimans languidiorem, quàm vt illas poſſet arcere: accedénſque propiùs parabat eas abigere. orante autem ſaucio, vt ſe ſic eſſe ſineret; quæſiuit alter cauſam, cur liberari ea moleſtia nollet. tum ille; Imò his abactis, maiorem tu mihi moleſtiam faceſſeres: nam hæ iam ſaturatæ ſanguine remiſerunt nonnihil; quòd ſi harum loco recentes famelicæque ſuccederent, opinor, me peſſimè antè affectum facilè conficerent. Quare ſe quoque dicebat Tiberius hac ratione conſulere populis eorum auaritia & rapacitate vexatis, qui more muſcarum eos infeſtarent: præſertim ſi

Antiq. Iud. lib. 18.

Idem ibidem.

Tiberij Imp. reſponſio.

Apologus.

D 5 ad

ad innatam cupiditatem metus accederet citò deponendi Magiſtratus Quem apologum, ſed modicè detortum, déque brutis animantibus Æſopico more conformatum legerat, credo, Tiberius apud Ariſtotelem in eandem ſententiam. Sed nugamur ſcilicet, qui hiſce de rebus Ioſephum conſulimus, quamquam litterarum æquè, ac armorum gloria nobilem, Græcúmque Liuium, vt Hieronymus appellare conſueuerat. Ipſum potiùs Cornelium Tacitum ſagacem in primis ad indaganda conſilia coniectorem, quid ſuper Tiberiana cũctatione vaticinetur, audiamus. *Cauſa*, inquit, *variæ traduntur: aut tædio nouæ curæ ſemel placita pro æternis ſeruauiſſe: aut inuidia, ne plures fruerentur: aut demum, quia vt callido ingenio erat Tiberius, ita anxio iudicio, neque eminentes virtutes ſectabatur, & rurſum vitia oderat: ex optimis periculum ſibi, à peſſimis dedecus publicum metuebat.* Proh! facundúmne dicam, ingenioſúmque cauſarum inuentorem atque interpretem, an infenſum omnibus ſcriptorem, planéque μισάνθρωπον? Nam quæ iſtæc obiurgandi libido aut liuor eſt, omnia ſequius accipere, tótque inter cauſas, quas traditas vulgò dicit, hanc ciuilis probíque moris vnam omittere, quæ aut ſola, aut vnà cum aliis, Ioſepho ſaltem ſcriptore, ac duce clariſſimo iiſque temporibus propiore tradebatur? Sed quis non videt, hîc atque alibi non tam Tiberij, quàm ſcriptoris aperiri conſilia? quis non intelligit quod iam ſæpiùs queror, hiſce commentis non afferri præteritorum coniecturas, ſed futurorum præcepta monſtrari? neque ea ad regendam humanam vitam, ſed ad perturbationem te-

lib. 2. Rhetor.

lib. 1. Annal.

Taciti ingenium.

ne

nebraſque rebus omnibus inducendas ? quis non ſentit, hanc ſcribendi viam de induſtria initam ſiue ſimulatione odij aduersùs imperantes, quod ſpeciem haberet libertatis: ſiue obtrectationis affectatione, quę pronis auribus exciperetur: ſiue calliditatis inſinuandæ ſtudio, quod apud homines ſtatus ſui rationibus peruersè conſulentes facilem aditum inueniret, ac legis inſtar futurum eſſet ? Sed iactet ſe Tacitus licèt, nihil à ſe more odióve narrari: pleroſque ſibi nec iniuria, nec beneficio cognitos deſcribi: omnia ſine ira & ſtudio, quorum cauſas procul habeat, à ſe tradi. Etenim ſicut odio, nimióque caſtigandi mores ſtudio multa dixiſſe ſatis conſtat: neque ipſe hanc notam (quippe qui ingenuus, libérque videri voluit) magnopere recuſauit; ita adulationem ambitionémque, fœda, vt ipſe ait, crimina ſeruitutis, me iudice, non effugit. Accipite, ſi placet, atq; hîc præcidam orationem meam, vnum, ſed inſigne adulationis exemplum. *Degebat Alexandriæ Veſpaſianus ſtatos Eteſiarum dies, & certa maris opperiens; cùm multa miracula euenêre, quibus cæleſtis fauor, & quædam in Imperatorem inclinatio Numinum oſtenſa eſt.* Quàm magnificè primùm, atque elatè: ſed videte quàm ſeriò, quàm ſine fuco. *Ex plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus genua eius aduoluitur, remedium cæcitatis expoſcens: precatúrque Principem, vt genas, & oculorum orbes oris excremento reſpergat. Alius manu æger, eodem Deo authore, vt pede ac veſtigio Cæſaris calcaretur, orabat.* Quid ad hæc Veſpaſianus? attendite quàm ille non vanè & ambitiosè. *Primò aſpernari lamentantes, mox obſecratione*

lib. 1. Hiſtor.

lib. 1. Annal.

lib. 1. Hiſtor.

li. 4. Hiſt.
Mira de Veſpaſ. Imper.

tione

tione miſerorum flecti, poſtremò rem æſtimari à Medicis iubet. Cautè enimuerò, ac ſapienter. quid tum poſtea? Vbi à Medicis pronunciatur, *Id fortaſſe curæ Diis, & diuino miniſterio Principem lectum; Veſpaſianus cuncta fortunæ ſuæ patere ratus, erecta quæ adſtabat multitudine; iuſſa exequitur. Statim conuerſa ad vſum manus, & cæco reluxit dies.* Quid vnquam humano maius, diuiniúſque tanta cum fidei veritatiſque profeſſione narratum eſt? ſic enim concluditur. *Vtrumque, qui interfuêre, nunc quoque memorant, poſtquàm nullum mendacio pretium.* O ſimplicem candidúmque Scriptorem! ô virum antiquę probitatis! ô fraudis ac doli ignaram animam! Et quod erat tempus opportuniùs interpretandi? qui commodior locus aut ingenioſas pauperum ſemper artes aperiendi, aut turpem aſſentationem Medicis exprobrandi, aut leuiſſimam Principum virorum de Diuinitate opinionem irridendi? Non me fugit hæc mira de Veſpaſiano ab aliis quoque fuiſſe memoriæ prodita. Sed neque etiam me fugit, ſolitum eſſe Cornelium Tacitum, quæ ab aliis ſimplici plerunque narratione, eóque hiſtoricè ſcribuntur, conſignare litteris non ſine interpretatione factorum, coniectione cauſarum, exploratione animorum. quibus ille artibus ſi voluiſſet hîc quoque vti, annon potuiſſet, & quidem verè congruentérque ſibi, fauorem illum cæleſtem, vt ipſe vocat, inclinationémque Deorum transferre ad præſtigias Apollonij Tyanæi Veſpaſiano amicitia coniunctiſſimi? quem Apollonium iis diebus Alexandriæ cum Veſpaſiano fuiſſe, atque huiuſmodi ludificationibus in admirationem ſui

Adulationis arguitur Tacitus.

ſui conuertiſſe Alexandrinos Philoſtratus commemorat. Sed nimirùm Veſpaſianus is erat, à quo familiæ ſuæ dignitatem inchoatam eſſe Tacitus gloriabatur: dandúmque aliquid fuit illius gloriæ, quæ demum in Scriptoris gloriam redundaret: vóſque hoc vno exemplo docendi eratis, Adoleſcentes, quantùm momenti ſit in iis authoribus, quos adulationi infenſos vulgò prædicant multi, in iíſque ſub liberæ ſeueritatis nomine malignitatem amant. lib.5. lib.1.Hiſt.

Quòd ſi hæc aſſentationis acceſſio fiat ad reliquas eorum virtutes, quidni eos longè inferiore poſthac loco habeatis, deſpiciatiſque, non perinde quidem omnes, cùm inter acutos ſanè Scriptores illorum aliqui, certè Tacitus prima cum laude numerandus ſit; ſed aut ad eos legendos firmato aduersùs calliditatem animo accedatis: aut penitùs, ſi quidem MEDIA iſtæc conſilia plerunque nulla ſunt; ab eorum amore, ac ſtudio recedatis? Non ſunt, mihi credite, Rhetores, non ſunt tanti, vt ſimplex iſta candidáque animorum veſtrorum fides, iſte ingenuus, qualíſque viros nobiles, id eſt, veſtri ſimiles decet pudor, tentari debeat horũ fraudibus veteratorum. Habent hoc illorum præcepta, ſi neſcitis, vt primùm neſcio quo dictionis illicio legentem obtineant, & quibuſdam ſententiarum acuminibus haud ingratè vellicent: mox, vt ſunt ad prudentiæ ſimilitudinem facta, ad res quotidianas obuia ſimilitudine commodè referantur, paſſímque in hominum corona tanquam effata Sapiẽtiæ communicentur: demum lectione, æſtimationéque in imitationem verſa, alumnos ſuos ſimilium Hiſtoriæ nõnullorum noxiæ per ſpeciem tradendæ prudẽtiæ.

exem

exempla occultè doceant, ac breui politicæ calliditatis artifices præceptoréſque conforment. Et verò è bipartita illa, quam initio propoſui, claſſe, qui ita tranſiliũt Hiſtoriæ fines, vt ciuis boni nomen haudquaquam violent; ſaltem, ſi ſpatiis excluduntur hiſtoricorum, habent quò ſeſe inter morales Scriptores cum dignitate recipiant. Quamquam enim rebus geſtis affingunt aliqua, tamen ſimulacrum tacitè meditantur, ad cuius imitationem ſe lectores explorent corrigántque, atque idcirco quæſitis illud virtutibus expolire nituntur. Hoc modo Cyrum, quem mediocri fuiſſe litteratura, aut etiam nulla, Plato ſenſit, Xenophon, vt non ad Hiſtoriæ filum opus dirigebat, litteris perbene ac diſciplinis imbutum neſcio qua motus coniectura propoſuit; ne in Rege, quem Regum exemplar eſſe voluit, principem contempſiſſe partem non ſine legentium detrimento videretur. At verò iſti, qui per ſpeciem tradendæ prudentiæ, ſecretiora quædam fallendi præcepta, fraudéſque aulicas ingenioſè commonſtrant, ita (odióne generis humani, an obtrectationis dulcedine?) Hiſtoriarum materiam eligunt aut hominum poſtremos, & commentationibus ſuis infra poſtremos reponunt: aut ambiguæ, ſæpe etiam honeſtæ famæ viros; atque eos interpretationum neſcio quibus præſtigiis occultè conuerſos, in arrogantiæ & calliditatis exempla commutant; vt ex iis, qui ad illos legendos accedunt, nonnulli quidem ad deteſtationem excitentur, plures tamen ad imitationem alliciantur, nemo eoſdem mores efferat, quos attulerat. Quare nolite, per Deum, tanto cum

Duplex errantium claſſis in Hiſtoria.

De legibus dial. 3.

Vera claſſis hiſtoricorum peccet grauiùs.

cum diſcrimine tam leuem auram prudentiæ, támque inciuile Politici nomen affectare. nolite æqualium veſtrorum ſocietatem, dulcémque amicorum conſuetudinem, morum ſimulatione, importuníſque ſuſpicionibus inſuauem reddere. nolite generoſos animorum impetus, qui vos ad plurimorum commoda, publicámque ſalutem ferunt, in neſcio quibus priuati ſtatus rationibus lucróque planè illiberali retinere. &, quod caput eſt, nolite Pietatis facem, QVÆ Regia via incedentibus præit, aliò per diuerticula præpóſteræ vtilitatis abrepti non ſine ruinæ periculo declinare. Quantùm à vobis Religio primum pectoris humani bonum: quantùm Fides ſocietatis humanæ vinculum: quantùm Patria fortunis ac vita potior expectant, ac flagitant: quantùm hic ipſe locus, atque hoc Rhetoricæ Templum expoſcit, quod Ariſtotelis ſententia, ſicut ab dominatrice omnium Politica fundatum eſt, ipſíque olim huius Templi cultores Politici appellati ſunt; ita vos à priuatis commodis exemptos ad Politicum, id eſt, publicum bonum conuerſos cupit; tantùm efficite, ne inter hæc Annalium Hiſtoriarúmque monumenta, humanæ contemptum Fidei, ne iuris æquitatíſque neglectum, ne obliuionem Religionis à Religioſis præceptoribus tanta cum veſtra iactura, noſtróque dedecore didiciſſe videamini. Hoc ipſe ad extremum (ſi quid gratiæ apud auditores inire nouitas poteſt) oro, quæſóque Rhetores meos, gloriari vt poſſim, me primo cum iis congreſſu è duobus, quæ propoſui, vtrumque impetraſſe: & à malorum ciuium ſtudio abſtraxiſſe bonos:

lib. 1. Rhet.

nos:& à politico hiſtoricorum Senatu, bonorum ſuffragio hiſtoricos amouiſſe malos: vtrobique verò Hiſtoriam, quod erat mihi deſtinatum, à calumnia liberaſſe.

PROLVSIO III.

An Poëtæ dicendi ſint obſcœnorum carminum ſcriptores.

NOMEN hodiernæ diſputationis animo præcipiunt, opinor, ij, qui ſuperiorum annorum, inſtitutique mei recordantur. Etenim hoc mihi pridem conſilij fuit, pro ea, quam profiteor, Arte, ſic apud nouos auditores dicere, vt ſi quid illi anticipatum mentibus ſuis afferrent aduersùs Rhetoricæ facultatem, in ipſo ſtatim limine deponerent, ac Templum hoc Eloquentiæ ſecuro erectóque animo ingrederentur. Id ego vt commodiùs certiúſque perficerem, multa in vnam hanc Artem obiecta conglobatim crimina, quaſi confertam hoſtium aciem ſcitè ſeparaui, aliaque in Oratoriam, in Hiſtoriam alia, alia in Poëticam intentata diſtraxi; vt Horatiano exemplo par eſſem fortaſſe ſingulis, qui me imparem facilè noueram vniuerſis. Egi itaque pro Oratoria primùm, ingeniúmque ac iudicium, quas partes non nemo ſatis inclementer, atque illiberaliter Oratoribus auferebat, perpetua eſſe ac propria eloquentium demonſtraui: deinde Magiſtram vitæ Hiſtoriam à calliditate politica ſeiunxi. Poëſis relicta demum eſt, quam hodie in thea

theatrum hoc Sapientium dabo, vobíſque arbitris (Viri litterarum iuxta, ac honorum gradu clariſſimi) ſuo illam cum hoſte libétiſſimè committam. Separanda mihi eſt in præſentia à pudica & proba Poëſis amatoria turpiſque: imò quæ impudica eſt, Poëticæ nomine, in quod inuaſit, exuenda, ac malas inter artes meritò collocanda. Etenim nobiliſſimæ facultati hoc iampridem vitio dari animaduerto: quòd eius in ciuitate nullus penè ſit vſus, niſi vt numeris liberè laſciuiétibus animos adoleſcentium pelliciat, obſcœnæque aucupio voluptatis irretiat. adeò vt Philoſophorum alij ex artibus ciuium bono repertis Poëticam ſeriò & conſtanter excluſerint: alij volumina de Poëtis cautè legendis audiendíſque conſcripſerint, negauerintque inducendos in eorum opera adoleſcentes, niſi certis antea præceptis: quaſi aduersùs venena remediis inſtructi eſſent. Quod ſanè malum adeò creſcit in dies, adeò deformia & fœda carminum portenta noſtra hæc ætas videt, adeò POSTREMI quique Poëtarum lutulenti fluunt, hauriúntque de fæce; vt ſanctum Poëtæ olim nomen timidè iam à bonis vſurpetur, perinde quaſi honeſto ingenuóque viro Poëtam ſalutari conuicio, ac dehoneſtamento ſit. Quare, vt hac dedecoris nota, pro eo ac debeo, Poëticam liberem, non ego huic Poëtarum generi obiiciam operum ſuorum turpitudinem, eóſque à ſcribendo infamiæ metu, aut iniecta Religione abſterrebo: nam hoc ipſi à Religioſo præceptore facilè expectāt, ac minoris faciunt, pro ciuibus haud ſanctiſſimis haberi ſe, modò Poëtæ interea laudem, laurúmque

Quid Poëſi obiiciant aliqui.

Plato dial. 2. de Repub. Plutar. de audiend. Poët.

retineant. Sed hoc ipſum vrgebo quantùm potero, in eámque, qua dolent ac reformidant, partem ego ferrum dirigam, atque oſtendam; iſtuc opificium, ſi neſciant, Poëſim veram germanámque non eſſe, ac proinde licere illis, abiecta è capite laurea, abire Poëtarum choro. Hoc autem quia intelligo nouum videri non paucis, contráque me eſſe totam, vt ipſi aiunt, nationem Poëtarum: ideo date mihi hoc, Viri ſapiētiſſimi, vt relictis in præſentia factis in ſpeciem argumentis, vendibilíque genere dicendi, noua forma orationis aggrediar ſeuerè cauſam, eámque Philoſophiæ ſuffragio definire contendam. In quo ſi me maius aliquid molientem nerui deficient, ac vires; conſolabor ipſe me operis pulcherrimi aggreſſione, laudíſque fortaſſe nonnihil, quòd primus id conatus fuerim, apud æquos rerum æſtimatores impetrabo.

Ratio ac forma dicendi in hac proluſione.

Rem porrò totam, vt conſilij mei ſumma facilè meatur, ita paucis ratiocinando conficio. Poëſi non licet auertere ſe à felicitate ciuium alióve tendere figmentis ſuis: quod ſi faciat, haud videtur Poëſis vſquequaque nominanda: hoc autem fine carere cùm videam impudicum Poëma, quid ſequitur, niſi vt (ſi hæc duo vera ſunt) eos, qui impuris carminibus imitantur, integrè, abſolutéque Poëtas non eſſe pronunciem? Ac felicitatem quidem (vt priori loco aggrediar ad id, quod in ratiocinatione prius eſt) eſſe Poëſi propoſitam, deduco ex eo, quòd artes, quæ exercentur in ciuitate, ita famulantur ciuili ſcientiæ, felicitatis humanæ cōtemplatrici ac præſidi, vt parem ſortitæ omnes finē ad ciuium bonum

Summa huius diſputationis.

Felicitas finis ciuilis facultatis.

pariter

pariter conſpirent. Nam cùm ciuilis facultas perfectum ciuitatis ſtatum, ciuiúmque beatitudinem moliatur,ídque conſequi haud poſſit abſque diſciplinarum opera reliquarum; dubitandum non eſt, quin ſingulæ artium, partem huius in ſe muneris deriuantes, in hanc denique populorum ſalutem, fortunámque collineent. Atque adeò conſtat Poëticam, quæ vna ex hiſce artibus eſt,in parte huius operis occupatam, laborare & ipſam circa publicam felicitatem. Sed nondum quod propoſui planè confeci: ita enim ſtatuo Poëticæ finem ciuitatis bonum,vt negem, partibus expletam omnibus, numeríſque ſuis eã eſſe Poëſim,quam ad hunc finẽ Poëta nõ referat. Quod ex magno vtique ingeniorum pari ſuadeo in hunc modum. Etenim Ariſtoteles cùm dixiſſet in Ethicis,artes omnes ſubeſſe Politicæ facultati, hoc eſt, artium Reginæ, in primis verò cæterarum, vt ipſe ait, honeſtiſſimas, Militarem, Oeconomicam, ac Rhetoricam; addit, ad Policam pertinere non ſolùm,vt quæ in ciuitatẽ retinendæ ſint artes, quáſque addiſcat vnuſquiſque; & quatenus ipſa definiat;ſed vtatur etiam actuoſis,atque operum conficientibus diſciplinis, eíſque leges ferat,quid agere ſingulę debeant,quídve reſpuere,ideóque ab huius ſcientiæ fine, fines aliarum contineri; hunc autem eſſe humanum bonum.Quibus ex verbis colligit bonus,vt opinor, indagator Ariſtoteleæ ſententiæ D. Thomas,imperium ciuilis ſcientiæ in reliquas diſciplinas magnum quidem eſſe, ſed eſſe longè minus in contemplatrices ac rationales, quas in cognitione,& æſtimatione rerum poſitas, θεωρητι-

Artium finis.

lib. 1. c. 1. & 2.

Quale, quantúmque ciuilis imperium in reliquas artes.

Lect. 1. & 2. in 1. & 2. c. Eth.

καὶ Græci vocant; quàm in effectrices, & vt iidem appellant, πρακτικὰς, hoc eſt, cõſummationi operum addictas. Nam iis, quas poſteriore loco dixi, artibus Politica facultas præcipit, tum quod ſpectat ad earum vſum, vt vel exerceant artificium, ſi in rem ciuitatis ſit, vel ab eo, ſi ſecus, abſtineant; tum quod pertinet ad operis deſignationem, deſcriptionémque: vt faber non ſolùm gladios ac venabula fabricetur, ſed ita etiam fabricetur, vti ipſa imperarit: ideóque æris temperaturam, ac teli formam modúmque præſcribat artifici. At verò rationalibus diſciplinis ea tantùm, quæ ad earum vſum faciunt, non quæ ſpectant ad operis naturam iubet. Nam vt aliqui in ciuitate tradant Mathematicorum doctrinam, aliqui addiſcant, Politica præcipit: vt verò de triangulo hæc aut illa concludantur, minimè præcipit. Quæ me dicta Sapientium compellunt, vt ita mecum fortaſſe non inſcitè ratiociner. Si ſcientia ciuilis exercet imperium non ſolùm artis vſum imperando, ſed ſæpe modum operis definiendo, ſéque in ipſa artis præcepta inſinuando; dominari dicenda eſt in naturam artis, eámque ſic regere, vt ars non in aliqua re externa, ſed in ſe ipſa, naturáque ſua à præſcripto Politicæ pendeat. Quare ſi, quod hæc artium domina ſtatuit, artifex non ſeruet, hunc non ciuem modò malum, ſed malum quoque artificem appellabo, quia in ipſa artis ſuæ natura peccantem deprehendo. Iam verò cùm Rhetorica principes inter artes numeretur ab Ariſtotele, quibus, vt Magnus Aquinas aiebat, non modò vſum artificij, ſed modum quoque in vſu Politica dirigit:

Poëſis quomodo Politicæ ſubiecta.

git:

git: profectò ſi Rhetor contra huius imperantis ſcientiæ præceptum aget, in artificio illum ſuo peccare, atque adeò imperitè, ac perperàm exercere eam, quam profitetur, Rhetoricam affirmabo. Phrinicum Poëtam (vt ſcribit Herodotus) quòd Miletum captam, euersámque Athenis dediſſet in theatrum, atque à ſpectatoribus ægrè ferẽtibus amicorũ cladem lacrymas vbertim elicuiſſet; Atheniẽſis Magiſtratus mille drachmis multauit, quòd importunè refricuiſſet domeſticum malum: addito interdicto; Ne quis in poſterum eam Tragœdiam referret. Hoc ſcilicet edictum, imperiúmque Magiſtratus in Poëticæ vſum, atque exercitationem fuit. Perge: præcipit ſub Politici perſona in libris Politicorum Plato, vt Poëtę melioribus addicti peiorum exempla ne putidiùs conſectentur: néve vnquam voluptuoſam laſciuire Muſam ſuis in carminibus patiantur, ne fortè voluptas in ciuitate pro lege, ac ratione dominetur. Præcepta hæc, vt video, temperãt imitationis modum, artémque Poëſeos intimam moderantur. fac Poëtam huic imperio non parere, fac amatorio imitantem carmine laſciuire; facies etiam imitationis hunc ſuæ præcepta violare. Atqui imitatio Poëticæ natura eſt: ita ſanè. quo ergo modo cum imitatione nõ bona, Poëſis ac Poëta non malus ſit? Quare liceat mihi rem conficere cum Platone, hoc eſt, viro non paulo iis, à quibus libenter abeo, ſapientiore: qui cùm copioſè diſſereret, vſum Rhetoricæ non eſſe in ciuitatibus admittendum, niſi vt ciuium animos informet ad virtutem; Qvi *aliter*, inquit, *vtitur arte Rhetorica, quàm vt ciues*

lib. 6 in Erato. Pœna Tragici Poetæ.

lib. 10.

In Gorgia.

meliores efficiat, is Rhetorica non vera vtitur, ſed adulatoria quadam arte.

Quid dicere aduerſùm hęc aliqui poſſent.

Sed videre, quàm amicè cum hoc Poëtarum genere congrediar: adero caducæ, prolabentíque eorum cauſæ, quódque illis fulcimento ſit, mihi certè haud nihil negotij faceſſit, ſimpliciter apertéque monſtrabo. Dicent homines nō illiterati, duplicem eſſe arti propoſitum finem, alterum

Duplex artis finis.

propinquum adnexúmque rei; remotum alterum ac ſeparatum: à priore pendere artis naturam, poſteriorem ſine artificij iactura negligi

Felicitas quantùm ſpectet ad Poëſim.

poſſe. Ad hæc diſputabunt, ciuium felicitatem finem eſſe quidem Poëticæ, ſed extrarium communémque cum aliis, ideóque ſi hic finis nonnihil violetur, non continuò artem perire, quæ in imitatione demum ſita eſt. Quid enim? ſi viuo, ac ſpirante opere obſcœni quidquam pictor ex-

Exemplū pictoris.

preſſerit, num quod vitium eſt hominis, in artis vitium præpoſterè transferamus? cùm potiùs, vbi hæc incurrunt in oculos, dolere ſoliti ſimus, tantùm artis tam prauè eſſe locatum: quódque de colluſoribus dicere conſueuimus, Optimvm quemque aleatorem, peſſimum eſſe, id traducere ad hoc genus artificum poſſumus; quibuſcum agitur eò miſeriùs, quò feliciùs quod volunt, effingunt. Quòd ſi hæc in picturam cadunt, oſtendúntque, huic arti nihil obeſſe dominatricis ſcientię finem, quo minùs vel impudico in opere artificium pingendi videamus, atque etiam pro-

Poëſis picturæ germana.

bemus; cur, obſecro, in Poëſi, quæ picturæ germana eſt, hoc idem tam religiosè, aſperéque negabimus? Hæc iſti ſi pro ſe dicant, ita me contrà reſpondentem audiant. Ciuium beatitudi-

nem

nem non ſic eſſe per me Poëticæ finem, nec ad eius naturam tam propè accedere, quin mea ſententia, propiùs multò accedat imitatio actionis humanæ, quæ finis Poëticæ intimus, ipſáque natura eſt. Id enim artibus eſt ſolemne, vt quod artifices moliuntur, id fermè finis earum ſit. atque vt domus architecti, & ſignum ſculptoris eſt opus pariter ac finis: ita Poëtis vtrumque præſtat imitatio. Sed nego quamcumque imitationem ſatis eſſe ad Poëſim; eámque ſolùm ſeligo, quæ ad morum honeſtatem, ciuiúmque bonum aliqua ratione conducat. niſi fortè quidquid ludiones comminiſcūtur in foro circulantes: quidquid hariolātur erratici homines, incolęque ſordentium ganearum: quidquid vmbræ potentiorum, mimíque atque æruſcatores meri mentiuntur; id continuò interpretari velimus artificium, imitationémque Poëtarū. Nam ſi quælibet imitandi ars, quæque rationem virtutis habeat nullam, ſeriò ac ſolidè Poëſis eſt, cur exerceri hanc imitationem ſine præcipuo Dei afflatu negant ſapientes viri? tantæne molis eſt imitari mores hominum (quod tamen à natura inſitum eſſe hominibus, vel à pueris ait Ariſtoteles) vt inter cæteras artes hæc vna præſtare operā ſuam ſine Deo comite non poſſit? quaſi verò, quemadmodum in ſcena cùm arduum quid, implicatúmque ſuboritur, induci è machina Deum ad nodi explicationem videmus; ita cùm egeat vbique peculiari præſentia nutúque Dei Poëtarum ars, munus hoc imitandi perdifficile eſſe, humanóque maius ingenio fatendum ſit. RES *ſacra Poëta eſt*, inquit Plato, *neque canere priùs poteſt, quàm Deo*

An quælibet imitatio ſit finis Poëſeos.

In Poët.

Dei afflatu cur egere dicitur Poëſis.

In Ione.

Deo plenus. Audio : ſed quid tam præſenti ope Dei opus habet Poëſis ? vnde hæc tam conſtanti ſapientium conſenſu de hac arte dicuntur? blandirine voluiſſe Poëtarum nationi hominum ſeueriſſimos credendum eſt ? an potiùs oſtendiſſe, idcirco egere Deo in primis imitantem Poëtam, quia fabularum inuolucris commentiſque magnum quid omnino moliatur, atque ad rem inter humana maximè diuinam, hoc eſt, ad virtutis amorem, exercitationémque mortales exſuſcitet ? Scitè ac verè Socrates comparare cum annulis, orbibúſque Poëtas ſolebat : quòd ſicut magnes, dum ferreum ad ſe annulum trahit, vim quoque cum illo communicat, vt annulos alios atque alios arcanis nexibus adducat; ita medius inter Deũ & homines Poëta pertrahere nequeat ad ſe hominum animos, ni priùs ipſe tãquam annulus à magnete, hoc eſt, à Deî Numine commotus raptúſque ſit. Quare ne telum ab aduerſariis intortum fuga declinauiſſe videar ; agnoſco duplicem illum quem ſepararunt in arte finem: vtilitatem non nego remotum quid eſſe : imitationem non inficior eſſe eam, ex qua ſit Poëſis æſtimanda : ſed ipſam imitationem aio æſtimandam aliunde, hoc eſt, finem hunc intimum ab eo extrinſeco pendere, imitationémque vtilitate metiendam eſſe. Quid enim? (liceat ita mihi ratiocinari) Architecto finem præfigimus ædificationem domus : num propterea ex incolarum commoditate, qui finis eſt eidem artifici paulò remotior, ædificationem nõ æſtimamus? num, quia extrinſecum quid eſt, id propterea negligit architectus ? an potiùs tanti facit, adeóque ab hoc

Apud Platonem in Ione.

Architecti & Poëtæ par ratio.

extrin

extrinſeco temperat ac regit intimũ illum finẽ, vt de exædificãda affabrè domo nõ aliũde magis quàm ex apto habitantium vſu cõſilium capiat? Ita profectò ſe res habet. ſit licèt extra imitationem, id eſt, finem Poëticæ intimum ea quam dicimus vtilitas, inde tamen ipſa pendet imitatio, adeóque pẽdet, vt non ſit integrum Poëtę illam pro libidine cõformare abſque vlla vtilitatis ratione: ſed eam tantummodo ad artificium ſuum ſine vlla exceptione pertinẽtem tractare debeat: quæ ciuitatis ad bonum pro ea, ac poteſt, ratione conſpiret: quæ auditorum animos ad virtutem informet: cuius denique author impulſórve Deus (vt multis affirmat Socrates) videri poſſit. Quòd ſi non quælibet imitatio id habet, ſed impura eſt ipſa morum virtutúmque pernicies, atque adeò referri nequaquam poteſt in Deum conditorem, ſuaſorémve, cõnſtat, opinor, Poëſim fœda in imitatione laſciuiẽtem falli, labíque, atque ab artis ſuæ ſemita delirare. At in pictura vel obſcœna pictoris artem admiramur. Eſto: num idcirco bonum in ea rerum expreſſione pictorem dicimus? Transfer, obſecro, mentem ad Medicorum artem: inde fortaſſe ſanius feres de pictore iudicium. Nicias, qui Pyrrhi valetudinem regebat, Fabricio Conſuli Romano clàm ſpopondit, ſe per ſpeciẽ curationis erepturum Regi vitam, & Populo Romano grauiſſimum bellum. non ille quidem auditus eſt, nec facinus patratum. Sed finge Niciam adornaſſe pharmacum, propinaſſe Principi, necem intuliſſe. agedum; agnoſcíſne in eo medicamento peritiam artis? quî potes negare? cùm, niſi medicinam probè calluiſſet,

In Ione.

Plut. in vita Pyr. & Gell. lib. 3.c.8.

An Medicus in cõficiendo propinandóque veneno bonus ſit Medicus?

conficiẽs eius non fuiſſet Nicias. Neque mirum videri hoc debet: quiſquis enim ex herbarum ſuccorúmve ſcientia nouit ægris corporibus opẽ afferre, nouerit etiam ex eorumdem cognitione integris ac ſanis interitum creare neceſſe eſt. Quid ergo? Niciam ita medicamenta tractãtem, bonúmne Medicum, ſéque medicè geſſiſſe affirmabo? ego id quidem negabò ſtrenuè, & mecum, vt puto, ratio negabit. Etenim cùm Medici finis ſit corporum ſanitas, eius gratia ille debet herbarum vi poteſtatéque vti, nec aliter ſuccos ac pharmaca tractare, aut medicamenta conficere, quàm vt regendæ valetudini, leniendíſque morbis opem adhibeat. quod ſi ſecus faciat, ac medicamenta, contrà quàm finis artis præſcribit, vſurpet; non modò peccat vt Nicias, improbíque ciuis ac proditoris perſonam gerit; ſed vt Medicus, cuius eſt ſanitatem curatione quærere, planè peccat. Quare in Nicia ita peritiam medicæ artis agnoſco, vt tamen eum boni partes Medici peregiſſe etiam atque etiam negem. Multo etiam negem magis, ſi quidquid nouit, eò cõferat, vt nulla ad ſalutem, omnia ad perniciem apta medicamenta conficiat: ídque ſui iactet operis, id muneris profiteatur, peſtem vbique ſpargere, cuncta venenis inficere, depopulari ciuitates, moliri exitiũ generi humano. Quid?

Par cauſa reliquarum artium.

nónne hoc ipſum valet in omni genere artium? agricolam nemo dicet agricolationis præcepta ſeruare, qui mala educet gramina pro ſalubribus: & nauta qui bonus appellabitur, qui nauem ſcientiſſimè regat, ſed in ſcopulos dirigat? Neque de pictore, vt eò redeat, vnde abiit oratio

diuersè

diuerſè pronuncio. Expreſſum aliquid obſcœni dum contemplor in tabula, agnoſco in ea ſcientiam pictoris, qui illa oculis ſimulacra ſcitè ſubiecit: at geſſiſſe illum ſe, vt decebat pictorem bonum, profectò affirmare non poſſum. Nā cùm dirigere expreſſionem rerum debeat pictor ad voluptatem, hominis inquam bonum, hoc eſt, rationi cōſentaneam (huc enim ſpectare artes, vt vitam hominis perficiant, idéóque inſeruire Politicæ ciuium bonum vniuersè moliēti ſatis iam ex Ariſtotele demonſtratum eſt) cúmque ille turpium figuratione ſimulacrorum eam non tam hominis quàm belluę voluptatem, qua videlicet nulla eſt animo capitalior peſtis ac pręſentius venenum, adornet; illum ego non modò ciuem non bonum, ſed artificem quoque non bene, neq; ex præſcripto artis expreſſione vtentem, atque adeò neq; ſe vt pictorem bonū præſtantē meritò nominabo. Hac igitur lege modóque ſi de Poëta diſputem, videtis qua illū ratione pictoris etiam præiudicio dānare poſſim. Sed aliud eſt, in quo longè quàm pictoris artem, grauiùs peccare Poëtæ imitationē duco, ſi à pręſcripta ſibi honeſtate declinet. Eſt enim Poëſis in artiū choro pars & ipſa Politicæ facultati ſubiecta, & eiuſdem præterea facultatis inſtrumentum, hoc eſt, tum decus, tum præſidium ciuitatis. Vtraque res peculiari quadam ratione conſētire cùm Politicę fine ſupra cęteras artes Poëticam cogit. Etenim vt de priore dicam, præter eam cauſam obligationémque, qua ſingulæ artium obnoxiæ ſunt, vt opus ſuum referāt in publicum bonum; priuatus quidam Politicam inter,

De pictoris exemplo.

lib. 2. Phyſ.

li. 2. Eth. cap. 2.

Rhetorica Politicæ ſoboles.

ter,& Rhetoricam nexus intercedit,quòd nimirùm, vt ait bis térve in Rhetoricis Ariſtoteles, ars Rhetorica ex Analytica, Politicáque compoſita ſit. Quod ſi ita eſt, finis Politicæ non iam planè remotus,aut alienus, ſed adnexus Rhetoricæ cognatúſque videri debet: quare multò altiùs,quàm cæteræ artes,in ſe ipſam Poëſis peccabit,ſi peccet in Politicam: malóque quaſi inteſtino implicita à Politicæ fine deficere impunè non poterit, quin ipſa ſe diſtrahat, deſtruátque.

Et eiuſdē inſtrumentum. Iam verò (quod poſterius eſt) eiuſdem ciuilis adiumentum veteres agnouêre Rhetoricam: credo,

Dial. 2. vt docet Plato in Alcibiade,quia leges,mores, ac cætera,quæ è re ciuitatis ſunt, hac adminiſtra ciuibus ſuadentur:idque aut probabilibus ad fidem inuentis præſtat Orator, aut excogitatis in ſpeciem figmentis Poëta molitur. Atque, vt de Poëſi quidem ſeorſim loquar à Rhetorica,diſer-

Dial. 2. de legib. tè profuſéque docet Plato, legū latores eò Poëtis vti,vt iuuenum animi carminibus deliniti legibus obſequantur.In quam ſententiam copiosè

lib. 1. Geogr. diſſeritur à Strabone,Philoſopho in paucis nobili, & vt ferebat aureum Auguſti ſeculum, in Poëticis apprimè intelligente;oſtenditúrque,ciuitatum ac legiſlatorum fuiſſe vetus inſtitutum fabulas adhibere Poëtarum ad hominum mentes ſuauiter efficacitérque permouendas. Atque

In epiſt. 1. ad Tim. c. 4. lect. 2. huic operi excogitata eſſe poëtica figmenta alicubi demonſtrat Ariſtotelis teſtimonio, Ariſtoteli non impar ingenio D. Thomas. Quod ſi ita eſt, ſi Poëſim inſeruire ſolitam accepimus ciuili facultati,atque huic potiſſimùm rei natā;profectò finem Poëſeos interpretari eum debemus,qui

ciui

ciuili, cuius adminiculum eſt, operam accommodet ad σκοπὸν attingendum. Nemo enim aliter animo concipit inſtrumentum, quàm quod vſui eſſe queat artifici quidpiam molienti. Ergo ſi qua in medium prodeat imitatio, quæ non modò non obſecũdet huic fini, atque ad felicitatem non impellat, ſed impedimento magnopere ad illam ſit, reuocétque ſtrenuè à publico bono, hæc nimirùm neque inſtrumentum Politicæ, & quod inde fit, neque Poëſeos abſolutum numeris omnibus artificium dicenda erit. Negabunt Philoſophi bonam eſſe artem effectricem habenarum ac fræni, quæ frænum ita fabricetur, vt eo ad cohibendum frangendúmque belluæ impetum equeſtris vti non poſſit. Ita ſanè artem, quæ ſic imitationem concinnet, vt ea inſeruire Politicæ nequeat ad frænandos regendóſque hominum animos, numquam ego perfectè, atque abſolutè Poëticam nominabo. Quòd ſi quamcumque verſu imitatricem artem iſti Poëſim liberaliter appellent, facilè à me vt volent, impetrabunt, vt illos ea quidẽ ratione Poëtas vocem; modò conſtet, iſtud (quantum quantum eſt) artificij genus, inter artes meritò ac planè recipi non poſſe: quando eius ductu facultatis, ſub qua artes reliquæ militant, ad ciuium felicitatem minimè conſpiret. Sed non tam parui æſtimo Poëtarum laborem, vt eum mimi ſcurræque perſimilem quibuſcunque imitandi limitibus definiã, quin potiùs, cùm animaduertam à priſcis dicendi magiſtris nullam Poëtarum artem cognitam eſſe, niſi quæ ad felicitatem finémque ciuilis dirigatur, quæ ſit propago ciuilis, ex eáque conflectur,

Inſtrumẽti natura.

tur, quæ ciuilis ſub fine comprehenſa eiuſdem quoque adiumentum ſit; enimuerò concludere mihi poſſe videor haud temerè:eos,qui impoſitam ſibi à ciuili perſonam turpiter abiiciunt, artem quoque abiicere Poëtarum,aliámque propemodum inducere, quam ipſi ſuo arbitratu cudunt, quámque magno ciuitatis malo, magna artis quam profitentur iniuria,magna ingenij (ſi quid habent) peruerſitate, maximáque pernicie ſua,Poëſi pro vera germanáque ſupponunt.

Poëſis impura an apta ciuium felicitati.

Dixi de altera argumenti ac diſputationis meæ parte:oſtendíque, Poëſim propoſitum habere finem, ciuium felicitatem, ad quam niſi fabulis ſe ſuis referat, non ſit ea, quam ſincerè atque integrè quærimus, ars imitandi. Supereſt vt demonſtrem, ineptam in primis eſſe huic fini impudicam Poëſim: quod è duobus initio propoſitis alterum, mirum in modum Poëtas noſtros ſollicitare, ac torquere poſſit. Dabunt enim illi conſilium eſſe Poëticæ,vt ad beatitudinem dirigat, ſed negabunt aberrare ab hoc ſigno ea Poëmata, quæ impuros hominum mores imitantur: tuebuntur ſe veterum exemplis, quorum ſi numero pugnent,vt ipſi ſibi præcinunt,vicëre.neq; deſcendent ad Pedarium quemque Poëtarum. ſumma eorum capita, ipſum poëtici Senatus Principem HOMERVM inuadent: huius exemplum laſciuientis, vt aiunt, paulo feſtiuiùs, genióque ac voluptati liberaliùs indulgentis adducent: laude ſe, nedum venia, dignos prædicabunt, ſi huius veſtigiis ſedulò inſiſtant. Poſtremò confidentiſſimè loquentur, malle ſe cum Homero peccare, quàm cum aliis bene ſentire,

Quid ſentiant aliqui.

Ridere

Ridere ſoleo, Auditores, cùm homines video ab Homeri virtutibus, quibus vniuerſa illius Poëſis abundat, ſtrenuè declinantes; ſi quid verò irrepſiſſe videtur in eam vitij, auidè arripientes: venítque in mentem, quod de Ariſtotelis diſcipulo neſcio quo in veterum monumentis legi. Hic cùm audire in turba cœpiſſet Ariſtotelem, vidiſſétque præceptorem inter loquendum balbutire, homo egregiè ſtolidus id ſibi imitandum vnicè duxit: neglectíſque, quæ diuina tradebantur de Philoſophiæ præceptionibus, ſatis ſe Ariſtoteleum fore exiſtimauit, ſi balbus fieret. quid multa? per annos iam aliquot inter Peripateticos verſatus domum venit promiſſa more Philoſophorum barba, totúſque ad balbutientis ſimilitudinem factus. Domeſtici, veſte ac barba Philoſophum interpretari, expectare primùm quid tandem præceptorum ferret à Lycæo: mox vbi illum trepidare identidem lingua, atque impedita oratione ſubſiſtere, eáque ſe quaſi nota Peripateticum venditare animaduertunt; nimirùm alij ludere Philoſophi ingeniũ lepidiſſimi, riſúque emori: alij hominis amentiæ apud ſe miſereri, aut etiam ſtoliditatem ineptiſſimi capitis palàm ſtomachari: inter quos frater acerbiùs paulo commotus; Iſtuccíne, inquit, eſt Sapientum octaue, quod ab Ariſtotele domum reportas, vt cùm ad illum eloquens profectus ſis, elinguis ad nos atque infans redieris, quódque tibi vnum ſupererat hominis, ſermonem amiſeris? Huic ego non diſſimiles illos exiſtimo, qui ad Homeri Poëtarum magiſtri carmen accedentes, cùm ex eo ad omnem virtutem inuitamen-

Plut. de adul. & am. internoſc.

Ariſtoteles balbutiens.

Ridicula imitatio.

Imitatores vitiorum.

ta poſſent accipere, diuina hæc omnia (vitióne humani ingenij ad deteriora procliuis , an quia rebus ipſi melioribus impares ſint ?) oſcitanter ac ſtolidè prætereunt, nec magnopere laborant, illuſtre vt aliquid ac memorabile inde mutuentur; vbi verò impuræ nomen voluptatis ſonat, ac pinguiori non tam Minerua, quàm Venere dictum quid vident, illuc homines voluptuarij adhinniunt rapiuntúrque: in id animum calamúmque repentè accómodant:illius imitatione Poëtas iam ſe,ac(ſi Diuis placet)Seſquihomeros ſcilicet effectos arbitrantur. Verùm , vt quam iſti ſeu gratiam, ſeu veniam ex Homerica imitatione quærunt, quódque culpis ſuis confidenter obtendunt Principis Poëtæ nomen,extorqueam aliquando de manibus, eóſque ſpecioſo hoc patrocinio denique denudem ; nego Poëſim Homeri, tum quæ Achillis iram , tum quæ Vlyſſis reditum comprehendit , amatoriam Poëſim appellari poſſe : nego ex octo & quadraginta eius libris vel vnum amatoriè ſcriptum eſſe:nego tot inter Heroas viróſque fortiſſimos aliquem reperiri amoribus implicatum , eámque ob rem aut arma poſthabentem,aut ciuilis officij quidquam detrectantem. Magnum eſt,quod dico, Auditores:ſed quàm non temerè dicam , quæſo , vt adhuc feciſtis, attendite. Etenim, quòd ab iſtis viderem me quotidie Homerico exemplo deterreri , ſtatui vtrumque Poëtæ volumen ea gratia recognoſcere. Sumo Iliadem in manus,ac lubricos primùm ſuſpectóſque mihi locos,mox etiam reliquos percurro. Principio ad Chryſeiden accedo , interprete Calchante, reſtitutam patri ab

An Homeri carmen amatoriè ſcriptum ſit.

Ilias examinatur.

Chryſeis & Agamemnon.

Agamemnone. Mentionem amoris puellæ in Imperatorem, aut huius in illam, nullam video. Adhæc, iuſſu Agamemnonis non amantis, ſed vlciſcentis, Achilli Briſeis abſtrahitur, deportatúrque ad Agamemnonem, quo loco lego iratum ſanè Achillem, quòd ſe contemptum luce palam animaduerteret inſolens iniuriæ vir: at amatoriè dolentem, iacturam captiuæ pulcherrimæ commemorantem, beneuolentiæ in illam ſuæ argumentum aliquod promentem ne vno quidem verſu litteráve lego. Præterea multo pòſt reconciliatus Agamemnoni Achilles, plurimíſque ab eo muneribus atque ipſa etiam Briſeide donatus, non modò ad ſubitum puellæ conſpectum nihil præcipitanter, aut impotenter agit, non modò ſignum aliquod amoris, aut certè deſiderij ex abſentia non oſtendit, ſed (videte Herois continentiam, ac Poëtæ decorum) Patrocli amiciſſimi capitis nece perculſus, ne hoſpitum quidem officiis excipit redeuntem, imò nec tantiſper eam alloquendi, aut denique ſalutandi moram facit. Pergo ire ad alios Heroas, Ducéſque Troianos æquè ac Græcos: omnia occupata reperio belli conſiliis, armorúmque tractatione, nihil aut in horum caſtris, aut intra illorum mœnia relictum amorum inſaniæ nugíſque.

Briſeis, Agamemnon, & Achilles.

Ergo depoſita Iliade, transfero me ad Odyſſeam. Adeo primùm ad procorum turbam, tum ad Calypſo Nympham, dein ad Phæacas, mox ad Circen, iterum, ac ſæpiùs ad procos, & Penelopen: nam hi potiſſimùm loci ſubolere aliquid videbantur. Apud procos multa pugnaciter, ac ſuperbè, vti competitores ſolent: at incontinen-

Odyſſea expenditur.

Proci & Penelope.

ter impudicéque riualium more in Penelopen oppidò nihil: imò nec verbum vſquam lego ad blanditiam, nedum ad impudicitiam inclinatum. In Ogygia Calypſus inſula verecundè atque hoſpitaliter omnia proponuntur, ſi vnam excipias querimoniam Nymphæ Deos incuſantis, quòd ab ſe hoſpitem inuidentes abſtraherent: id quod tribus aut quatuor verſibus abſoluitur. Apud Circen, atque Nauſicaam Phæacum Regis filiam nulla eſt amorum, nulla illecebrarum mentio. Rurſum ad procos redeo domi Penelopes diuerſantes, eiúſque nuptias certatim, ac pertinaciter expoſcentes: & tamen in re planè amatoria adeò nullæ amantium preces, nulla depereuntium ſuſpiria, nullæ delirantium lacrymulæ viſuntur; vt profectò, quantùm leuia hæc atque nugalia plerique hodie Poëtarum accerſere ſolent vel inuita, tantùm ille ſponte oblata ſedulò declinauiſſe videri poſſit. Quid verbis opus eſt? Reliquum carminis abſoluo: reſumo Iliadem, Odyſſeam repeto, percurro omnia vtrobique cum cura. Illic præter Iunonis fraudem pellicientis maritum Iouem ceſto Veneris, hic præter Demodoci cantilenam de Venere, ac Matre Vulcani dolo deprehenſis, quæ tamen multis allegoriæ vtcunque ſunt: cæterùm in libris octo & quadraginta, in tam multis variíſque figmentis nihil intemperanter, nihil in amore confidenter, imò nihil amatoriè factum dictúmve comperio. Enimuerò tunc ego Poëtæ ingenium ac verecundiam exoſculatus (fatebor id, quod res eſt, Auditores) imperare mihi non potui, quin amore in illum pariter, atque indignatione in ætatem noſtram,

Calypſo & Vlyſſes.

Nauſicaa & Vlyſſes.

Circe & Vlyſſes.

Quid demũ amatorij videatur eſſe in Homerica Poëſi.

noſtram, in hunc fermè modum exclamarem. En noſtri ingenio tam prauo, quàm turpi, Poëmatis particulam condunt ferè nullam, quam amatoriis fabulis ad ſtomachum vſque non inficiant, ſimúlque titillantium illecebris voluptatum non emolliant mares animos, ac lenocinantis vbique Veneris interiectu omnia nó infamēt: cùm tamen Poëticæ parēs tanto in opere, pérque omnia humanæ vitæ munia deſcripto, tot inter commenta fabularum, in ea præſertim perſonarum ciuilium bellicarúmque varietate, quā nullam penè mortalium cōditionem imitando poſthabuit; tam caſtè decentérque Poëſim per omnia deduxerit, vt CONDENDI Poëmatis ſimulacrum, cùm pacata in re, tum in turbata docere poſteres voluiſſe videatur. Et mihi iſti mentionem Homeri facient, eiúſque exemplo tuebuntur labes ſuas, atque in plebeio ſpurcóque carmine, Homeri, hoc eſt, ingenioſiſſimi, caſtiſſimíque Poëtæ nomen ementientur? à cuius ſapientia tam longè abſunt, quàm propè ad eiuſdem verecundiam non accedunt. At Homerum, inquiunt, de Ioue, déque aliis Diis obſcœna nonnulla ſcribentem imitari quis vetat? O homines ſordium hirudines? imò ô ſordes ipſas, & fœculam Poëtarum? Vetat inquam pudor, cuius tranſilire fines numquam licet: vetat ipſe propemodùm Homerus, qui cùm in hominibus quorum facta canebat, nihil huiuſmodi ſit vnquam auſus, oſtendit quid neceſſarium facto indicaret, ac ſimul credibile reliquit, quæ ſemel bíſve de Diis ea ratione commentus eſt, ſe allegoriæ videlicet inuolucris occultaſſe. quamquam ne allegorias

Homeri laus & aliquorū execratio Poëtarū.

Apud Plat. dial. 2. de Rep. quidem huiuſmodi tradendas adoleſcétibus Socrates admonebat, vetat denique, ſi cætera deeſſent, Homero non paulo maior Plato, qui cùm reprehenderet in Politicis Poëtarum opera, quæ ciuitati, quam ille tanto ſtudio fundabat, pernicioſa eſſent: cúmq; ad Homeri Poëſim accederet, eámque impensè & cunctanter expenderet, vbi in Deorum amores atque diſcordias incidit; noxios enimuerò Reipublicæ huiuſmodi ſermones queritur, in iíſque Homerum non ſolùm ciuis non boni, ſed mali etiam Poëtæ, ſuáque in arte peccātis ſuſtinere perſonam docet. Quòd ſi hoc, quantulùm eſt vitij, non tulère in Homero ſapientes, quid in iis faciant, in quorum carminibus ſi quid boni eſt, hoc ipſum eſt, quod in Homero eſt mali? Quare cogant iſti rurſum copias ſuas, qui paulo antè & numero, & dignitate Poëtarum tantopere gloriabantur, & non modò ampliſſimum lectiſſimúmque Latinorum agmē Lvcanvm, Stativm, Silivm, Flaccvm, Heroicos propè omnes; ſed carminis vtrobiq; Principes, apud nos quidem Virgilivm, apud Græcos verò in tribus ſummis generibus Epico, Lyrico, Tragico, Homervm, Pindarvm, Evripidem ſtrenuè nobiſcum facere, atque Ethnicos ſcriptores inter ea ſuperſtitionum inquinamenta educatos aduersùs Chriſtianos Poëtas apertè pugnare pro honeſtate cultúque pudicitię (ô vulnus à quibus minimè decuit inflictum Religioni noſtræ) tandem aliquando intelligant, fœditatéſque ſuas Ethnicorum ſaltem exemplo caſtigent.

Præcipui quique veterum Poëtarum pudicè ſcripſerunt.

Dedecus aliquorū Poëtarū.

Aſylum impudica tuentium. Sed audio, quid iſti reſpondere plerunque ſolent: Ea, quæ ab ſe turpia, & inhoneſta narrantur,

tur, non perinde narrari, quaſi proponantur ad imitandum; id enim extingueret Poëtæ finem, qui cum conſilio moderatricis vrbium facultatis, publicáque vtilitate conſentire debet; ſed cò afferri, multúmque in iis conſcribendis operę adhiberi, eorum vt turpitudine deprehenſa faciliùs euitentur. Vt enim virtus ſi Poëtæ in carmine viuat, oculíſque cernatur; mirabiles ſui amores excitare ſolet: ita vitium (quæ pars eſt altera ſapientiæ) ſuis ſi coloribus exprimatur, ſi vt eſt fœdnm ac ſordidum, prodire cogatur in ſcenam; abſterreat profectò contemplatores ſui, & in odium pariter, fugámque conuertat neceſſe eſt. Scio hoc aſylum eſſe eorum, qui obſcœna componunt: nempe huc illi ſe ſubita proripiunt fuga, quoties vrgentur: quòd intelligant, quamdiu obtinent hanc arcem, tamdiu ſe poſſe vitiorum familiam abundè alere, ac ſplendidè etiam tueri. Verùm ſi hæc impurè atque intemperanter admiſſa, ea gratia narrantur vt euitentur, primùm cur, obſecro, Heroi ac Principi viro affinguntur, qui carmine proponitur ad imitandum cæteris? Deinde, cur ad haſce oris improbi nugas, quas indicaſſe, ídque rarenter, plus nimio foret, iſti tam libenter, tam crebrò, támque diu, atque otiosè reuoluuntur? hæc enim duo ſunt, quæ mihi ſuſpectam reddunt iſtorum ſapientiam, qui obſcœna verſu tractantes, profuturos ſe generi humano putant. Age igitur: nego, iſtæc intemperantis argumenta voluptatis in Heroë, primarúmque partium, aut paulo illuſtrioribus perſonis, quæ plurimùm valent ad exemplum, de induſtria exponenda eſſe. Etenim ignoſco Hi-

Duplex telum in eos, qui turpia narrant vt euitentur.

Primum telum.

Hiſtoricis præſcripta lex narrandi.

ſtoriarum ſcriptoribus, ſi nonnumquam flagitia Principum deſcribant, quando eos referre, vti res geſtæ ſunt, lex operis ſui cogit: quamquam ne ipſis quidē fas fuerit ſic ea deſcribere, vt ad imitationem pellicere videantur. at is, cui perampla fingendi libertas eſt, cùm poſſit in lucem edere pulchrum, honeſtúmque ſimulacrum; qua ratione excuſetur, ſi vitio ſuo pro homine monſtrum pariat? At Poëtis, inquiunt, fingenda ſunt veroſimilia: dúmque conformant Heroëm, hominem denique conformant, à quo humani nihil alienum eſt. Audio: ſed Heroëm excedere vulgarem hominum conditionem à ſimilitudine veri non abeſt: imò accepiſſe mihi videor, medium quid olim fuiſſe inter Deos, hominéſque Herois nomen: quare ſi hunc homine maiorem, ſi nullius impudicitiæ compertum, ſi ab omni prorſus obſcœnitate alienum Poëta proponat; nihil contra veri ſpeciem, artíſque decorum peccat: peccat autem, ſi cuiuſque hominis planè ſimilem, iiſdémque ineptiis, quibus mortalium plerique capiuntur, impeditum facit. certè in eo (quod hîc quærimus) peccat, quòd cùm integrum ei ſit abſtinere ab iis, omnémque ab Heroë ſuo turpitudinem procul habere; dum impudicè quid factum ei affingit, occaſionem aliis adornat, vt in eo, quem fortitudinis aut prudentiæ laude præſtantem ſibi ad imitandum proponi à Poëta intelligunt, hoc quoque vitium cum cæteris permiſtum facinoribus imitentur. Euripidem in iudicium capitis vocatum refert Ariſtoteles, quòd in fabula verſum ediderit:

Quid Heros ſit.

Euripides in iudiciū vocatus.

In Hippol.

Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώματος.

Iu

Iurata lingua eſt, animus iniuratus eſt:
titulũque accuſationis fuiſſe, quòd Euripides doceret populum peierare. At quomodo? tantúmne præceptorum vno in verſiculo fuit? nempe ſententiam hanc Poëta tribuerat perſonæ, quam quia fabulæ caput inducebat in ſcenam, virtutéſque in ea multas effingebat; viſus eſt vnà cũ eius virtutibus hoc quoque peierandi vitiũ populum docuiſſe: ideóque impietatis reus ludicro pro carmine ad pœnã ſeriò expetitus eſt. & tamen ab eo iudicio expedire vno ſe verbo poterat Tragicus, ſi dixiſſet, id à ſe vitij loco, vt fugeretur, adductũ eſſe. Sed nugas meras agimus, dũ huc reuoluimur. OMNIA in Principe viro exempla ſunt: creditúrque docere, quod Princeps agit. quare QVI turpia agẽtem inducit, inuitat. Atque hinc eſt, quòd sũmus Poëta non modò Achillem, hoc eſt, princeps fabulæ nomen, ſed Agamemnonem, Diomedem, vtrumque Aiacem, Hectorem, Æneam, ac reliquos illos Martis Proceres ab omni obſcœnitate, atque amantium intemperiis vbique ſeparauit. Quin etiam, vt ab ea ſuſpicione turpitudinis eximeret Agamemnonem, in quam videbatur induiſſe ſe, quòd ereptam Achilli Briſeiden diu in ſuo tabernaculo habuiſſet; iurantem inducit grauiſſimum iuſiurandum PER Iouem, Terrámque & Solem, atque Erynnes peierantium vltrices, ab ſe reſtitui puellam planè intactam illibatámque, atque eius rei Deos Deáſque omnes, quibus curæ ſunt hominum periuria, teſtes eſſe. Vſque adeò Poëtæ ſapientiſſimo cordi fuit integritas ſuorum Ducum. Cùm tamen iſti hoc tempore, qui ſe populo venditant Homeri ſobolem,

Homerus quàm cautè Heroas ſuos ſeparauit ab omni obſcœnitate.

Dij vindices periurij.

ſol olem, dum nouos mundo Achilles atque Iliadas pariunt, Heroas ſuos, Duces, milites, caſtra, prætoria, campos, omnia mulierculatum amoribus impediant, vixque ſtrenuum aliquem bellatorem carmine deſcribant, quin hac inſania laborantem atque à Martis ad Veneris ſigna transfugientem inconſtanter ac fœdè commententur: hoc eſt, quin plurimis argumentis paria doceant atque magnis exemplis ad extremum turpitudinem perſuadeant. Neque tamen ignoro, hæc magna virorum capita non leuibus & ipſa culpis obnoxia turpiter aliquando cecidiſſe. Sed vt hæc innocenter audiantur, non incomitata, & abſque nota referenda ſunt. ex vna enim parte improbet ea auerſetúrque Poëta, atque ita ſtomachando deſpiciat, vt ſi quos habere imitatores poſſet, abſterreat: ex altera exitum addat facinori parem, ipſóque euentu doceat, ſupplicium vbique pœnam eſſe peccati. Reprehendebatur Euripides hoc etiam nomine quòd Ixionis flagitia theatro expoſuiſſet. Sed purgauit ille quod fecerat, cùm diceret, Non ante ſe remouiſſe illum de ſcena, quàm rotæ affixiſſet, quaſi muto hoc doctrinæ genere ſignificaſſet, Ixionis factum ad odium fugámque, non ad imitationem à ſe eſſe propoſitum. Quamquam hoc poſterius plerunque ſerum eſt, vbi neglectum eſt prius: nam quid mea refert, Ixionem, antequàm is abeat è ſcena rotæ affixum videre in vltimo actu, ſi iam ipſe in primo ſecundóve ictus ſum? Nimirùm habent hoc, vt ait Plutarchus, poëtica facinorum malorum commenta, vt ſi cum eorum execratione atque authorum dedecore damnóque narrentur

Qua cautione turpe aliquid enarrandum.

Vtilitas poëticarum commentationum.

rentur, vtilitatem nihilo quàm Philoſophorum præcepta minorem ferant: cæterùm ſi nuda, ſi felicem ſortita exitum deſcribantur, officere bonis moribus, ac magno eſſe ad virtutem impedimento. Sed impedimento ſunt longè adhuc maiori, ſi non in vnam alterámve perſonam ſiue primarum, ſiue ſecundarum partium, ſed (quod erat alterum ex iis, quæ paulo antè obiiciebam malis) ſi in quàm plures hæc deliramenta ſpargantur, ſi ingerantur ſæpe, ſi minutatim, & quaſi per otium explicentur, ſi denique hæc prima, hæc ſumma ſint. Atque ego quidem (vt rurſus ex Poëtarum Principe exempla petam) cùm lego Poëſim Homeri, incidóque in eos locos, qui facti videntur ad amoris vim liberiùs explicandam, ac video ſapientiſſimum Vatem in iis amatoriè tractandis ſanè perparcum, imò planè nullum eſſe; ſtatim animo recurro ad Poëtas noſtros, atque ita cogitare mecum ſoleo. Quid iſti in omnem occaſionem laſciuiendi auide intenti, quid egiſſent, ſi argumentum nacti eſſent adeò locuples, ac votis ſuis opportunum? Quàm molliter ac tenerè lacrymabundus Chryſeiden patri reddidiſſet Agamemnon, quam apud Homerum ieiunè omninò, ſeueréque reſtituit? Et Briſeis, quæ ex Achille transfertur ad Agamemnonem ſine vlla amoris ſignificatione, quas expreſſiſſet ab amatore ſi minùs lacrymas, certè ſuſpiria, & querimonias incuſantis fatum & ſydera ſuis amoribus aduerſa? omitto cùm idem puellam redeuntem recipit abſque vllo ſenſu non dicam amantis, ſed penè viuentis. omitto Helenam, Calypſo, Circen: omitto Nauſicaam

Secundum in eoſdem telum.

Quomodo tractaſſent aliqui noſtrorum Poëtarum locos aliquot Homerici carminis. Ex Iliade.

Ex Odyſſea. Alcinoi filiam, quæ Vlyſſem naufragum, ſolum, nudum (quàm multæ ad amorem illecebræ? tam hoſpitaliter, ac decorè ſuſcipit, cibo recreat, manibus ſuis abluit, veſtit in vrbem ac domum, ſed non ſuo in curru, ne Phæacũ oculos offenderet, inducit; vt profectò minùs caſtè verecundéque fratrem ſoror excepiſſet. Sed nihil illuſtrius, accómodatiúſque ad iſtorum ineptias, quàm proci. hîc ſcilicet Apollines noſtri in aperto liberóque campo, in ipſo amoris regno triumphaſſet: quàm enim blanda ſeſamóque ac papauere conſperſa, quàm melle ipſo dulciora cum Penelope verba rinales identidem habuiſſent? quas ei flammas atque incendia, quas pectoris Ætnæas deflagrationes, quæ buſta redacti iam cordis in cinerem, quos impactos animo Tytianos vultures, quas fibris inſtantes Promethæas aues, quos aggeſtos in ſinu malorum theſauros, quas nocentium pœnas omnium, miſerabiliter aperuiſſent? quas ad eam litteras æſtuantis animi miniſtras atque interpretes cruore conſcriptas, lacrymis corruptas, nequitiarum blandimentorúmque plenas certatim dediſſent? in epulis verò ac vino, quos ea præſente nutus ac furtiuas notas, quas de illius forma cultúque corporis ſuperlationes ac periuratiunculas, aut etiam admirantium more ſilentia atque deliquia, quas demum enatas ſubinde rixas, quæ ſuadente ebrietate conuicia, obiecta impunè ſcelera, denudata palàm probra, inflictas hoſtiliter plagas, fuſum abundè cruorem; neces barbarè illatas amatorculi illi miſcuiſſent? Et tamen hæc illecebrarum argumenta, in quarum commentatione, colligendíſque volupta-

Proci & Penelope aptũ impudica conſectãtibus argumentũ. Nugæ, ſordéſque meræ.

tum ſordibus, noſtri magnam ſanè partem Poë-matis inſumpſiſſent; hæc, inquam, omnia Poëta ingenioſiſſimus, qui probè noſſet vnus, quid eſſet non ineptire, negligenda ſibi ſuo in carmine, ac ſilentio vbique tranſmittenda exiſtimauit. An hîc quoque voluptuarij Poëtæ dicunt, finem eſſe, dum hæc nauiter impenſéque ſcribuntur, vt euitentur? Dicunt planè. quin etiam hoc addunt: hominem non facilè ad virtutis celſitudinem, hoc eſt, ad felicitatem pertrahi, ſi arduum per iter, inuióſque ſaltus rectà ei ôbnitendum ſit: ſatius fieri, ſi per amœna priùs diuerticula tráſuerſis viis eò deducatur: imò niſi huiuſmodi ſubinde illecebris in itinere firmetur, redire ſenſim ad ingenium, ac ſæpenumero ad ima deuolui: quare hæc blandimenta honeſtati demum inſeruire, tandémque ad ciuium felicitatem, quam tantopere quærimus; omnia conſpirare. Ingenioſè enimuerò, ac ſapienter. Iam miſeret me Platonis, qui ea Republica, in qua tam ſedulò ad virtutem vndique incitamenta quærebat, hoc exegerit Poëtarum genus, quorum carminibus vna eadémque opera à vitiis abſterrere ciues, atque allicere ad honeſtatem ſuauiſſimè poterat. Sed nimirùm animaduertit virorum ſapientiſſimus, neutrum ab iſtorum Poëſi expectandum eſſe: cùm ex vna parte virtutes apud illos adeò lenociniis oppreſſæ lateant, adeò ambiguè, & quaſi diſſimulanter exerant ſeſe, vt eas ſecernere, atque internoſcere haud in promptu habeant adoleſcentes: intentíque ad oblectamenta, quibus illa ætas facilè capitur, meras cum vitiis voluptates hauriant, magno non adoleſcentiæ modò

Homeri laus.

Speciosa defenſio.

Quamobrem turpia narrātes haud proſint.

dò,ſed totius vitæ malo; quando,quæ in ea ætate accipiuntur, altiùs inhærere, ac difficillimè eradicari conſueuerunt. Ex altera verò parte ita vitiorum ſpecies emineant, offerántque ſeſe blandè,atque in primariis honeſtíſque Viris collocatæ faciem quaſi honeſtam induant, vt quos ad illa cognoſcenda ſemel allexerint,eos cæterorum oblitos ad amplectenda quoque,& imitanda non rarò inuitent. Finxerat Poëtarum neſcio quis, Iouem mutata olim forma aureo in imbre ad Danaën deſcendiſſe: turpe ſanè, ac protritum vulgo commentum; expectatis, quid emolumenti ex hoc capere mortales queant? Poëtas ipſos audite: quorum aliquis ab eo figmento id aliquando boni enatum eſſe Populo Romano narrauit in ſcenâ. Adornabat ſe ad flagitium adoleſcens, cùm tabulam fortè ſuſpectans, in qua facinus hoc Iouis non melior, quàm Poëta,pictor expreſſerat:quid?deteſtatúſne ille eſt crimen?(nam ad deteſtationem aiunt iſta proponi) aut boni aliquid ſubeſſe fabulæ interpretatus eſt?,exarſit continuò miſer, ſecúmque reputare ſic cœpit:

Ex impudica fabula quid enatum ſit olim.

Terent. in Eunuc.

Deum ſeſe in hominem conuertiſſe,atque per alienas tegulas
Veniſſe clanculùm per impluuium?
At quem Deum? qui templa cœli ſumma ſonitu concutit.
Ego homuncio hoc non faciam?

fecit,Iouíſque exemplo & quaſi hortatu, Poëtæ certè ductu ſcelus honeſtè perſuaſit ſibi. Hæc vox adoleſcentis in fabula,vtinam extra fabulam & ſcenam non eſſet vox fermè complurium,qui

im

impuris hiſce carminibus addicti ac mancipati ſunt: quorum ego ſingulos ſi conuenirem, ſi ſeriò percontarer, quid tandem inde lucri corraſerint? odiúmne aduersùs vitia, vitiorum aſpectu conceperint, ac in ſinum virtutis per ea oblectamenta peruenerint? Vtinam reſponſuri non eſſent, ſi perſanctè fateri vellent, ex huiuſmodi amantium deliriis multa ſe ignota priùs vitiorum nomina didiciſſe, plura ſibi flagitia ſpecioſo aliorum exemplo condonaſſe, plurimam verò pudoris honeſtatiſque iacturam ſenſim ſine ſenſu feciſſe. Vt meritò Cæcilius CYPRIANVS eloquentia iuxtà, ac ſanctitate nobilis, in Tragœdos inuectus, qui impuriſſimos quoſque Deorum, hominúmque referrent in ſcena; grauiter ſanè doleat, iſtorum carmine fieri, ne quod fœdè ſemel admiſſum eſt olim, vlla in poſterum antiquetur, aut exoleſcat ætate. iſtorum vitio NVMQVAM æui ſenio delicta mori: quæque debuerant ſcelera ſeculorum obliuione ſepeliri, erui ſubinde in lucem, atque admoneri omnem ætatem, admitti poſſe, quod aliquando factum eſt: atque INDE naſci, vt exempla fiant, quæ iam eſſe facinora deſtiterunt. Hæc illa videlicet vtilitas, hoc compendium eſt, hæc fuga & deteſtatio vitiorum; hic amor virtutis, hæc morum inſtitutio, hæc vitę ſanctitas, quam ex ingenioſis hiſce Poëtarum figmentis addiſcit humanum genus. Confugiant illi, vt lubet, ad hominum ingenia, quæ perduci ad virtutem ſine aliqua illecebra non poſſint: conferant ſe ad Poëticæ naturam, quæ cùm vitæ ſpeculum ſit, in quod intuentes non minùs ſe oderint mali, quàm ament boni; ideo

Quid quotidie naſcatur.

li. 2. ep. 2.

Iuſtiſſima querela in Tragœdos obſcœnos.

mo

mores vtrorumque referre debuerint. Commenta ſunt hæc hominum in ſpeciem ſapientium, quíque hiſce ſimulationum inuolucris tegunt,& quaſi velis quibuſdam obtendunt ſtyli petulantiam,atque improbitatem ſui.

Perſ.Sa.3. *Ad populum phaleras: hos intus & in cute noui.* alia mens illis adſcribendum fuit, aliúmque legentes exitum ſortiuntur. Annon illi palàm profitentur(ſic enim de fine Poëticæ diſputant)nihil præter oblectationem quærere ſe iis fabulis figmentíſque? atqui oblectationem illam exitialem eſſe non ignorant. profitentur igitur exitium velle ſe animis importare: &,ſi id quod ſpectant aſſequuntur, important. Equidem ipſe quoties in laſciuum ac turpe aliquod volumen incido, quæróque tacitus mecum, quid infortunij ſcriptorem impulerit, vt ad fœdum illud, lutulentúmque dicendi genus animum adiiceret, alterutra mihi ex hiſce cauſis occurrere plerunque ſolet. Interdum ex opere interpretor indolem, naturámque ſcriptoris: didici enim ex Ariſtotele,Poëtarum præcipuè lucubrationes partus vocari; nec magis à parentibus liberos, quàm à Poëtis amari libros ſuos. hinc vbi aliquid intueor obſcœni carminis,ſuſpicari venit in mentem,partum eſſe parenti ſimilem,nec potuiſſe ex impuro turpíque ingenio pulchriorem nobilioremque ſobolem procreari. Quòd ſi hoc coniicere non licet (quamquam raro admodùm non licet: illa enim turpium meditatio,illa ſcriptio, illa recitatio quomodo mentem non contaminet,cœníque, quod aſſiduè tractat, ſordibus non aſpergat?) verto me in alteram partem,opúſque

Cur ad turpia ſcribenda aliqui applicent animum.

impu

impudicè compoſitum, in ſcriptoris inſcitiam referre plerunque non falſus incipio. Etenim Poëſim condere, quæ ſine artis iniuria delectet pariter ac proſit, tantæ felicitatis ingenij eſt, vt (quaſi à Deo præcipuæ ſuggerātur ea in re vires) dixerit olim Socrates, tunc ſe homines oſtendere Dei ſobolem, cùm dignum Poëtæ nomine carmen emittunt. Id ergo cùm iſti animaduertant, ſéque ea ingenij excellentia nobilitatéque deſtitutos intelligant, tantùm vt operis moliantur, quod ſummis atque imis gratum in virtutis complexum rectà mortales ferat; dant ſe in alteram viam, & conquiſitis (quod difficilè non eſt) canoris ad oblectandum nugis, iiſque arma inter, amoréſque turpiter ac fœdè illitis, ſic eam hominis partem, quæ facilis captu eſt, alliciunt titillántque; ſic ſe in vulgi manus atque animos, homines facti ad ingenium vulgi, pertinaciter inſinuant; vt quam expectare Poëtæ laudem ab ingenij ſui infelicitate non poterant, eam ſe ſuffragio plebis ſordidiſſimis hiſce blanditiis delinitæ impetraturos facilè ſperent.

Liberi, & libri parentibus ſimiles.

Apud Platonem in Ione.

Impudicè Poëſim tractare haud difficile.

Sed non impetrabunt, vti cenſeo ſperóque, à vobis, Rhetores, vt in turbam vos quoque conferant, ſéque apud vos Poëtarum loco magnificè venditent. Non erit vobis tam vile, támque circumforaneum Poëtæ nomen, vt ad ignobilia, ſordidáque iſtorum capita deprimatis. Quos impuro in carmine laſciuire licentiùs videtis, eos honeſtati noxios, infenſos publico bono contrarios ei, quam profitentur, arti exiſtimate: ideóque non modò à caſto, ingenioſóque Poëtarum choro, ſed à nobilium etiam conſpectu virorum,

Poëtæ obſcœni cur eiiciendi.

qua

quales vos eſtis, veſtra opera ſuffragiiſque diſcludite. Quid enim habent (oro vos, adoleſcentes) quod ad legendum inuitare poſſit? ingenium pleríſque illorum humile, veſtríque diſſimile: opus fœdum, ſimiléque ſcriptori: delectatio ad genium plebis hauſta de fæce: artis gloria extra operis titulum rara, aut omnino nulla. contrà verò apud illos inimica morum diſciplinæ tam multa, ſuſpecta certè pleráque, nihil non anceps, intuta omnia. MALE quis inter exempla peccantium deprehenſus virtuti operam dabit: malè in regno voluptatis peregrinabundus honeſtatem quæret; imò periculum adibit, ne quemadmodum AD Tyranni, vt aiunt, domum nemo liber venit, ac rediit liber; ita qui ad iſtorum opera integer, atque incolumi honeſtate acceſſit, accepta luculenta plaga, periclitante verecundia, CVIVS rarò cicatrix obducitur, ſauciatus abſcedat. O tuam, eloquentiſſime Martyrum, de hac morum pernicie iuſtiſſimam querelam! Adulterium, aiebas palàm diſci, dum in ſcena atque in carmine videtur: & lenocinante ad vitia publicæ authoritatis malo, qui fortaſſe pudicus ad ſcenam proceſſerat, domum reuerti de ſpectaculo impudicum. Nimirùm ſunt hæc eo de genere vitiorum, quorum victoria fuga conſtat. proinde REMOVENDA ab aſpectu, ne tanquam lacryma ab oculis in pectus cadant. Laudat alicubi Ariſtoteles procerum Troianorum conſilium, qui Helenam ab ſuo conſpectu ſeparandam eſſe, reſtituendámque decreuerunt, quòd ea præſente deprauaretur animus, minúſque integrè iudicare, atque conſulere rebus

Cyprian. lib. 2. ep. 2.

Voluptas Helenæ ſimilis.

bus ſuis poſſet. Ita eiuſdem Philoſophi ſententia cum voluptate agendum eſt, cuius non tam oſtendenda turpitudo, quàm præciſa omni diſputatione ab oculis ſemel amouenda, vt de ea abſente caſtè incorruptéque ſentiatur. Diſplicet in præſentia (vt par eſt) vobis, ipſúmque vitij nomen animus auerſatur: quis ſcit, voluptatis ſi faciem ſplendido iſtorum fuco delibutam propiùs intueamini, ſi ſcriptoris artificium non infacetum flagitioſorum hominum mores ad vnguem imitantis in fabula comprobetis, quis ſcit, an huiuſmodi præſtigiis animo de ſtatu ſuo nonnihil moto placere in aliis expreſſum incipiat, quod abſens, aut ſolitarium tantopere diſplicebat? Habet hoc imitatio poëtica, quod ait Plato, In Ione. vt quæcumque de aliis refert, in nobis ſenſim effingat: quòd ſi illa ſint auditu obſcœna, viſu turpia, cogitatione inhoneſta, profectò nonnulla fœditate conſpergi animum, atque ex alienis in noſtra deriuari aliquid neceſſe eſt. Quare nolite, obſecro, iſtum animi candorem, iſtam mentis ingenuæ verecundiam, iſtud, quo nullum eſt maius, pectoris humani bonum, horum lenociniis carminum tutò credere, in has ſordes inquinatæ Poëſeos abiicere, inter hæc inſidioſæ voluptatis vada, ſyrtéſque, & Sirenum vndique pellicientium amplexus, hoc eſt, certiſſimum pudicitiæ, famæque naufragium vltrò committere. Petit hoc à vobis ipſa Poëſis, quæ hominum felicitati nata, ac ciuilis in gremio facultatis honeſtiſſimè enutrita, ſicut dolet indignatúrq; ab eius iam ſinu abſtrahi ſe, noménque ſuum ad morum licentiam, vitæque corruptelam procaciter

Fam. Strada. G obtendi;

quales vos eſtis, veſtra opera ſuffragiiſque diſcludite. Quid enim habent (oro vos, adoleſcentes) quod ad legendum inuitare poſſit? ingenium pleriſque illorum humile, veſtrique diſſimile: opus fœdum, ſimiléque ſcriptori: delectatio ad genium plebis hauſta de fæce: artis gloria extra operis titulum rara, aut omnino nulla. contrà verò apud illos inimica morum diſciplinæ tam multa, ſuſpecta certè pleráque, nihil non anceps, intuta omnia. Male quis inter exempla peccantium deprehenſus virtuti operam dabit: malè in regno voluptatis peregrinabundus honeſtatem quæret; imò periculum adibit, ne quemadmodum Ad Tyranni, vt aiunt, domum nemo liber venit, ac rediit liber; ita qui ad iſtorum opera integer, atque incolumi honeſtate acceſſit, accepta luculenta plaga, periclitante verecundia, Cuius rarò cicatrix obducitur, ſauciatus abſcedat. O tuam, eloquentiſſime Martyrum, de hac morum pernicie iuſtiſſimam querelam! Adulterium, aiebas palàm diſci, dum in ſcena atque in carmine videtur: & lenocinante ad vitia publicæ authoritatis malo, qui fortaſſe pudicus ad ſcenam proceſſerat, domum reuerti de ſpectaculo impudicum. Nimirùm ſunt hæc eo de genere vitiorum, quorum victoria fuga conſtat. proinde Removenda ab aſpectu, ne tanquam lacryma ab oculis in pectus cadant. Laudat alicubi Ariſtoteles procerum Troianorum conſilium, qui Helenam ab ſuo conſpectu ſeparandam eſſe, reſtituendámque decreuerunt, quòd ea præſente deprauaretur animus, minúſque integrè iudicare, atque conſulere re-

Cyprian. lib. 2. ep. 2.

Voluptas Helenæ ſimilis.

bus

bus ſuis poſſet. Ita eiuſdem Philoſophi ſententia cum voluptate agendum eſt, cuius non tam oſtendenda turpitudo, quàm præciſa omni diſputatione ab oculis ſemel amouenda, vt de ea abſente caſtè incorruptéque ſentiatur. Diſplicet in præſentia(vt par eſt) vobis, ipſúmque vitij nomen animus auerſatur: quis ſcit, voluptatis ſi faciem ſplendido iſtorum fuco delibutam propiùs intueamini, ſi ſcriptoris artificium non infacetum flagitioſorum hominum mores ad vnguem imitantis in fabula comprobetis, quis ſcit, an huiuſmodi præſtigiis animo de ſtatu ſuo nonnihil moto placere in aliis expreſſum incipiat, quod abſens, aut ſolitarium tantopere diſplicebat? Habet hoc imitatio poëtica, quod ait Plato, In Ione. vt quæcumque de aliis refert, in nobis ſenſim effingat: quòd ſi illa ſint auditu obſcœna, viſu turpia, cogitatione inhoneſta, profectò nonnulla fœditate conſpergi animum, atque ex alienis in noſtra deriuari aliquid neceſſe eſt. Quare nolite, obſecro, iſtum animi candorem, iſtam mentis ingenuæ verecundiam, iſtud, quo nullum eſt maius, pectoris humani bonum, horum lenociniis carminum tutò credere, in has ſordes inquinatæ Poëſeos abiicere, inter hæc inſidioſæ voluptatis vada, ſyrtéſque, & Sirenum vndique pellicientium amplexus, hoc eſt, certiſſimum pudicitiæ, famæque naufragium vltrò committere. Petit hoc à vobis ipſa Poëſis, quæ hominum felicitati nata, ac ciuilis in gremio facultatis honeſtiſſimè enutrita, ſicut dolet indignatúrq; ab eius iam ſinu abſtrahi ſe, noménque ſuum ad morum licentiam, vitæque corruptelam procaciter

quales vos eſtis, veſtra opera ſuffragiiſque diſcludite. Quid enim habent (oro vos, adoleſcentes) quod ad legendum inuitare poſſit? ingenium pleríſque illorum humile, veſtríque diſſimile: opus fœdum, ſimiléque ſcriptori: delectatio ad genium plebis hauſta de fæce: artis gloria extra operis titulum rara, aut omnino nulla. contrà verò apud illos inimica morum diſciplinæ tam multa, ſuſpecta certè pleráque, nihil non anceps, intuta omnia. MALE quis inter exempla peccantium deprehenſus virtuti operam dabit: malè in regno voluptatis peregrinabundus honeſtatem quæret; imò periculum adibit, ne quemadmodum AD Tyranni, vt aiunt, domum nemo liber venit, ac rediit liber; ita qui ad iſtorum opera integer, atque incolumi honeſtate acceſſit, accepta luculenta plaga, periclitante verecundia, CVIVS rarò cicatrix obducitur, ſauciatus abſcedat. O tuam, eloquentiſſime Martyrum, de hac morum pernicie iuſtiſſimam querelam! Adulterium, aiebas palàm diſci, dum in ſcena atque in carmine videtur: & lenocinante ad vitia publicæ authoritatis malo, qui fortaſſe pudicus ad ſcenam proceſſerat, domum reuerti de ſpectaculo impudicum. Nimirùm ſunt hæc eo de genere vitiorum, quorum victoria fuga conſtat. proinde REMOVENDA ab aſpectu, ne tanquam lacryma ab oculis in pectus cadant. Laudat alicubi Ariſtoteles procerum Troianorum conſilium, qui Helenam ab ſuo conſpectu ſeparandam eſſe, reſtituendámque decreuerunt, quòd ea præſente deprauaretur animus, minúſque integrè iudicare, atque conſulere rebus

Cyprian. lib. 2. ep. 2.

Voluptas Helenæ ſimilis.

bus ſuis poſſet. Ita eiuſdem Philoſophi ſententia cum voluptate agendum eſt, cuius non tam oſtendenda turpitudo, quàm præciſa omni diſputatione ab oculis ſemel amouenda, vt de ea abſente caſtè incorruptéque ſentiatur. Diſplicet in præſentia (vt par eſt) vobis, ipſúmque vitij nomen animus auerſatur: quis ſcit, voluptatis ſi faciem ſplendido iſtorum fuco delibutam propiùs intueamini, ſi ſcriptoris artificium non infacetum flagitioſorum hominum mores ad vnguem imitantis in fabula comprobetis, quis ſcit, an huiuſmodi præſtigiis animo de ſtatu ſuo nonnihil moto placere in aliis expreſſum incipiat, quod abſens, aut ſolitarium tantopere diſplicebat? Habet hoc imitatio poëtica, quod ait Plato, In Ione. vt quæcumque de aliis refert, in nobis ſenſim effingat: quòd ſi illa ſint auditu obſcœna, viſu turpia, cogitatione inhoneſta, profectò nonnulla fœditate conſpergi animum, atque ex alienis in noſtra deriuari aliquid neceſſe eſt. Quare nolite, obſecro, iſtum animi candorem, iſtam mentis ingenuæ verecundiam, iſtud, quo nullum eſt maius, pectoris humani bonum, horum lenociniis carminum tutò credere, in has ſordes inquinatæ Poëſeos abiicere, inter hæc inſidioſæ voluptatis vada, ſyrtéſque, & Sirenum vndique pellicientium amplexus, hoc eſt, certiſſimum pudicitiæ, famæque naufragium vltrò committere. Petit hoc à vobis ipſa Poëſis, quæ hominum felicitati nata, ac ciuilis in gremio facultatis honeſtiſſimè enutrita, ſicut dolet indignatúrq; ab eius iam ſinu abſtrahi ſe, noménque ſuum ad morum licentiam, vitæque corruptelam procaciter

quales vos eſtis, veſtra opera ſuffragiiſque diſcludite. Quid enim habent (oro vos, adoleſcentes) quod ad legendum inuitare poſſit? ingenium pleríſque illorum humile, veſtríque diſſimile: opus fœdum, ſiméleque ſcriptori: delectatio ad genium plebis hauſta de fæce: artis gloria extra operis titulum rara, aut omnino nulla. contrà verò apud illos inimica morum diſciplinæ tam multa, ſuſpecta certè pleraque, nihil non anceps, intuta omnia. MALE quis inter exempla peccantium deprehenſus virtuti operam dabit: malè in regno voluptatis peregrinabundus honeſtatem quæret; imò periculum adibit, ne quemadmodum AD Tyranni, vt aiunt, domum nemo liber venit, ac rediit liber; ita qui ad iſtorum opera integer, atque incolumi honeſtate acceſſit, accepta luculenta plaga, periclitante verecundia, CVIVS rarò cicatrix obducitur, ſauciatus abſcedat. O tuam, eloquentiſſime Martyrum, de hac morum pernicie iuſtiſſimam querelam! Adulterium, aiebas palàm diſci, dum in ſcena atque in carmine videtur: & lenocinante ad vitia publicæ authoritatis malo, qui fortaſſe pudicus ad ſcenam proceſſerat, domum reuerti de ſpectaculo impudicum. Nimirùm ſunt hæc eo de genere vitiorum, quorum victoria fuga conſtat. proinde REMOVENDA ab aſpectu, ne tanquam lacryma ab oculis in pectus cadant. Laudat alicubi Ariſtoteles procerum Troianorum conſilium, qui Helenam ab ſuo conſpectu ſeparandam eſſe, reſtituendámque decreuerunt, quòd ea præſente deprauaretur animus, minúſque integrè iudicare, atque conſulere rebus

Cyprian. lib. 2. ep. 2.

Voluptas Helenæ ſimilis.

bus ſuis poſſet. Ita eiuſdem Philoſophi ſententia cum voluptate agendum eſt, cuius non tam oſtendenda turpitudo, quàm præciſa omni diſputatione ab oculis ſemel amouenda, vt de ea abſente caſtè incorruptéque ſentiatur. Diſplicet in præſentia (vt par eſt) vobis, ipſúmque vitij nomen animus auerſatur: quis ſcit, voluptatis ſi faciem ſplendido iſtorum fuco delibutam propiùs intueamini, ſi ſcriptoris artificium non infacetum flagitioſorum hominum mores ad vnguem imitantis in fabula comprobetis, quis ſcit, an huiuſmodi præſtigiis animo de ſtatu ſuo nonnihil moto placere in aliis expreſſum incipiat, quod abſens, aut ſolitarium tantopere diſplicebat? Habet hoc imitatio poëtica, quod ait Plato, vt quæcumque de aliis refert, in nobis ſenſim effingat: quòd ſi illa ſint auditu obſcœna, viſu turpia, cogitatione inhoneſta, profectò nonnulla fœditate conſpergi animum, atque ex alienis in noſtra deriuari aliquid neceſſe eſt. Quare nolite, obſecro, iſtum animi candorem, iſtam mentis ingenuæ verecundiam, iſtud, quo nullum eſt maius, pectoris humani bonum, horum lenociniis carminum tutò credere, in has ſordes inquinatæ Poëſeos abiicere, inter hæc inſidioſæ voluptatis vada, ſyrtéſque, & Sirenum vndique pellicientium amplexus, hoc eſt, certiſſimum pudicitiæ, famæque naufragium vltrò committere. Petit hoc à vobis ipſa Poëſis, quæ hominum felicitati nata, ac ciuilis in gremio facultatis honeſtiſſimè enutrita, ſicut dolet indignatúrq; ab eius iam ſinu abſtrahi ſe, noménque ſuum ad morum licentiam, vitæque corruptelam procaciter

In Ione.

Fam. Strada. G obtendi;

mores vtrorumque referre debuerint. Commenta ſunt hæc hominum in ſpeciem ſapientium, quíque hiſce ſimulationum inuolucris tegunt, & quaſi velis quibuſdam obtendunt ſtyli petulantiam, atque improbitatem ſui.

Perſ.Sa.3. *Ad populum phaleras : hos intus & in cute noui.*

alia mens illis adſcribendum fuit, aliúmque legentes exitum ſortiuntur. Annon illi palàm profitentur (ſic enim de fine Poëticæ diſputant) nihil præter oblectationem quærere ſe iis fabulis figmentíſque? atqui oblectationem illam exitialem eſſe non ignorant. profitentur igitur exitium vélle ſe animis importare : &, ſi id quod ſpectant aſſequuntur, important. Equidem ipſe quoties in laſcinum ac turpe aliquod volumen incido, quæróque tacitus mecum, quid infortunij ſcriptorem impulerit, vt ad fœdum illud, lutulentúmque dicendi genus animum adiiceret, altertra mihi ex hiſce cauſis occurrere plerunque ſolet. Interdum EX opere interpretor indolem, naturámque ſcriptoris : didici enim ex Ariſtotele, Poëtarum præcipuè lucubrationes partus vocari ; nec magis à parentibus liberos, quàm à Poëtis amari libros ſuos. hinc vbi aliquid intueor obſcœni carminis, ſuſpicari venit in mentem, partum eſſe parenti ſimilem, nec potuiſſe ex impuro turpíque ingenio pulchriorem nobilioremque ſobolem procreari. Quòd ſi hoc coniicere non licet (quamquam rarò admodùm non licet : illa enim turpium meditatio, illa ſcriptio, illa recitatio quomodo mentem non contaminet, cœníque, quod aſſiduè tractat, ſordibus non aſpergat?) verto me in alteram partem, opúſque

Cur ad turpia ſcribenda aliqui applicent animum.

impu

impudicè compoſitum, in ſcriptoris inſcitiam referre plerunque non falſus incipio. Etenim Poëſim condere, quæ ſine artis iniuria delectet pariter ac proſit, tantæ felicitatis ingenij eſt, vt (quaſi à Deo præcipuæ ſuggerãtur ea in re vires) dixerit olim Socrates, tunc ſe homines oſtendere Dei ſobolem, cùm dignum Poëtæ nomine carmen emittunt. Id ergo cùm iſti animaduertant, ſéque ea ingenij excellentia nobilitatéque deſtitutos intelligant, tantùm vt operis moliantur, quod ſummis atque imis gratum in virtutis complexum rectà mortales ferat; dant ſe in alteram viam, & conquiſitis (quod difficilè non eſt) canoris ad oblectandum nugis, iiſque arma inter, amoréſque turpiter ac fœdè illitis, ſic eam hominis partem, quæ facilis captu eſt, alliciunt titillántque; ſic ſe in vulgi manus atque animos, homines facti ad ingenium vulgi, pertinaciter inſinuant; vt quam expectare Poëtæ laudem ab ingenij ſui infelicitate non poterant, eam ſe ſuffragio plebis ſordidiſſimis hiſce blanditiis delinitæ impetraturos facilè ſperent.

Liberi, & libri parentibus ſimiles.

Apud Platonem in Ione.

Impudicè Poëſim tractare haud difficile.

Sed non impetrabunt, vti cenſeo ſperóque, à vobis, Rhetores, vt in turbam vos quoque conferant, ſéque apud vos Poëtarum loco magnificè vendìtent. Non erit vobis tam vile, támque circumforaneum Poëtæ nomen, vt ad ignobilia, ſordidáque iſtorum capita deprimatis. Quos impuro in carmine laſciuire licentiùs videtis, eos honeſtati noxios, infenſos publico bono contrarios ei, quam profitentur, arti exiſtimate: ideóque non modò à caſto, ingenioſóque Poëtarum choro, ſed à nobilium etiam conſpectu virorum,

Poëtæ obſcœni cur euitandi.

qua

bus ſuis poſſet. Ita eiuſdem Philoſophi ſententia cum voluptate agendum eſt, cuius non tam oſtendenda turpitudo, quàm præciſa omni diſputatione ab oculis ſemel amouenda, vt de ea abſente caſtè incorruptéque ſentiatur. Diſplicet in præſentia (vt par eſt) vobis, ipſúmque vitij nomen animus auerſatur: quis ſcit, voluptatis ſi faciem ſplendido iſtorum fuco delibutam propiùs intueamini, ſi ſcriptoris artificium non infacetum flagitioſorum hominum mores ad vnguem imitantis in fabula comprobetis, quis ſcit, an huiuſmodi præſtigiis animo de ſtatu ſuo nonnihil moto placere in aliis expreſſum incipiat, quod abſens, aut ſolitarium tantopere diſplicebat? Habet hoc imitatio poëtica, quod ait Plato, *In Ione.* vt quæcumque de aliis refert, in nobis ſenſim effingat: quòd ſi illa ſint auditu obſcœna, viſu turpia, cogitatione inhoneſta, profectò nonnulla fœditate conſpergi animum, atque ex alienis in noſtra deriuari aliquid neceſſe eſt. Quare nolite, obſecro, iſtum animi candorem, iſtam mentis ingenuæ verecundiam, iſtud, quo nullum eſt maius, pectoris humani bonum, horum lenociniis carminum tutò credere, in has ſordes inquinatæ Poëſeos abiicere, inter hæc inſidioſæ voluptatis vada, ſyrtéſque, & Sirenum vndique pellicientium amplexus, hoc eſt, certiſſimum pudicitiæ, famæque naufragium vltrò committere. Petit hoc à vobis ipſa Poëſis, quæ hominum felicitati nata, ac ciuilis in gremio facultatis honeſtiſſimè enutrita, ſicut dolet indignatúrq; ab eius iam ſinu abſtrahi ſe, noménque ſuum ad morum licentiam, vitæque corruptelam procaciter

obtendi; ita monet obſecrátque vnumquemque veſtrûm, ne vobis imponi ſuo nomine, néve induci vos in fraudem ſimulatione hominum, qui ſe Poëtas nũcupant, ac ſanctiſſimę diſciplinæ nomen ementiuntur, vlla ratione permittatis. Petit hoc à vobis, cuius eſt imperare, Politica: vt quam artem ſuo ab imperio transfugam artium de numero bonarum expunxit, atque à ciuitatibus, in quarum felicitatem dirigere illam planè non poterat, excluſit; eam ne apud vos collocare domicilium, aut aſyli ius aliquod reperire patiamini. Petit hoc demũ à vobis, exigítque iuſtiſſimis nominibus ſanctitas Chriſtianæ diſciplinæ trãſmiſſæque è cœlo legis integritas; vt quem in veſtris animis pudorem inſeuit, hodiéque quacumque niue candidior efflorescit; caueatis etiam atque etiam, ne iſtorum aſpiratione carminum afflatus aliquando languescat.

PROLV-

PROLVSIO IV.

Idem argumentum: An poëticè faciant, qui verſus faciunt impudicos.

PRo Poëtica aduersùm impuros carminum ſcriptores ex hoc loco aliquot antè menſibus verba faciens hoc molitus dicendo ſum (Cardinalis Ampliſſime (vt obſcœnitatem in carminibus multorum liberè impunéque laſciuientem, qua poſſem ratione coërcerem; certè à meorum animis auditorum, ac manibus abalienarem. Quod quamquam præiudicata iam cauſa impetrare à multis initio tardum fuit; tamen paulatim animaduerti, tantùm momenti viſum eſſe in patrocinio, quod ſuſceperam, honeſtatis, vt ex iis, qui mihi dicenti aderant viri perbene docti (quales ex vobis, Præſules, Patréſque, ac Auditores cæteri, complures intueor) non modò ire ſe in meam ſententiam palàm faterentur, ſed adderent: graue ſanè vulnus impuræ ementitæque Poëſi inflictum eſſe, nec dubitare ſe (ſi plures côiuncta opera, & tamquam collatitia ſuffragatione idem conarentur, vrgeréntque idem, vt illam vſurpati nominis ream agerent, turpémque corniculam pompa aliena ſpoliarent) quin deſerta à ſuis atque abiecta, raro in poſterum ſcriptore coleretur. Sed hic cõſenſus ac plauſus, ſicut ille tunc operis calor, & contentio ſuſcepti præferuidè negotij, vt arbitror, eum exprimebat; ita ſucceſſu tẽporis intermitti, rurſúmque vetus opi- Fructus ex ſuperiori proluſione.

 nio

nio multos inceſſere ac ſollicitare, imponere etiam non nemini rurſum cœpit. Nimirùm contra inquietum reciprocúmque hoc malum, Oebari viri prudentiſſimi remedium in tempore adhibendum puto. Hic Imperium Cyri comparare cum corio ſolebat animantibus detracto; cuius quæ partes pede premerentur, eæ ſubſiderent, adæquarentúrque cum ſolo, quæ verò intactæ præterirentur, reſilirent paulatim à terra, turgentéſque ſuſtollerent ſeſe. Quare optimum factu dicebat, ſi identidem Rex Imperij partes inuiſeret calcarétque, ne fortè ſe aduersùs Principem, ſi non deprimerentur, erigerent. Planè hoc mihi vir loco audiendus eſt. Preſſa eſt dicendo nuper à me atque protrita nonnullorum Poëſis, quæ ſicuti erat impura cœnóque perlita, ita perpetuò vt iaceret humi conatus ſum. Sed quoniam, cùm inde retuli pedem, illa rurſus intumuit, multorúmque furtim irrepſit in animos; denuò mihi eodem conatu ac vi reprimenda eſt, ſupploſóque iterum pede calcanda, & ſolo vſque ſolidè continenda. Quamobrem videtis, credo, diſputationis meæ conſilium, Auditores; carminum turpitudinem hodierno die rurſus excuteo, obſcœnámque in verſu imitationem, Poëſim eſſe, quæ omnium complexionem habeat numerorum, haud timidè pernego: tum quia quæ ciuitatis eſt pernicioſa moribus, Poëſis planè dici, aut eſſe non poſſit: tum quia impuram ſcriptoris imitationem ſatis conſtet ipſam eſſe perniciem ciuitatis. Quæ illa ſunt duo impreſſa à me olim veſtigia, hodie propterea repetenda eodem pugnaci, & concertatorio genere Orationis,

Ariſtid. Orat. de vrbe Roma.
Comparatio regni cum corio.

Cauſa repetendæ diſputationis.

Summa diſputationis.

Styli ratio.

nis, vt iterum ac ſæpe amatoria Poëſis non vmbratili, ac ſaltatorio ludentium more tacta leuiter,ſed collato altiùs pede, totáque veluti corporis firmitate ac pódere conculcata planè ſubſidat.

Ergo(vt prius aggrediar è duobus, quod propoſui priùs) tres ſunt quaſi regiones, ex quibus vniuerſa circumſpici, ac notari poteſt animo Poëſis. Nam ſi in ea contemplanda ſuſtollis te paulùm, ARTEM vides:ſi introſpectas, IMITATIONEM deprehendis:ſi deſpicis,PROLEM Poëticæ numeras Epopœiam, Tragœdiam, Comœdiam,Dithyrambicam. Atqui ſiue Poëticæ commune cum cæteris artibus genus,ſiue propriam illius naturam, ſiue formas eiuſdem conſideres, eam vbique ſenties, vt ciuium commodo felicitatíque natam facilè intelligas:itaque ita natam, vt ſi ab hac mortalium vtilitate deflectat in contrariam partem, continuò neque artis, neque imitationis, neque alicuius formæ Poëſeos integram perfectámque appellationem obtinere cum dignitate poſſe videatur. Age: inter artes Poëtica recenſetur, in earúmque & quidem nobilium choro nomen profitetur ſuum. Hæc igitur artis appellatio ad ciuium commoda vtilitatéſque Poëſim nauiter inuitat,planéque cogit. Rogas quamobrem? Quia ARS, quæ hominum bono fructuíque non ſtudeat,ars non eſt.Facit, vt in hac ſententiam non pauidè proloquar,Ariſtoteles,qui in Ethicis diſertè pronunciat, hoc artis cuiuſque proprium eſſe, vt bonum appetat:quod ſanè bonum huiuſmodi ſit, vt referri poſſit in bonum ciuitatis. Ad hoc autem ciuitatis bonum cùm ciuilis facultas, cui propoſitum illud

Vnde ſit definiẽda diſputatio.

An ars pernicioſa hominum bono ars ſit,

Finis ciuilis facultatis.

eſt tanquam finis, peruenire haud poſſit, niſi ſubiectos habeat conſpirantéſque ad eandem felicitatem fines artium reliquarum; profectò ſi qua reperiatur ars, quæ ab hac felicitate hominem retrahat, hæc ſicut dicenda non eſt ad ciuium commoda conſpirare, atque adeò nec ſubeſſe Politicæ, ita etiam nec bonum appetere, & (quod inde fit) neque abſolutè integréque ars eſſe dicenda eſt. Hic ego ſubſiſtam aliquantulùm: & quid acuti homines reſpondere poſſint, non modò non diſſimulabo, ſi ſciant, ſed vltrò, ſi neſciant, edocebo. In arte (fingite ſic eos loqui) duæ res ſunt, & obſeruatio plurium præceptorum, quorum vſu operis aliquid efficitur, & vtilitas, quæ ex huiuſmodi opere ad hominum ſocietatem permanat. Hoc poſterius arti accedit extrinſecus, quia videlicet artifex pars & ipſe ciuitatis eſt, opúſque fabrè ab ſe factum in commune confert. quòd ſi ab artifice rationem ciuitatis animo ac re ſeparas, eúmque conſideras aliquid operis molientem; modò id per certa quædam præcepta ſcitè conficiat, artifex ſanè dicendus eſt, licèt vſui fructuíque ciuitati non ſit. Verùm aut ego fallor, aut iſti diſſentiunt à communi ſenſu hominum, dum ita ſentiunt. Cur enim à ciuitate ſeparant artem, ac volunt eſſe ſolitariam, quæ propter hominum ſocietatem, rerúmque communionem inſtituta eſt? Quid aliud ſpectarunt artium inuentores, præter vitæ præſidia, vtilitatémque mortalium? quem profectò finem quomodo conſequi poterant, niſi ipſa artis præcepta in hæc hominum commoda diſponerent, referréntque? quòd ſi retulerunt,

Quid reſpondere hic poſſint aliqui.

A ciuium commodo an ſeparari queat ars.

qui

quis non videt, hunc, quo de loquimur, finem præceptis cognatum eſſe atque permiſtum, ab iiſque tam altè pendere, vt ſeparari ars à ciuili vtilitate non poſſit? quam qui ſuo ſeparant ingenio; artémque ſolitariam conſiderant, appellent artem, vt libet, ac nominibus abutantur arbitratu ſuo; certè humana non eſt ars, quæ hominum bono ac fructui non inſeruit; imò nec vſquequaque ars eſt; quando (vt id non tam oratione mea, quàm magni viri teſtimonio definiam) Euſtratius grauis author, dum hunc ipſum, quem in præſentia laudo, Ariſtotelis locum philoſophica ſeueritate perpendit, diſertè conſtantérque negat, artem appellari poſſe eam, quæ ab vtilitate commodóque ſeiuncta ſit: támque ei nomen artis, quàm cadaueri appellationem hominis conuenire. ídque exemplorum appoſitione, ac rationum momentis copioſè decernit. Vt ſanè irridere hic ego poſſem eos, qui me ſapientem vnicè, nouáque mundo præcepta cudentem, iocóne, an ſeriò perſtringunt? cùm tamen tanto ante me ſcriptor illuſtris, méque & illis non paulo ſapientior hoc ipſum diſputatione opportunè comprehenderit, definitione haud dubitanter explicuerit, ſcriptis ingenioſè poſteritati commendauerit. Sed libet in telum adhuc acrius manus iniicere, cauſæque iugulum rectà petere, atque eam ſi poſſim aliquando perimere. D. Thomas, cuius nomen non tam hominis, quàm ſapientiæ nomen eſt, in poſteriore volumine ſecundæ partis Theologicæ ſummæ, hoc perpetuò conuenire docet artibus, vt eiuſmodi ſint earum opera, quæ indifferenter ab hominibus

In cap. 1. & 2. lib. 1. Eth.

Ars abſque fructu cadauer eſt artis.

2.2.q.169 ar.2.

Artium opera quæ.

vſurpari queant, tum bene ſalubritérque, tum prauè ac perniciosè. Sic enim ait: *Hæ ſolæ artes ſunt vocandæ, quarum operibus poſſunt homines bene, ac malè vti: quemadmodum gladiis, ſagittis, atque horum ſimilibus.* laudátque propterea Chryſoſtomum, qui eadem ſentiens, ac multa artium nomina diſpungens, ſolas illas eſſe cenſebat artes appellandas, quæ conficiunt, ſuppeditántque neceſſaria, & ea, quæ continent vitam noſtram. Iam verò ſi operum, quæ ab arte proficiſcuntur, illa eſt ratio, vt indifferenter adhiberi poſſint ad vſum, eáque quaſi nota de arte iudicant ſapientes viri; vbi opus aliquod indifferens haud eſt, ſed eo non niſi in noſtram perniciem vti poſſumus, nónne ab arte illud eſſe certiſſima coniectura negabimus? Atqui obſcœno turpíque Poëmate, niſi perniciosè ac nocenter, vtitur nemo vt malo ſentiunt ſuo, qui huiuſmodi carminum lenociniis perditè capiuntur; & adhuc aſſerere dubitabimus artis non eſſe, quod impuri homines ſummo ſe ſcilicet artificio canere, relictóque poſt ſe Apolline modulari vaniſſimè gloriantur? Sed vtinam, quemadmodum ſatis intelligunt homines non licere ſibi ad haſce amatorias fabulas accedere incolumi pudore; ita earum conditores tandem aliquando animaduerterent, quàm parum ſibi Poëticæ gloriæ, quàm multùm aliis ſolidæ iacturę cladíſque, inanibus hiſce commentis, quotidie creent: profectò puderet eos non minùs in Chriſtianas leges, quæ vita debent eſſe chariores, quàm in poëticas, quibus dāt operam, præceptiones ac fabulas tam inſcitè, turpitérque peccare. Negat is, quem modò laudaui, D. Thomas,

Hom. 50. in Matth.

Obſcœnū carmen cui bono vſuique.

Thomas, licere operam dare fabricandis Deorum ſimulacris, artémque huiuſmodi, etſi non artis nomine fortaſſe ſpoliandam, ſeriò tamen vtentibus interdicit. Certè repertos olim artifices accepimus Religionis, atque opificij gloria nobiles, qui rogati ab Ethnicis, vt Deorum ſigna è marmore, aut ære fabrefacerent, ne artem iuxtà ac ſe ea molitione pollnerent; quidlibet pati potiùs, ſanguinémque ac vitam libentiùs proiicere voluerunt. Deus immortalis! quàm multa hodie Veneris idola (ſic impuræ commenta Poëſeos appello) non lapide lignóve, ſed litterarum voluminibus, hoc eſt, monumentis ære perennioribus fabricantur? quantis hæc impudicitiæ ſimulacra ſuffragiis Principum virorum exponuntur, atque in foro, in triuiis, in ædibus, in conclauibus, vbique collocantur? qua iuuenum frequentia, qua imperitorum admiratione, quibus populi plauſibus extolluntur, ac propemodum adorantur? Et licere ſibi huiuſmodi artes homines exiſtimant in hoc candore caſtiſſimæ Religionis noſtræ: nec intelligunt, in tam bono ſinceróque lumine, quàm vili ſe ſordidóque negotio fœdè contaminent, quàm infami cultu mortalium animos ſeruituti dæmonum impiè mancipatos habeant, quam plagam pudicitiæ, quam cladem Religioni, quam contumeliam Principi omnium Deo nefariè moliantur. Illi, qui Deorum ſigna fundabant olim fingebántque, non ita demum ea fabricabant, quin iis ſimulacris vti etiam homines poſſent ſine vllo ſuperſtitionis cultu ad ædium ornatum, aut fulcimentum: at verò qui impudicæ Poëſeos

loco ſuprà citato.

Claudius, Nicoſtratus, Caſtorius, Simphorianus, & Simplicius.

Turpium carminũ conditores cum idolorum fictoribus comparantur.

Vtri plus peccent.

idola inuerecundè impudentérque concinnata, atque ad omnem turpitudinem fabrefacta proponunt, quem denique vſum relinquunt intuentibus, niſi vt eorum aſpectu cultúque violatæ ſemel hominum mentes, deſerta honeſtate, abiecto pudore, in Regnum complexúmque voluptatis, qua nihil eſt inimicius Virtuti, miſerè transfugiant? Sed rationum, non querelarum momentis agendum mihi hoc loco præſcripſi. Quare hiſce prætermiſſis, ab arte, quæ Poëticæ cum cæteris communis eſt, ad IMITATIONEM propriam illius naturam, ſi placet, accedamus. Fuerit, vt licuit, pro arte pugnatum, ne eam à ciuium bono, publicáque vtilitate ſeiungi pateremur. Quid imitatio? poteſtne ab hac vtilitate

An imitatio poëtica carere poſſit vtilitate.

ſeparari? ſi de poëtica imitatione ſermo ſit, non poteſt. Cauſam in promptu habeo: quia VT placidè proſit, Poëſis eſt. Sic me de Poëticæ imitationis fine non timidè proloqui compellunt no-

Finis Poëſeos qui.

biliſſimi quique ſcriptorum, cum quibus multo libentiùs facio, quàm cum paucorum grege, qui Poëtarum imitamentis σκοπὸν vnicè præfigunt voluptatem. Sic PLATO ille diſertiſſimus ſapientium, diſertorúmque ſapientiſſimus vbique docet effusè in hanc ſententiam: ſolitus etiam alicubi Poëtam conferre cum eo, qui faſtidienti

De legib. dial. 2.

ægroto conuenientem cibatum ſanitatémque allaturum, ſuauis conditione ſaporis efficit valetudini gratum, & guſtatui iucundũ. Sic STRABO

lib. 1. Geogr.

dominantium ea tempeſtate litterarum peritiſſimus, damnata aliorum opinione copiosè diſputat, tantùm huic fini Poëtarum tribuens, vt exiſtimet, omnem ætatem fingi formaríque per Poë-

ticam

ticam longè perfectiùs, quàm per exempla Philoſophorum. Sic Romanæ fidicen lyræ, Lyricorúmque lex HORATIVS arbitratur: pręfatus enim triplex Poëtarum conſilium eſſe poſſe, aut vtilitatem, aut oblectationem, aut vtrumque conſectantium: cùm hominum ſtudia aliò atque aliò trahentium diſtinxiſſet, oſtendiſsétque ſenes vtilitate metiri carmen, iuuenes voluptate, quæſtionem ita demum definit:

OMNE tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci, In Arte Poët.
Lectorem delectando, paritérque monendo:
Hic meret æra liber Soſiis; hic & mare tranſit,
Et longum noto ſcriptori prorogat æuum.

Omitto EVRIPIDEM, qui ab Æſchylo interrogatus apud Ariſtophanem, cuius rei gratiâ admirari oporteat Poëtam; reſpondet; Si efficacitatis ſit in commonendo, vt homines fiant in ciuitate meliores. Omitto in XENOPHONTIS conuiuio Niceratum apertè pronunciantem, ſe coactum à parente, omnia Homeri carmina perdiſcere; quòd diceret, haud dubiè illum euaſurum ea lectione virum bonum. Omitto vniuerſam ferè antiquitatem, quam fuiſſe in ea, de qua dicimus, ſententia Strabo vir doctiſſimus perſuadet. Omitto pleroſque ſuperioris ęui ſcriptores, Hieronymum FRASCASTORIVM, Iul. Cæſ. SCALIGERVM, Alexan. PICOLOMINEVM, Iaſonem de NORES, Torquatum TASSVM, Vincentium MAGIVM, alióſque, qui vnà omnes vtilitatem præſcribunt finem imitationi Poëtarum. Et verò ſi non aliud inſtitutum Poëtæ fuerit, quàm ſe atq; alios oblectare; meritò ſanè veretur is, quem modò primum non ætate magis quàm dignita-

In Ranis.

lib. 1. Georg. Dial. de Poët. In Poët. Ariſt. lib. 1. Poët. De Poët. lib. 1. de Poëm. Heroico. In Prolegom.

te

te nominaui FRACASTORIVS, ne inclytum Poëtæ nomen leue quid euadat ac ridiculum. imò cùm Poëtæ vigilias laboréſque cõſidero, ſi ob ſolam delectationem (quid autem ſi ob turpem?) ab eo accipiuntur; profectò inſanienti ſeni, quem vicinum idem FRACASTORIVS habuiſſe ſe commemorat, arbitror eum eſſe quàm ſimillimum. Emerat hic ſenex agrum à partiario, cum quo communem diu habuerat; colebátque iam proprium diligenter: nonis quotidie conſerebat arboribus, quibus (vt interdum fit) emortuis, ne pomarium rareſceret, nouellam ſobolem ſubſtituebat. aquarum corriuatione, piſcina, roſario, hortenſi pergula, oluſculis, & floribus coronariis bellè diſtinxerat ornaueratque. vnum deeſſe videbatur ſeni ad felicitatem? quòd cùm ei domus eſſet in ſummo colle ſita, inde ne agellum ſpectare ſubiacentem poſſet; impedimento erat peruetus ſylua, montíſque interiecta pars. Ergo, etſi animaduertebat laboris immenſi eſſe, ſyluam ac rupem è medio atque ex oculis amouere; tanta tamen ardebat cupiditate contemplandi prædioli ſui è domo atque è lecto, vt in extremam deuenerit amentiam ſyluæ rupiſque auertendæ. Quare conductis operis rem aggredi, quercus antiquiſſimas cædere, montis faſtigium deprimere, truncos & ſaxa plauſtris auehere, quidquid aſpectui officeret amoliri; nulli ſumptui laborive parcere. Cúmque à vicinis effuſè ridentibus, quòd molitioni atque inſaniæ finem nullum faceret, interrogaretur, qua tandem gratia tanto labore ſe familiámque conſumeret, reſpondere ſolebat, id ab ſe fieri, vt agrum quem tam pul-

Cum quo comparãdus Poëta qui voluptatem tantummodo ſequatur.

Inſanus hominis labor.

2) chrè

chrè coluiſſet, omnibus horis intuendo, caperet ex omni parte voluptatem. Ita profectò Poëtę non minorem exæquare rupem, ſyluámque cædere videntur diu noctúque pangendis verſibus, inuigilando, algendo, ſudando, ſempérque (perinde quaſi exangue, quod ait ille, cuminum biberent) pallendo: interrogati verò, quò demùm hæ vigiliæ diuturníque labores ſpectent, ſi non aliud reſponderint, quàm hunc eſſe Poëtarum tanta molientium finem, vt ſe alióſque canendo delectent; equidem inſanire illos (inquit FRACASTORIVS) non minùs dicam, quàm ſenem illum agelli ſui contemplatorem. Non hunc ſanè in modum ſapientes viri de Poëta cenſuerunt, quem humano generi labore ſuo proſpicientem modò caſtigatorem vitę, ſępe morum magiſtrum, plerunque diuinum appellarunt: quem Græci Románique ſummis honoribus, eadémque qua Imperatores corona dignum arbitrati ſunt: cuius denique numeris ſanctiſſimi Vates, Sibyllæque integerrimæ oracula, quæ diuinitus conceperant, reddiderunt. Quòd ſi ita eſt, ſi dum opus ſuum moliuntur, ſéque in omnes hominũ mores transferunt Poëtæ, ſeu (quod idem eſt) dum imitantur; non per deridiculum verba dare, aut operam ludere credendi ſunt, ſed huc demum ſpectant figmentis ſuis, vt oblectantes proſint; Poëſis impudicè laſciua, quæ imitando plurimùm obeſt, quî, rogo, poterit vſquequaque appellari poëtica imitatio? At, inquiunt, illa ipſa artis præcepta ſeruari videmus in obſcœna imitatione, quæ ſeruantur in caſta: cur igitur ſi hanc Poëſim dicimus, illam negamus, quando vtrobique eaſdem imi-

Horat. l.1.ep.19.

Poëtæ laudes.

An artis præcepta ſeruentur in imitatione obſcœna.

imitandi præceptiones, atque ideò eandem imitatricem artem reperimus? Sentio hic iterum vrgeri me, cauſæque ad caput obſtinatè reuocari. Ego ſic ſtatuo. Carmen obſcœnum non eſt vſque adeò exlex, atque expers artis, quin aliquid in eo poëtici operis agnoſcam. quippe in illo duo ſunt: eſt effictio imitatióque perſonarum, in qua cùm communia huius artis præcepta ſeruentur, ex arte imitatio videri poſſet; planéque eſſet ex arte, niſi accederet alterum, quod artem poëticam magna ex parte corrumperet: nam in Poëmate impuro præter imitationem præcepta per communia conformatam, eſt eorundem accommodatio præceptorum ad materiam turpem; quod quia Poëticæ repugnat fini, vitium eſt artis malè ad finem ſuum præcepta referentis, ideóque Poëticam deſtruentis, quæ cum fine ſibi contrario cōſiſtere haud poteſt. Obloquantur, vt libet, homines voluptuarij, alióque rem transducere moliantur. Ad hoc Poëſis nata eſt, vt mortalium animos blandè conciliatos ad morum honeſtatem, amorémque Virtutis inducat. Accipite, ſi placet; quid in hanc ſententiam non aliquis è Poëtarum, aut Rhetorum choro, vendibili argumento ſuadeat; ſed è ſapientium Senatu, vbi ad veritatis trutinam ſingula penduntur, hac ſuper re ſtatuat D. Thomas. *Poëtica*, inquit, *fabulæ idcirco inuentæ ſunt, quia quemadmodum ait Ariſt. in Poëticis, conſilium illorum erat, vt mortales adducerent ad Virtutis adeptionem, ac vitij fugam: ad quæ ſimplices homines meliùs repræſentationibus, quàm rationibus inducuntur. Duo igitur*, ſic enim concludit, *in poëticis fabulis reperiri neceſſe eſt, & vt*

Præceptorum tum conformatio, tum accōmodatio.

In ep. 1. ad Tim. c. 4. lect. 2.

Poëticæ fabulæ cur inuentæ.

vt contineant verum ſenſum aliqua veriſimilitudine inuolutum, & vt aliquid vtile repræſentent. Si ergo hic Poëticæ imitationis eſt finis, atque hunc à Poëta inter imitandum reſpici neceſſe eſt; is qui imitationis præcepta detorquet ad eam materiam, ex qua finis hic magnopere tollatur, quomodo intra Poëticam artem ſtetiſſe meritò glorietur? Finge conſtructam ab artifice domum: iacta ſolidè altéque fundamenta, erectos ſublimè parietes: intus atria, periſtylia, gradationes, conclauia, thalamos, antithalamos; foris aperturas, lumina, tegumenta, præcinctiones, faſtigiorum acroteria, ornamenta coronarum, ſubgrundationes, proiecturas, membra omnia ædificij ex architecturæ legibus ita fabricata, vt altitudo ad perpendiculum, angulus ad normam, longitudo ad regulam lineámque reſpondeant. Finge præterea hanc domum exædificatam è marmore magnam partem fragili ac ruinoſo: ſtare, tegíque è lignis intempeſtiuè cæſis, pandatione ſidentibus, odorem tetertimum exhalantibus: demum inſalubri ſub cœlo, deſcriptam aream, ipsámque domus faciem ad ætheris inclinationem obuerſam eſſe, vnde nocentes ventorum aſpirationes, auráſque è paluſtri vicinitate nebuloſas intercipiat. quid ergo? extructámne ex artis planè præſcripto domum affirmabis? Non opinor. Cur id, obſecro? Credo, quia architecturæ communes illæ quidem leges ſeruatæ ſunt, deprimendi ad ſolidum fundamenta, attollendi partiendíque cum commenſu parietes, imponendi magnificè elegantérque tectũ: ſed quia hæc ædificandæ domus præcepta in ea

Accommodatio præceptorum ad materiam an ſpectãda ſit artifici.

Domus molitio cum molitione carminũ comparatio.

imitandi præceptiones, atque ideò eandem imitatricem artem reperimus? Sentio hic iterum vrgeri me, cauſæque ad caput obſtinatè reuocari. Ego ſic ſtatuo. Carmen obſcœnum non eſt vſque adeò exlex, atque expers artis, quin aliquid in eo poëtici operis agnoſcam. quippe in illo duo ſunt: eſt effictio imitatióque perſonarum, in qua cùm communia huius artis præcepta ſeruentur, ex arte imitatio videri poſſet; planéque eſſet ex arte, niſi accederet alterum, quod artem poëticam magna ex parte corrumperet: nam in Poëmate impuro præter imitationem præcepta per communia conformatam, eſt eorundem accommodatio præceptorum ad materiam turpem; quod quia Poëticæ repugnat fini, vitium eſt artis malè ad finem ſuum præcepta referentis, ideóque Poëticam deſtruentis, quæ cum fine ſibi contrario cõſiſtere haud poteſt. Obloquantur, vt libet, homines voluptuarij, alióque rem tranſducere moliantur. Ad hoc Poëſis nata eſt, vt mortalium animos blandè conciliatos ad morum honeſtatem, amorémque Virtutis inducat. Accipite, ſi placet; quid in hanc ſententiam non aliquis è Poëtarum, aut Rhetorum choro, vendibili argumento ſuadeat; ſed è ſapientium Senatu, vbi ad veritatis trutinam ſingula penduntur, hac ſuper re ſtatuat D. Thomas. *Poëticæ, inquit, fabulæ idcirco inuentæ ſunt, quia quemadmodum ait Ariſt. in Poëticis, conſilium illorum erat, vt mortales adducerent ad Virtutis adeptionem, ac vitij fug*[...] *quæ ſimplices homines meliùs repræſe*[...] *quàm rationibus inducuntur. Duo igit*[...] concludit, *in poëticis fabulis reper*[...]

Præceptorum tum conformatio, tum accõmodatio.

In ep. 1. ad Tim. c. 4. lect. 2. Poëticæ fabulæ cur inuentæ.

vt contineant verum ſenſum aliqua veriſimilitudine inuolutum, & vt aliquid vtile repræſentent. Si ergo hic Poëticæ imitationis eſt finis, atque hunc à Poëta inter imitandum reſpici neceſſe eſt; is qui imitationis præcepta detorquet ad eam materiam, ex qua finis hic magnopere tollatur, quomodo intra Poëticam artem ſteriſſe meritò glorietur? Finge conſtructam ab artifice domum: iacta ſolidè altéque fundamenta, erectos ſublimè parietes: intus atria, periſtylia, gradationes, conclauia, thalamos, antithalamos; foris aperturas, lumina, iugumenta, præcinctiones, faſtigiorum acroteria, ornamenta coronarum, ſubgrundationes, proiecturas, membra omnia ædificij ex architecturæ legibus ita fabricata, vt altitudo ad perpendiculum, angulus ad normam, longitudo ad regulam lineámque reſpondeant. Finge præterea hanc domum exædificatam è marmore magnam partem fragili ac ruinoſo: ſtare, tegíque è lignis intempeſtiuè cæſis, pandatione ſidentibus, odorem teterrimum exhalantibus: demum inſalubri ſub cœlo, deſcriptam aream, ipſámque domus faciem ad ætheris inclinationem obuerſam eſſe, vnde nocentes ventorum aſpirationes, auráſque è paluſtri vicinitate nebuloſas intercipiat. quid ergo; extructámne ex artis pl[illegible] præſcripto domum affir[illegible] Non opi[illegible]id, obſecro? Credo, [illegible] tectu[illegible]nes illæ quidem leges [illegible]nt, d[illegible]d ſolid[illegible] fundamen[illegible]endi[illegible]e c[illegible]menſu pa[illegible]npon[illegible]cè[illegible]ue tectū: [illegible]a hæc[illegible]d[illegible]ta in ea [illegible] materia

Accommodatio præceptorum ad materiam an ſpectāda ſit artifici.
Domus molitio cum molitione carminū comparatio.

imitandi præceptiones, atque ideò eandem imitatricem artem reperimus? Sentio hic iterum vrgeri me, cauſæque ad caput obſtinatè reuocari. Ego ſic ſtatuo. Carmen obſcœnum non eſt vſque adeò exlex, atque expers artis, quin aliquid in eo poëtici operis agnoſcam. quippe in illo duo ſunt: eſt effictio imitatióque perſonarum, in qua cùm communia huius artis præcepta ſeruentur, ex arte imitatio videri poſſet; planéque eſſet ex arte, niſi accederet alterum, quod artem poëticam magna ex parte corrumperet: nam in Poëmate impuro præter imitationem præcepta per communia conformatam, eſt eorundem accommodatio præceptorum ad materiam turpem; quod quia Poëticæ repugnat fini, vitium eſt artis malè ad finem ſuum præcepta referentis, ideóque Poëticam deſtruentis, quæ cum fine ſibi contrario cõſiſtere haud poteſt. Obloquantur, vt libet, homines voluptuarij, alióque rem transducere moliantur. Ad hoc Poëſis nata eſt, vt mortalium animos blandè conciliatos ad morum honeſtatem, amorémque Virtutis inducat. Accipite, ſi placet; quid in hanc ſententiam non aliquis è Poëtarum, aut Rhetorum choro, vendibili argumento ſuadeat; ſed è ſapientium Senatu, vbi ad veritatis trutinam ſingula penduntur, hac ſuper re ſtatuat D. Thomas. *Poëticæ*, inquit, *fabulæ idcirco inuentæ ſunt, quia quemadmodum ait Ariſt. in Poëticis, conſilium illorum erat, vt mortales adducerent ad Virtutis adeptionem, ac vitij fuga[illegible] ad quæ ſimplices homines meliùs repræſe[illegible] quàm rationibus inducuntur. Duo igit[illegible]* concludit, *in poëticis fabulis reperi[illegible]*

Præceptorum cum conformatio, cum accõmodatio.

In ep. 1. ad Tim. c. 4. lect. 2.

Poëticæ fabulæ cur inuentæ.

vt contineant verum ſenſum aliqua veriſimilitudine inuolutum, & vt aliquid vtile repræſentent. Si ergo hic Poëticæ imitationis eſt finis, atque hunc à Poëta inter imitandum reſpici neceſſe eſt; is qui imitationis præcepta detorquet ad eam materiam, ex qua finis hic magnopere tollatur, quomodo intra Poëticam artem ſtetiſſe meritò glorietur? Finge conſtructam ab artifice domum: iacta ſolidè altéque fundamenta, erectos ſublimè parietes: intus atria, periſtylia, gradationes, conclauia, thalamos, antithalamos; foris aperturas, lumina, iugumenta, præcinctiones, faſtigiorum acroteria, ornamenta coronarum, ſubgrundationes, proiecturas, membra omnia ædificij ex architecturæ legibus ita fabricata, vt altitudo ad perpendiculum, angulus ad normam, longitudo ad regulam lineámque reſpondeant. Finge præterea hanc domum exædificatam è marmore magnam partem fragili ac ruinoſo: ſtare, tegíque è lignis intempeſtiuè cæſis, pandatione ſidentibus, odorem tetertimum exhalantibus: demum inſalubri ſub cœlo, deſcriptam aream, ipſámque domus faciem ad ætheris inclinationem obuerſam eſſe, vnde nocentes ventorum aſpirationes, auráſque è paluſtri vicinitate nebuloſas intercipiat. quid ergo; extructámne ex artis [illegible] præſcripto domum affir[illegible] Non op[illegible]id, obſecro? Credo,
[illegible] tect[illegible]nes illæ quidem leges
[illegible]nt, [illegible]d ſoli[illegible] fundamen-
[illegible]lend[illegible]e [illegible]nenſu pa-
[illegible]mpo[illegible]c[illegible]ue tectũ:
[illegible]a h[illegible]ta in ea
[illegible] materia

Accommodatio præceptorum ad materiam an ſpectãda ſit artifici.

Domus molitio cum molitione carminũ comparatio.

imitandi præceptiones, atque ideò eandem imitatricem artem reperimus? Sentio hic iterum vrgeri me, cauſæque ad caput obſtinatè reuocari. Ego ſic ſtatuo. Carmen obſcœnum non eſt vſque adeò exlex, atque expers artis, quin aliquid in eo poëtici operis agnoſcam. quippe in illo duo ſunt: eſt effictio imitatióque perſonarum, in qua cùm communia huius artis præcepta ſeruentur, ex arte imitatio videri poſſet; planéque eſſet ex arte, niſi accederet alterum, quod artem poëticam magna ex parte corrumperet: nam in Poëmate impuro præter imitationem præcepta per communia conformatam, eſt eorundem accommodatio præceptorum ad materiam turpem; quod quia Poëticæ repugnat fini, vitium eſt artis malè ad finem ſuum præcepta referentis, ideóque Poëticam deſtruentis, quæ cum fine ſibi contrario cōſiſtere haud poteſt. Obloquantur, vt libet, homines voluptuarij, alióque rem transducere moliantur: Ad hoc Poëſis nata eſt, vt mortalium animos blandè conciliatos ad morum honeſtatem, amorémque Virtutis inducat. Accipite, ſi placet; quid in hanc ſententiam non aliquis è Poëtarum, aut Rhetorum choro, vendibili argumento ſuadeat; ſed è ſapientium Senatu, vbi ad veritatis trutinam ſingula penduntur, hac ſuper re ſtatuat D. Thomas. *Poëticæ*, inquit, *fabulæ idcirco inuentæ ſunt, quia quemadmodum ait Ariſt. in Poëticis, conſilium illorum erat, vt mortales adducerent ad Virtutis adeptionem, ac vitij fuga[illegible] quæ ſimplices homines meliùs repræſen[illegible] quàm rationibus inducuntur. Duo igitu[illegible]* concludit, *in poëticis fabulis reperir[illegible]*

Præceptorum tum conformatio, tum accōmodatio.

In ep. 1. ad Tim. c. 4. lect. 2.

Poëticæ fabulæ cur inuentæ.

Google

vt contineant verum ſenſum aliqua veriſimilitudine inuolutum, & vt aliquid vtile repræſentent. Si ergo hic Poëticæ imitationis eſt finis, atque hunc à Poëta inter imitandum reſpici neceſſe eſt; is qui imitationis præcepta detorquet ad eam materiam, ex qua finis hic magnopere tollatur, quomodo intra Poëticam artem ſtetiſſe meritò glorietur? Finge conſtructam ab artifice domum: iacta ſolidè altéque fundamenta, erectos ſublimè parietes: intus atria, periſtylia, gradationes, conclauia, thalamos, antithalamos; foris aperturas, lumina, iugumenta, præcinctiones, faſtigiorum acroteria, ornamenta coronarum, ſubgrundationes, proiecturas, membra omnia ædificij ex architecturæ legibus ita fabricata, vt altitudo ad perpendiculum, angulus ad normam, longitudo ad regulam lineámque reſpondeant. Finge præterea hanc domum exædificatam è marmore magnam partem fragili ac ruinoſo: ſtare, tegíque è lignis intempeſtiuè cæſis, pandatione ſidentibus, odorem tetertimum exhalantibus: demum inſalubri ſub cœlo, deſcriptam aream, ipsámque domus faciem ad ętheris inclinationem obuerſam eſſe, vnde nocentes ventorum aſpirationes, auráſque è paluſtri vicinitate nebuloſas intercipiat. quid ergo; extructámne ex artis [illegible] præſcripto domum affir[illegible] Non op[illegible]d, obſecro? Credo, [illegible]tect[illegible]nes illæ quidém leges [illegible]int, [illegible]d ſol[illegible] fundamen[illegible]lend[illegible]ue[illegible]menſu pa[illegible]mpo[illegible]ac[illegible]ue tectũ: [illegible]ia ha[illegible]ota in ea materia

Accommodatio præceptorum ad materiam an ſpectãda ſit artifici. Domus molitio cum molitione carminũ comparatio.

te nominaui FRACASTORIVS, ne inclytum Poëtæ nomen leue quid euadat ac ridiculum. imò cùm Poëtæ vigilias laboréſque cõſidero, ſi ob ſolam delectationem (quid autem ſi ob turpem?) ab eo accipiuntur; profectò inſanienti ſeni, quem vicinum idem FRACASTORIVS habuiſſe ſe commemorat, arbitror eum eſſe quàm ſimillimum. Emerat hic ſenex agrum à partiario, cum quo communem diu habuerat, colebátque iam proprium diligenter: nouis quotidie conſerebat arboribus, quibus (vt interdum fit) emortuis, ne pomarium rareſceret, nouellam ſobolem ſubſtituebat. aquarum corriuatione, piſcina, roſario, hortenſi pergula, oluſculis, & floribus coronariis bellè diſtinxerat ornaueràtque. vnum deeſſe videbatur ſeni ad felicitatem? quòd cùm ei domus eſſet in ſummo colle ſita, inde ne agellum ſpectare ſubiacentem poſſet; impedimento erat paruetus ſylua, montíſque interiecta pars. Ergo, etſi animaduertebat laboris immenſi eſſe, ſyluam ac rupem è medio atque ex oculis amouere; tanta tamen ardebat cupiditate contemplandi prædioli ſui è domo atque è lecto, vt in extremam deuenerit amentiam ſyluæ rupiſque auertendæ. Quare conductis operis rem aggredi, quercus antiquiſſimas cædere, montis faſtigium deprimere, truncos & ſaxa plauſtris auehere, quidquid aſpectui officeret amoliri; nulli ſumptui laborive parcere. Cúmque à vicinis effuſè ridentibus, quòd molitioni atque inſaniæ finem nullum faceret, interrogaretur, qua tandem gratia tanto labore ſe familiámque conſumeret, reſpondere ſolebat, id ab ſe fieri, vt agrum quem tam pul-

Cum quo comparãdus Poëta qui voluptatem tantummodo ſequatur.

Inſanus hominis labor.

chrè coluiſſet, omnibus horis intuendo, caperet ex omni parte voluptatem. Ita profectò Poëtę non minorem exæquare rupem, ſyluámque cædere videntur diu noctúque pangendis verſibus, inuigilando, algendo, ſudando, ſempérque (perinde quaſi exangue, quod ait ille, cuminum biberent) pallendo: interrogati verò, quò demùm hæ vigiliæ diuturnique labores ſpectent, ſi non aliud reſponderint, quàm hunc eſſe Poëtarum tanta molientium finem, vt ſe alióſque canendo delectent; equidem inſanire illos (inquit FRACASTORIVS) non minùs dicam, quàm ſenem illum agelli ſui contemplatorem. Non hunc ſanè in modum ſapientes viri de Poëta cenſuerunt, quem humano generi labore ſuo proſpicientem modò caſtigatorem vitę, ſępe morum magiſtrum, plerunque diuinum appellarunt: quem Græci Romaníque ſummis honoribus, eadémque qua Imperatores corona dignum arbitrati ſunt: cuius denique numeris ſanctiſſimi Vates, Sibyllæque integerrimæ oracula, quæ diuinitus conceperant, reddiderunt. Quòd ſi ita eſt, ſi dum opus ſuum moliuntur, ſéque in omnes hominũ mores transferunt Poëtæ, ſeu (quod idem eſt) dum imitantur; non per deridiculum verba darę, aut operam ludere credendi ſunt, ſed huc demum ſpectant figmentis ſuis, vt oblectantes proſint; Poëſis impudicè laſciua, quæ imitando plurimùm obeſt, quî, rogo, poterit vſquequaque appellari poëtica imitatio? At, inquiunt, illa ipſa artis præcepta ſeruari videmus in obſcœna imitatione, quæ ſeruantur in caſta: cur igitur ſi hanc Poëſim dicimus, illam negamus, quando vtrobique eaſdem imi

Horat. l.1.ep.19.

Poëtæ laudes.

An artis præcepta ſeruentur in imitatione obſcœna.

vt contineant verum ſenſum aliqua veriſimilitudine inuolutum, & vt aliquid vtile repræſentent. Si ergo hic Poëticæ imitationis eſt finis, atque hunc à Poëta inter imitandum reſpici neceſſe eſt; is qui imitationis præcepta detorquet ad eam materiam, ex qua finis hic magnopere tollatur, quomodo intra Poëticam artem ſtetiſſe meritò glorietur? Finge conſtructam ab artifice domum: iacta ſolidè altéque fundamenta, erectos ſublimè parietes: intus atria, periſtylia, gradationes, conclauia, thalamos, antithalamos; foris aperturas, lumina, iugumenta, præcinctiones, faſtigiorum acroteria, ornamenta coronarum, ſubgrundationes, proiecturas, membra omnia ædificij ex architecturæ legibus ita fabricata, vt altitudo ad perpendiculum, angulus ad normam, longitudo ad regulam lineámque reſpondeant. Finge prætetea hanc domum exædificatam è marmore magnam partem fragili ac ruinoſo: ſtare, tegíque è lignis intempeſtiuè cæſis, pandatione ſidentibus, odorem teterrimum exhalantibus: demum inſalubri ſub cœlo, deſcriptam aream, ipsámque domus faciem ad ætheris inclinationem obuerſam eſſe, vnde nocentes ventorum aſpirationes, auráſque è paluſtri vicinitate nebuloſas intercipiat. quid ergo? extructámne ex artis planè præſcripto domum affirmabis? Non opinor. Cur id, obſecro? Credo, quia architecturæ communes illæ quidem leges ſeruatæ ſunt, deprimendi ad ſolidum fundamenta, attollendi partiendíque cum commenſu parietes, imponendi magnificè elegantérque tectũ: ſed quia hæc ædificandæ domus præcepta in ea

Accommodatio præceptorum ad materiam an ſpectãda ſit artifici.

Domus molitio cum molitione carminũ comparatio.

materia ſitúque exhibita ſunt, quæ habitantium incolumitati, domus, inquam, fini repugnat; idcirco ædificium non fabrè planè factum eſſe concluditur; non minùs verè, quàm M. Vitruuius Mytilenem oppidum, vbi Auſter cùm flat, homines ægrotant: cùm Corus, tuſſiunt: cùm Septentrio, reſtituuntur in incolumitatem; ædificatum, vt voles, eleganter ac ſplendidè, poſitum quidem certè non ſcitè, neque prudenter affirmat. Quòd ſi ita eſt: ſi ex accommodatione præceptorum ad peculiarem certámque materiam, ſæpenumerò aduersùm præcepta ipſa peccatur; cur impurum ac turpe carmen, in quo Poëticæ præcepta legéſque ad materiam adhibentur Poëticæ fini contraria, Poëtica ab arte eſſe timidè dubitantérque negabimus? Niſi fortè plus noceant domui vitia murorum, quàm domino morum vitia: plus obſit corpori fœtor, quàm obſcœnitas animo: plus frangant vires inſalubritas cœli, quàm impudicitiæ contagio neruos omnes Virtutis elidat. Verùm hæc mala importari ab impura Poëſi mox altero capite orationis euincam, ſi tamen ptiùs, quod ex hoc priori capite supereſt, abſoluero quàm pauciſſimis: curſimque oſtendero, ſicut neque ab arte, quæ Poëticæ genus eſt, neque ab imitatione, quæ illius naturam conſtituit, ſeiungi poteſt vtilitas; ita neque ab eiuſdem Poëticæ formis eandem ſeparari poſſe. Ac de EPOPOEIA quidem quid ſit definiendum, in medio poſitum videtur. Nam ſi munus eſt Heroicæ Poëſeos Heroëm dictione admirabili conformare, atque ad imitandum proponere, quis non videt, quæ virtutes in carmine cenſeri debeant,

lib. 1. c. 1.

Varia ventorum vis.

An formę quatuor Poëſeos abſque vtilitate fingi poſſint.

Quid virtus Heroica.

debeant,ex quibus Heros, hoc eſt, homine maior æſtimandus ſit? Sicut enim virtus Heroica, vt diſputat in Ethicis Ariſt. ſupra nos eſt, ſonátque aliquid diuinum; ita qui ab hac virtute Heroës dicuntur,non modò nihil in ſe habere turpitudinis,ſed mortalium cō̄ditionem excedere, accederéque ad Deum carmine oſtendendi ſunt. lib.7. c.1.

Nā de TRAGOEDIA quid attinet dicere? Quæ ad theatra populorum bono admiſſa eſt, vt funeſta Regum Dynaſtarúmque cæde propoſita, non modò Principibus,ac rerum dominis aurem vellat,eóſque fortunæ memores faciat,ſed in omnibus turbidos animi motus componat ac purget, atque aureæ demum mediocritati reſtituat. id quod Ariſtoteles in Tragœdiæ natura definienda pronunciat, multáque ob huiuſmodi finem addit, adimítque Tragœdiæ:vt non dubitauerit Iacobus Zabarella Peripateticus ſanè nobilis,dum artium naturam ad Philoſophiæ calculos vocat, Poëſim abſque motuum vtilitate nullam eſſe, ex hac eadem, quam Ariſtoteles Tragœdiæ tribuit, affectionum animi purgatione concludere. Tragœdia. In Poët. De nat. Log.

Neque COMOEDIÆ ſales ac ioca aliò, quàm in hominum vtilitatem ſpectāt,vt deriſa palàm vitia, ludibrióque in ſcenis habita proniùs euitentur. Quòd ſi furaces interdum ſerui, damnosíve ganeones, aut impudici adoleſcentes admittuntur, id ipſum ſpectatoribus lucro vertitur, dum perparcè fit, & non ſine vitiorum ſugillatione tranſfigitur. Comœdia.

Denique hunc in primis ſortita eſt finem Poëſis LYRICORVM, quorum initia tum apud Ægyptios, atque Hebræos, tum apud Phæacas, & Græcos non alia fuiſſe,quàm in re ſacra pluri- Lyrica.

lib.3. Dec. Hiſt. bus exemplis ex antiquitate petitis Patritius non malus Antiquitatis indagator euincit. Nec prima illa poſt ſecula per ætates ſanè complures aliò Lyrici ſpectarunt, quàm vt Deorum laudes ac decora, aut virorum fortium res præclarè geſtas hymnis ac pæanibus ad Templa & aras complecterentur: vt ſcilicet eadem opera honorem Superis atque Heroibus haberent, & ad æmulationem captos admiratione mortales inuitarent. Quare ſi qua Poëſis caſtè ſanctéque tractari vnquam debuit, hæc profectò immunis ab omni turpitudine ſeruanda, integréque ac puris animis exercenda fuit. Atque vt apud Athenienſes Gel.lib.9. cap.2. nomina fortiſſimorum iuuenum, qui Tyrannum agreſſi eſſent, ne vnquam ſeruis inderentur, decreto ſancitum eſt publico: quòd nefas exiſtimarent, nomina libertati patriæ deuota pollui ſeruili contagio; ita ſanè patiendum non erat, caſtæ addictæque Deo, nationum omnium conſenſu, Poëſeôs nomen in obſcœnis deterrimíſque aliquorum carminibus exoleſcere. Verùm vt in pauca redigam, quæ de quatuor hiſce Poëticæ formis hactenus diſputaui; ſi vnaquæque ſpecies ad hominum felicitatem, quamquam alio atque alio modo viáque conſpirat; cur id in quo ſingulæ conſentiunt, generis: hoc eſt, Poëticæ, proprium eſſe negabimus? quando (vt audita ſæpe Philoſophorũ vox eſt) haud poteſt deeſſe generi, quod formis generatim vniuerſéque conueniat. Cur in Poëticæ ſobole cùm ſimilem faciem, qualem eſſe ſororum decet, videamus; hanc eſſe à parente dotem non intelligamus? Cur demum ſi qua fucata ementitáque fronte in chorum ſe

Muſarum confidenter inferat, vbi illam alienæ felicitatis ſtudio,& quaſi teſſera deſtitutam aſpicimus, non continuò adulterinam deprehendemus, vſurpatóque, contra ius fáſque, Poëticæ titulo ſpoliabimus?

Videor iam mihi è duobus, quæ initio propoſui, alterum confeciſſe, conatus certè eſſe vt conficerem; Poëſim ita ciuium felicitatem reſpicere, vt, ab ea ſi deficit, deficiat à ſe ipſa. Iam verò ſi hoc ipſum eſt Poëſeos impuræ vitium, vt morum honeſtati contraria felicitatem corrumpat? planè peruici. Sed neque hoc abſque pugna extorquendum eſt: nam qui ſe eò redactos vident, vt ægrè Poëtæ nomen obtineant, ſi nugis ſuis obeſſe ciuium moribus conuincantur; hunc tueri locum mordicus adnituntur, ſéque etiam dum procaciori carmine laſciuiunt, nihil officere cuiuſquam felicitati, quin imò vtilitati non paucis eſſe, confidenter affirmant. Etenim VITÆ humanæ ſpeculum Poëſim ideo appellatam loquūtur, quòd in ea, quidquid humanitùs accidit, referatur. Quòd ſi

Poëſis impura an officiat morum honeſtati.

Voces aliquorum Poëſis cur vitæ ſpeculum.

Virtus eſt, vitium fugere, & ſapientia prima,
Stultitia caruiſſe.——————

Hora. lib. 1. epiſt. 1.

quo Poëſis modo ad hoc Virtutis faſtigium mortales adducet, niſi priùs à vitiis, eorum poſita ob oculos turpitudine deterruerit? Quamquam ſi cætera deeſſent, ſatis definita videri res poſſet veterum ſuffragio Poëtarum, id eſt, eorum à quibus lex ipſa carminis accepta eſt: quorum ſcripta ſicut oppidò pauca leguntur, quæ procacioribus ac ſubturpiculis interdum luſibus aſperſa non ſint; ita luculenter oſtendunt, poſſe homi-

num felicitatem, poſſe virtutem, poſſe morum honeſtatem cum Muſa paulo hilariore conſiſtere. Quòd ſi hoc ipſum Poëtarum Principibus vitio detur; iam verò nouam, quam nos cudimus Poëſim, irridebunt iſti, quantum volent, eóque Poëtarum Senatu, à quo tāti viri exiguntur, moueri ſe non modò perlibenti animo ferent, ſed vltrò etiam efflagitabunt. Et verò, ſi me cenſore res agitur, abire illis è Poëtico cōuentu iam pridem licet. Neq; me veterum authoritate Vatum deterrere credant, quominùs ineptam eſſe ad vitæ diſciplinam felicitatémque mortalium, impudicam Poëſim & ſentiam, & dicam. Quid enim? (erumpat aliquando vera, & rei indignitate digniſſima vox) adeóne animos noſtros preoccuparit Antiquitas, vt in priſcis hominibus etiam vitia, ſi Diuis placet, adoremus? An potiùs falli hæc magna quoque capita, & Emori, quod ait ille, humanos interdū Iones intelligemus? Equidem ſicut multa ideo pretioſa videntur, vt Veſpaſiano dicebat Plinius, quia in Templis ſuſpēſa cernuntur; ita accidere non rarenter exiſtimo veterum voluminibus, quotùm tanquam in Sacrario quæcumque aſſeruantur, ea ſtatim apud homines neſcio qua Religione obligatos in pretio eſſe ac veneratione incipiant. Quaſi verò Homervs, ille ipſe Poëtarum Deus, nonnumquam ſua in arte peccaſſe viris Homero haud paulo maioribus viſus non ſit? reprehenſum illum ab Ariſtotele aſſerunt Robortellus, & Magius: quòd Vlyſſem in Scylla cōtra decorum viri fortis eiulantem induxerit: reprehendit ante Ariſtotelem Plato: quòd alicubi nec ſeruata decori lege fœdas

In veterū ſcriptis nō omnia imitanda.

In præfat.

De Homero iudicium.

In Poët. ar.

das

das ſcitu, dictúque res Diis immortalibus affinxerit, ac mortalium bono vehementer offecerit, reprehendit ante vtrumque Pythagoras, diceréque ſolitum accepimus: ad inferos ſe aliquando deſcendiſſe, ibíque Homeri vmbram offendiſſe pendentem ab arbore, maléque multatam; Heſiodi verò adligatam columnæ, miſeríſque vexatam modis reſpexiſſe, QVOD figmentis ſuis (hanc enim cauſam addebat) de Diis temerè, turpitérque locuti malo mortalibus fuiſſent. At hoc illud eſt, quod vrgemus in præſentia, laſciua atque obſcœna Poëtarum commenta morum diſciplinæ integritatíque, atque adeò publicæ felicitati contraria eſſe. Quòd ſi hæc ipſa de Poëtis ſuis antiquorum opinio fuit, nóſque ſuprà confecimus, peccari aduersùs artem, quoties in publicum bonum ab imitatore peccatur; quid dubitabimus vel magna Poëtarum capita neglectæ interdum, aut etiam violatæ nonnihil artis inſimulare? Sed non huc demum redactæ ſunt fortunæ huiuſce diſputationis, vt horum, quos inſectamur, recentium Poëtarum cauſam cum veteribus coniunctam eſſe (quod iſti nempe diſcupiunt) fateamur. Si quid interdum à priſcis illis peccatum, ſi quid in amore ſubimpudens, atque intemperanter emiſſum, ſi qua vſquàm in re trans honeſtatis lineam itum eſt; non modò minùs dedecet Ethnicam ſuperſtitionem, id quod Chriſtianæ legis ſanctimoniam dedecet profectò plurimùm, ſed latet obruitúrque ingentium numero virtutum, quibus illi Poëſim tanquam ſtellis clariſſimis illuminarunt, & mirum in modum humano generi ad felicitatem contendenti præ-

Homeri Heſiodique pœnæ.

Virtutes vitiis longè plures in antiquis.

luxerunt. NON iraſcor erranti ſemel: & cum Horatio,

----- Vbi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendor maculis. ———

In Arte poët.

Offendor autem, cùm meras aliorum labes ad imitandum ſelectas conſpicio, iiſque refertà fœdè volumina ad faſtidium vſque comperio. Chamæleonti haud diſſimiles credas, qui, vt aiunt, cùm omnes fermè colores induat, candorem imitari non poteſt. Etenim videas interdùm aliquos, qui ſe ad antiquorum lectionem conferentes pleraque eorum, quæ pudicè candidéque dicuntur, euoluunt oſcitanter, ac vbique incuriosè dormitant: cùm verò lutulentum quid ac pingue ſonuerit, hîc nimirum excitantur indeſides animi, ad eiúſque imitationem continuò mentem operámque conuertunt, quaſi, ſi id conſequantur (& ſæpe, vt ſunt infeliciter ingenioſi, etiam conſequuntur) extemplò Apollinari laurea, Superis hominibúſque nolentibus, donandi ſint. Venit hoc loco in mentem, quod de Vibio RVFO Romano Senatore apud Dionem legi. Ardebat hic cupiditate incredibili, vulgò vt Orator haberetur M. Tullio Ciceroni par. hunc ſcilicet virum referendum ſibi Rufus propoſuerat, huc animum intenderat, hîc hærebat. Expectatis, qua id ratione ſe conſecuturum ſperauit? Viuebat adhuc Ciceronis vxor: hanc vt in matrimonium duceret, diu tentauit, duxit: tunc enimuerò Ciceronem ſe propediem futurum non modò credidit homo phanaticus, ſed etiam apud Tiberium Principem ridente Senatu gloriatus eſt. Cor hominis Romani. Palladem, credo

Plut. de adul. & am. internoſc.

Peruerſa nõnullorum imitatio.

li. 57. Hiſtor. Rom.

Ridiculũ Rufi facinus.

do, iam deſpondiſſe ſibi opinabatur, quæ dotis nomine in domum afferret Eloquentiam. Sic hodie ſunt ingenia nonnullorum, qui nouas quotidie mundo Iliadas meditantur: quod vt præſtent, non illi ad virtutes ſapientiſſimi Vatis, quod factum oportuit, animum aduertunt: ſed vnius alteriúſve figmenti obſoleti iam ac turpis amore capti, vbi illud in rem ſuam tranſtulerint, & quidquid muliebre atque effœminatum in Homero eſt, domum duxerint, & cum eius meretricula propemodùm nupſerint; homines gloriarum pleni digito ſe iam monſtrandos veluti Homero pares ac geminos ineptiſſimè ſibi perſuadent, cùm tamen à priſcis illis ac bonis, etiam dum aliqua vitiorum ſimilitudine accedere ſe illò putant, longè adhuc diſtent, ac paria dum faciunt, par tamen vtrorumque conditio ſanè non ſit. Nam (vt hac ſuper re planè aperiam ſententiam meam) numquam profectò exiſtimaui idcirco obeſſe probis moribus improbam Poëſim, quia turpiter aliquid, ac petulanter admiſſum, verſibus exequatur. Scio poſſe id vſum habere, quò faciliùs remedia morbi ſuppeditentur. Non me fugit à Troiani belli ſcriptore dictum eſſe, non modò quid pulchrum, ſed quid etiam turpe foret, vt ait Horatius: effectúmque, vt ſuis ille carminibus meliùs Chryſippo, & Crantore, & quouis alio Philoſophorum vitæ præcepta commonſtrauerit. Sed in duobus, quantùm ego intelligo, res tota vertitur. Alterum eſt, ſi hæc turpium ſimulachra pauciſſimis adumbrentur: ſi verbis proponãtur quæſitis ad auertendos animos à cogitatione obſcœnitatis: ſi quaſi pudibun-

Quatenus narrari poſſit aliquid turpe.

lib. 1. ep. 2.

Duo ſeruanda narrantibus impudica.

da, luciſque fugitantia in conſpectum ægrè veniant : ſi (quandoquidem proponuntur ad fugam) tanquam fulgura aciem oculorum feriant ac fugiant, non alliciant ac teneant. Vt enim in Tragœdia id, quod terribile eſt, referri quidem debet; non ita tamen, vt interdum ob rei atrocitatem feritatémque ſatius nō ſit, intus agi, quàm in promptu poni, atque in ſcenam oculóſque deduci : ſic turpe hactenus proſequendum eſt, vt quantùm in re atroci oculis parcitur, tantùm in turpi, animo pudoríque ſeruiatur. Atque hinc eſt, quòd Princeps Latini carminis connubium Didonis & Æneæ, cui trahendo aduersùs decorum honeſtatémque indulſiſſent alij; verſiculo abſoluit vno, ac pudicitiæ iuxtà atque Poëſi exemplo fuit. Addo huic alterum remedium : ſi hæc, quæ impudicè facta (ſed vti dicebam cautè) narrantur, non ſine cenſura aliqua & obiurgatione caſtigentur : ſi non ſine iniuſta ſceleſtis infamia, quam pro ſupplicio multis ſtatuebat Plato, tranſigantur : ſi demum (quæ tacita quædam reprehenſio eſt) non ſine infelicis exitus pœna terminentur. Sanè Homerus Vatum maximus, quòd Penelopes ancillas procis alicubi permiſtas indicauerat, propterea non quieta, nec pura, vt ipſe loquitur, morte occumbentes, ſed Telemachi indignè facinus ferētis manu ſuſpenſas è columna, fœdéque exhalantes animam deſcribit. Hæc porrò, quæ dixi, duo quoties ſeruantur (ſeruantur autem ferè à veteribus) in ipſa turpium commemoratione rerum, innocens Poëſis eſt, nullíque mortalium ea cauſa perniciem creat. At verò, qui ferio id agunt, vt Veneris faciem

lib. 4. Æneid.

Infamia ſupplicium improborum.

lib. 22. Odyſſ.

con

conquiſitis vnde vnde pigmentis exprimant:qui eodem ſæpe reciproci neſciũt de tabula manum, quod aiunt, attollere:qui contenti ſubieciſſe impudica oculis ſimulacra, mox aut nihil ipſi reprehendunt,aut etiam in iudicium Paridis inclinant, tacitíque intemperantiæ fauent; hos ego commentis ſuis iuuẽtutem pellicientes inſector, horum Poëſim lutulentam ac defœdam magno mortalium malo propagari queror, ab his accipi ad peccandum inuitamenta, ſupponi hominum mentibus faces ad libidinem,malis actos animos intemperiis,Circæóque neſcio quo poculo de rationis ſtatu deturbatos in pecudis mores ſordéſque traduci, iuſto ſanè dolore declamo. Vertant illi ſe in quam volunt partem, figmentáque ſua nunc ſecreto,vt ipſi prædicãt, vtilitatis aucupio, nunc publicò mortalium ſuffragio tueantur.Non hoc lucri capiunt adoleſcẽtium plerique,qui horum illecebris eò infeliciùs obtinẽtur,quò ſe minùs infelices ac perditos ſentiunt:neque hoc ſenum prudentiores iudicant,qui ne iuuentus hiſce caperetur, in ciuitate bene conſtituenda ſedulò prouiderunt. Non loquor in præſentia de grauiſſimis ſanè ſanctionibus Conciliorum fœda hæc volumina interdicentium: nec reuoco in memoriam Prouincialem eam Synodum, quæ quòd videret adoleſcentiam multorum pudicitiam in diſcrimen coniici ob Æthiopica Heliodori,vt ea igni ſcriptor aboleret,aut vt ſacrorum Antiſtitem, Paſtorémque animarum agere deſineret, imperauit. Ariſtoteles (hoc interim contentus ſum) præcipit in Politicis,obſcœnitatẽ vt omnem ab vrbe procul habeat legiſlator pœ-

Quæ narratio pernicioſa moribus.

Niceph. Eccl. Hiſt.lib. 12.c.44. Iudicium de Æthiopicis Heliodori.

lib.7.

Edicta de tabulis fabuliſque obſcœnis. niſque coërceat adoleſcentes, ne in foro tabulas aut ſigna ſpectent impudica, néve in Theatro fabulas obſcœnas audiant: proinde curent etiam atque etiam Magiſtratus, NE vſpiam locorum ſtatua vlla, vel pictura turpium facinorum imitatio conſpiciatur. Hæc Sapientium maximus ſentit ac ſancit. Et mihi aliquis rerum imprudens pertinaciter obnitatur; ac vitia ſuis è tenebris extrahenda clamet in lucem, quò faciliùs tetra turpíſque eorum facies fugiatur? Quid, ſi extracta, oculíſque obiecta potiùs amabitur? Quid, ſi à te nec turpis (vti decuit) nec, quod inde ſequitur, fugienda proponitur? An malo remedium facies, poſteaquam in venas ac viſcera virus infuderis? Quæ iſtæc PERVERSITAS eſt, quærere potiùs medicinam vulneri, quàm cauere, ne vulnus infligatur? Circulatorum eſt, Pſyllorúmve, artis oſtētatione ſibi carnem infeſto cultro concidere, aut venenum aliquod exorbere ad vim poteſtatémque pharmaci, cui fidem adſtruunt, declarandam. Quamquam tu quidem circumforaneis iſtis grauius multo peccas: ſi quidem vitia ipſa morbóſque animi dum curare te dicis, tum verò facis, atque infers in ipſa curatione perniciem. Verè Iulius Cæſar SCALIGER, cùm de Poëtica diſputat, Poëtis præcipit ne, dum vitia ac fœditates inſectantur, eas ponāt voces, è quibus qui legunt, euadant deteriores. *Quid enim cogitet adoleſcens*, ſic ille addit, *qui certarum ignarus obſcœnitatum audiat ſententias, aut vocabula tam nefanda, quàm monſtroſo ſunt ingenio ij, qui ea ſcriptis ſuis audent inſerere? Malo igitur non reprehendere vitia deteſtanda, quàm in execranda oratione meri*

Circulatorum ſimiles Poëtæ obſcœna narrantes.

reri

veri reprehenſionem, librúmque meum efficere eo nequiorem, de quo verba facio. Et verò quoties memoria repeto, quod apud magnum Athanaſium legi de Nicæni Concilij Patribus; quos refert, cùm in eo conuētu celebritatéque legeretur Arrij liber, palàm aures obſtruxiſſe, veritos ne quid inſanæ illius peſtilentiſque doctrinæ per aures illaberetur in animum; non poſſum non demirari confidentiam iuuenum nonnullorum, qui cùm audiunt, cautè agendum eſſe adoleſcentibus in amatoriarum rerum lectione; indignè enimuerò ferunt ſuperuacanea monentem, & tantùm non iniuriam ab eo fieri conſtantiæ ſuæ conqueruntur. At illi & ſenes plerunque erant, & experientia ſanctimoniáque præſtabant, vt minùs expugnari propterea poſſe eorum conſtantia videretur. his in tenera ætate incallidáque, & præferuidis animi motibus obnoxia, plus (opinor) aliquantò timendum eſt. Illis noua ſacrilegáque aduersùs Chriſti Religionem opinio proponebatur, in quam deſerta veteri ſententia concedere ægrè homines ſolēt. his blando adulantéque vultu, diſſimulatis meretriciis artibus, lenocinante verſu voluptas obiicitur, qua mortales plus nimio capi quotidie videmus. Illi anticipata iam animo ſententia, obfirmatíque contra hoſtem infenſiſſimum conueniebant; quo minùs timēdum erat, ne ſibi facilè perſuaderi ab Arrio paterentur. hi lubrica præcipitíque in voluptatem, & (vt ait ille) cerea in vitium flecti adoleſcentia nihil propius habent, quàm vt blandiſſimæ Dominæ, Poëſi conciliatricula, ſeſe donēt. Et tamen illi occludebant obſtinatè aures, hi præbent vltrò

Circūſpectio Nicænorum Patrum.

Temeritas adoleſcētium.

Horat. in Arte Poët.

trò & quidem ſitienter:illi vel ſemel audire pauca haud magno cum diſcrimine,ingens flagitium ducebant;hi certiſſima cum pudoris fraude multa quotidie lectitare, interdum communicare cum aliis,ſemper animo ac memoriæ affixa retinere;eruditam ſcilicet oblectationem nullum in mente relicturam maculæ veſtigium arbitrantur. Non eſt impudicitia ex eo genere vitiorum,quæ ſi ſemel ponis ob oculos, perpetuò expungis ab animo.hîc Primvs flagitij gradus eſt videre:viſus dicendi libertatem facit: Ex libertate verò turpe dicendi,inquit Ariſtoteles, prodit & facere,quod propè eſt.

lib.2. Rhet.

Quæ cùm ita ſint, non iam enitar vltra hæc quæ dixi: nec in eo laborabo, vt impuris hiſce carminum ſcriptoribus legitimo Poëtarum choro motis, eorum in faciendo verſu artificium, Poëſim perfectè abſolutéque non videri, ad extremum pronunciem. Hoc enim ratiocinando confeciſſe me ſentio, ſi vtrumque illorum, quæ hactenus proſecutus ſum,vos quidē viri Sapientiſſimi,non abnuiſtis. Nam ſi Poëticæ nomen ſuſtinere cum dignitate nequit ars,quæ ad vitæ cōmoda vtilitatémque mortalium nō reſpiciat:non reſpiciat autem illa, quæ molli impuráque imitatione laborat ad hominum perniciem;quid reſtat, niſi vt imitatricem hanc artem impudicam ac turpem, Poëſim ſuis perfectam numeris nequaquam eſſe tacitè apud ſe quiſque concludat? Non in hac, inquam, re diutiùs elaborabo, neque vltra contendam in hoc cōcertatorio genere dicendi: ferant alij de me ſententiam, vt volent; aut hæreant,nec liqueat quò inclinent;aut

Summæ repetitio.

etiam

etiam apertè reclament, nigrúmque palàm Theta præfigant. non permagnam hîc verò iacturam feciſſe me arbitrabor, neque dedecori ducam mihi; ſi, quod in Philoſophorum Lycæo, vbi certiſſimis omnia momentis expenduntur, quotidie vſu venit; id mihi in eorum palæſtra, qui probabilia ſectantur, acciderit. In eo laborabo, & quantùm potero, animo veriùs quàm voce contendam, vt vos adoleſcentes auditores mei, quos hodie primùm in meam fidem diſciplinámque recipio, ab hac malorum ſiue Poëtarum, ſiue ciuium lectione abalienem. Fruſtra profectò vos parentes atque inſtitutores veſtri ab rerum aſpectu impudicarum, à procacium ſordentiúmque ſermonum licentia, ab intemperantium ac libidinoſorum hominum conſuetudine ſeparare ſtudent, ſi vno in volumine collecta impudicitiæ ſpectacula concluditis: ſi ſub manu habetis obſcœna ſuadentium, atque in aures ſpurciſſima quæque inſuſurrantium greges: ſi in gremio numeratis copias improborum, quorum inſtitutione ac familiaritate, quando quantúmque vultis, clam omnibus, vti pro veſtro arbitratu impunè poſſitis. Impediri non poterat Annibal ne periret, qui incluſum annulo venenum, hoc eſt, præſentiſſimam mortem geſtabat. Ego verò impuri ſcriptoris librum veneno non paulo nocentiorem interpretor, quem qui quotidie ad manum habet, qua ope obſiſtas, ne ſibi vno oculorum coniectu, ſi velit, necem hauriat? Nimirum pereundum ſibi ſtatuit, deſpondítque vltrò pudorem, quicumque in turpia hæc commenta, in iura inquam impudicitiæ volens

Perſ. ſat. 4.

Quantum malorum in vno volumine.

Plut. in vita.

Obſcœnus liber veneno nocentior.

lib. de ſpectac. lens libénſque conceſſit. nemo enim (vt queritur in re ſimili Tertullianus) nemo tranſit in hoſtium caſtra, niſi ſuis proiectis armis, niſi deſtitutis ſignis & ſacramento Principis, niſi pactus ſimul perire. Et miramur, ſæpenumero pudicum pudentémque adoleſcentis animum, factum repentè mancipium turpitudinis, ſi ipſe in eius

Eodem in lib. regnum ſponte ſe tranſdidit? Scitum eſt, opinor, quod ſcriptor modò laudatus litteris commẽdauit ad hanc rem, quam loquor. Deſcenderat in Theatrum Chriſtiana fœmina, atque intenta in ludos Circenſes cum reliquis nationis conſidebat: cùm ſtatim malo correpta dæmone torqueri cœpit perquàm miſeris modis. Ergo è Circo quàm primùm aufertur, domúmque reducitur: mox in Templo ſiſtitur, adhibentur Chriſtiano

Dæmone correpta fœmina in ſpectaculo Circenſium. ritu ſuper ea ad Deum preces, adhibentur in vexatorem ſpiritum imperia & minæ. incaſſum omnia. Poſtremò cum aliquando ſolemniori precationum genere ad deditionem obſeſſi corporis compelleretur hoſtis, obiurgaretúrque, quòd addictam Chriſto fœminam, hoc eſt, alieni iuris prædam per ſummam impudentiam inua-

Dæmonis reſponſũ. ſiſſet: At ego (inquit dæmon) minimè impudenter feci, dum eam tenui, quam inueni in meo. Credite has eſſe impudicitiæ voces, Auditores, quódque hîc à parẽte turpitudinis dictum eſt ſemel, à filia ſæpiùs exprobrari aduersùs eos, quorum non tam corpus, quàm animum obſidet, noctéſque ac dies miſerè diuexat. Sed meritò immundus ſpiritus diuexat, quos inter inquinamenta fabularum, in obſcœnitatis Theatro dũ reperit, deprehendit in ſuo. Suum videlicet id

putat,

putat, quod ipſe impudicitiæ magiſter Stygiò emerſus è cœno doceat, auſpicióque ac ductu ſuo feliciter proucehat. ſuum id putat, quod ipſe operis ſumma non afflatu modò, ſed factis, faſtíſque ſuis fœdè impleat. ſuum denique id putat, quod lutulenta lubricáque via ad omnium fœditatum, ſordiúmque ſentinam, ad Regiam, inquam, ſuam gradum expeditè ſufficiat. Vt ſanè verendum magnopere ſit, ne quemadmodum Tartareus olim prædo, vt ex Tertulliano dicebam, vrbem corporis quam inuaſerat, obtinuit obfirmatè; ſic arcem animæ, in quam ſemel victor aſcenderit, pertinaci deinceps occupatam vi, nulla vnquam temporis diuturnitate dimittat. Quare nolite, adoleſcentes mei (per ego vos iſtud verecundiæ ornamentum, morum iſtam nobilitatem, iſtam Romani pectoris altitudinem, oro obteſtórque) nolite vos ob ementitæ neſcio quam ſpeciem atque vmbram Poëticæ, per hæc malorum extrema transuerſos agi. Quidquid Sirenes iſtæ honeſtati, caſtimoniæ, pudori furtim inſidiatæ canunt, vos vbique præſenti conſilio cõtemptúque prætcrite. In Deorum cultu cùm cederet omninò nemini, vnam tamen Venerem procul abſe ſalutari dicebat caſtiſſimus Hippolytus apud veterem Poëtam: imò idcirco Etruſcorum diſciplina iubebatur extra mœnia fanum Veneris collocari, vt nihil in vrbe aduersùs caſtimoniam adoleſcentibus verſaretur ob oculos. Quid enim? (liceat mihi cum viro eloquentiſſimo ſanctiſſimóque ac nominis ſui ſuauitate dignissimo perorare) ſi fluctuante nauigio veharis, illicò auertis oculos à ſentina, ne ſtomachum & nauſeam faciat:

loco ſuprà poſito.

Eurip. in Hippol.

Vitr. lib. 1. c. 7.

Ambroſ. ſerm. 5. in Pſ. 118.

faciat: ſi per vias vrbis incedens putidum quid ac fœtidum offendas, porrò inde refugis aſpectúque declinas: ſi quid vſpiam occurrat, quod horreat oculus, ſtatim clauditur, aut auertitur. In ſalo autem ſeculi huius fluctuas, influit ſentina vitiorum, mouetur in tui nauigio corporis æſtus cupiditatum, nec auertis quamprimùm animæ oculos, ne aſpiciant ſpurciſſimarum libidinum ſentinam, ne tantiſper hæreant in hiſce purgamentis ac ſordibus, ne fœtor inhalatus animam oppleat, templúmque Dei obſcœna contagione commaculet? Vos autem, adoleſcentes, quibus nihil eſſe debet charius iſto, quem præ ore fertis, animi candore; contaminata horum volumina, hoc eſt, fœda turpitudinum receptacula non oculis modò auribúſque declinate, ſed animo etiam reſpuite, ac recordatione demum ipſa perhorreſcite. Date hoc diſciplinæ, quam domi à parentibus honeſtiſſimis viris, foris à nobis Religioſis præceptoribus habetis: date hoc ætati veſtræ, quæ pudoris hoc internoſci charactere, laudaríque ob verecundam hanc veluti tincturam virtutis ſolet: date hoc cæteris, quæ iſtam conſequentur, ætatibus; quarum extremæ partes inniti & conquieſcere in adoleſcentia iſta non poterunt, ſi ſemel eam lenocinia voluptatis emollierint, effœminarint, infregerint. Denique, ſi quidquam apud vos ſum, date hoc etiam mihi, qui hoc anno in Poëtarum vos familiaritatem daturus, ſi primo hoc die docui, quos cauere debetis, feci vt opinor ſatis.

PRO

PROLVSIO V.

An ex rebus ſacris idonea commentationibus poëticis argumenta proueniant æquè ac ex profanis.

AMOR ac ſtudium, quo in ſolemni litterarum repetitione proloquentem me ex hoc loco ſæpiùs excepiſtis, ac ſecunda etiam admurmuratio, amicúmque patrocinium, quo iam toties dictis meis apud nouam diſcipulorum audientiam plurimùm authoritatis ac fidei conciliaſtis (Viri ſapientiæ, atque honorum inſignibus illuſtriſſimi) allexêre me,fateor,ad noua maioráque ſæpenumero tentanda, oblitúmque penè virium mearum eò ſcilicet impulêre, vt nihil in vulgus non probatum iri facilè crederem, cuius vos ſemel authores fieri viderem. Idque animos mihi facit in præſentia, vt aliud ex alio ſeram, nec contentus auditores meos vtroque elapſo iam anno ab amore impudicæ Poëſeos (quantùm per me licuit, vtinam mecum omnibus liberet) fructu, vt arbitror, non pœnitendo remouiſſe; hodie pluſculum aliquid coner hac ſuper re, vóſque Rhetores, in poëticis imitationibus, ſimulacríſque conformandis ad rerum ſacrarum ſcriptionem, amorémque traducam. Neque hoc vobis ſuadere in animo eſt, quaſi honeſtiorem ſanctiorémque materiem, ad quam ingenia & calamos primùm, mox etiam mores ac vitam referatis. Quamquam ſi hoc agerem, eum, credo, prætenderem cauſæ meæ titulum, qui non Propoſitum in hac proluſione.

magis Religioſum præceptorem ad docendum, quàm probos adoleſcentes in hanc ſententiam ad ſcribendum permouere poſſet. Sed eo conſilio rem aggredior, vt oſtendam, res ſacras aptiſſima poëticis commentationibus argumenta ſuppeditare; ideóque operæpretium facere eos, qui aut pium caſtúmque ſibi carmen ſumunt, quod piè caſtéque conſumment, aut in opere non pio elaborantes ad ſacra ſubinde concedunt, quæ loco interſerant, iíſque fabulam appoſitè locupletent. Audio enim non paucos, qui idcirco in carmine condendo abſtinere ſe dictitant à piarum vſurpatione rerum, quòd hæc argumenta frigidiora plerunque ac triſtiora, minùs certè capacia ſint eorum animi motuum, quibus profana inter arma & amorum illecebras laſciuiendo, admirationem voluptatémque longè maximam concitare ſolent. Quare occulta hæc diuináque myſteria, quæ ipſi

Abſtinentes à ſacris argumentis quid afferant cauſæ.

Horat. in Art. poët.

——*deſperent tractata niteſcere poſſe*,

ſilentio ſe malle, quàm metro per iocum ac fabulam venerari.

Quorum ego voces decreueram, Auditores, nó longis rationum ambagibus, ſed ſubitá confertáque exemplorũ appoſitione comprimere. Atque vt olim Romanus Orator in Verre accuſando, prætermiſſa perpetuæ orationis laude, præciſáque homini ſpe, ſolùm tabulis ac teſtibus ad ſingula crimina citatis, reũ potentiſſimum momento damnauit: ita ipſe ſtatueram, aduersùs hoc genus homines, qui diffidunt neſcio quod inter res ſacras ad Poëſim comminiſcuntur; tranſmiſſa in compendium cauſa, ſola veterum enumeratione

Actio. 1.

tione Poëtarum, qui è ſacris litteris mutuati ſunt argumenta, dimicare. Et verò quàm multa poſſem apud Principes vtriuſque Poëſeos Orpheum, Homerum, Heſiodum, Virgilium, Ouidium è ſacroſanctis rerum noſtrarum codicibus accepta proferre in medium? Illud Poëtarum carminibus celebratum CHAOS, cœcum illum aceruum, rudémque indigeſtámque molem, Quã multa è ſacris litteris veteres Poëtæ deſumpſerint. Orph. Argonaut.

Nec bene iunctarum diſcordia ſemina rerum; Ouid. lib. 1. Metam.

quis ignorat, è Moſæa Geneſi non adumbrata tantùm eſſe, ſed etiam expreſſa? ſiquidem nec vocem ipſam *Chaos*, quàm Hebræi *thohu* dicunt, hoc eſt, *inane*, Poëta magnus omiſit, dum canit

—— vti magnum per inane coacta Virg. in Sileno Ecl. 6.
Semina terrarúmque animæque maríſque fuiſſent,
Et liquidi ſimul ignis: vt his exordia primis
Omnia, & ipſe tener mundi concreuerit orbis.

Quid ALLVVIES Deucalionæa? nónne ita deſcripta eſt à Poëtis; ſiue cùm Ioui hominum ſcelera pertæſo, quòd videret vbique flagitiis inquinata omnia, placuit

——— genus mortale ſub vndis Ouid. lib. 1. Metam.
Perdere: ——— ———

ſiue cùm ſeruati ab aquarum vi Deucalion, atque vxor Pyrrha in Parnaſſo monte (quo ille loco,

—— nam cætera texerat æquor, Oui. eod. lib.
Cum conſorte tori, parua rate vectus adhæſit.)

ad propagandas hominum reliquias adhibentur, nempe quia

Non illo melior quiſquam, nec amantior æqui Oui. eod. lib.
Vir fuit, aut illâ reuerentior vlla Deorum.

ſiue cùm Parnaſſum montem antea Larnaſſum nominatum legimus ab Arca (nam λάρναξ Græcis *Arca* eſt) qua Deucalionem eò appulſum eſſe dicunt Andren Teius, & Homeri Scholiaſtes; nónne hæc, inquam, ita deſcripta ſunt; vt, quamquam eam cladem contigiſſe ferunt regnante Athenis Cecrope circa Theſſaliam; dubitandum tamen haud ſit, quin ex Noëtica eluuione horum pleraque Poëtæ deſumpſerint? GIGANTVM conatus cœlo molem attollentium, cum Diis propè pugnantium, ad terram ſua temeritate ruentium: PROMETHEI ſolertiam è limo hominem fingentis

Stephan. de vrbib.

In lib. 1. Odyſſ.

Euſeb. in Chron.

Heſiod. in Theog.

in effigiem moderantum cuncta Deorum:

Ouid. lib. 1. Metam.

AVERNI regna, poſthumáſque pœnas, quibus improbi, quòd diſtulerint

— in ſeram commiſſa piacula mortem,

Homer. lib. 11. Odyſſ.

æuo ſempiterno cruciantur: ELYSIOS campos,

—— & amœna vireta

Fortunatorum nemorum ſedéſque beatas.

Virg. lib. 6. Æneid.

DEFLAGRATIONEM diſſolutionémque rerum,

Cùm mare, cùm tellus, correptáque Regia cœli

Ardeat, & mundi moles operoſa laboret;

Ouid. lib. 1. Metam.

an quiſquam eſt paulo humanior, qui ad ſacræ exemplar Hiſtoriæ compoſita eſſe non intelligat? Nam quæ de IANO commenti ſunt Poëtæ in Italiam rate delato, ac vitium ſobolem culturámque monſtrante; quo factum eſt,

Vt bona poſteritas puppim formarit in ære,

Hoſpitis aduentum teſtificata Dei.

Ouid. lib. 1. Faſt.

tam apertè imitati ſunt ex ſacris Hebræorum codicibus de Noë, qui Arcæ beneficio enatauit ex aquis, inuentórque vini mox fuit; vt nomen

ipſum

Google

ipſum Iani,ſeruata Hebræorum voce,quibus *Iain* vinum dicitur, conformauerint. Hæc aliáque complura ſi dicendo perſequerer, quæ optimi quique veterum Poëtarum ad Poëſim exornandam è ſacris litteris intexuêre carminibus ſuis; videtis, Auditores, quam viam inire compendio poſſem, vt eorum voces, qui petita è ſacris argumēta paulò remiſſiora,triſtioráque cauſantur, ad ſilentium planè redigerem. Verùm, ne quid ſubitò præciſéque egiſſe videar, libet à capite rem totam exordiri, ac certa dicendi lege viáque condicta,per otium contemplari cauſam. Ergo ſi oſtendero, res ſacras habere magnam cum Poëſi affinitatem, poëticóque in opificio commodiſſimè reponi; nihil, credo, Rhetores, deerit quominùs ad hoc ſcriptionis quoque genus mentem manúmque ſeriò conuertatis: cùm vna & eadem opera,integri honeſtíque hominis, & ingenioſi elegantíſque Poëtæ ſuſtinere perſonam prima cum laude poſſitis. Duæ verò res ſunt in carminibus Poëtarum, quæ admirationem tantopere Poëtis adamatam,atque ex admiratione voluptatem pariunt: Figmentum ſeu fabula,& princeps fabulæ decus Πάθος, vel vt cum Quintiliano vniuersè loquar affectus: quorum vtrúmque cùm poëticè tranſigitur, nihil eo carmine legi diuinius poteſt.Hæc autem duo quàm abundè ſacro ab argumento ſubminiſtrentur, quæſo hîc mecum, Auditores, dum rem tracto non iucundam minùs auditu, quàm vſu ac fructu ſalutarem, pro veſtra humanitate animaduertite. Summa huius orationis.

Ac FABVLA quidem (complexionem dico Fabula quid.

plurium imitationum, vt fabulam definit in Poëticis Ariſtoteles (ſiue magna ſit,& quæ carmen ſola conſummet:ſiue,quod potiùs hîc quærimus, parua & interiecta; ea periucundè, proníſque maximè auribus excipitur, quæ tum noua fictáque ad ſimilitudinem rei factæ, tum nodo opportuna ſoluendo conformetur. Et verò ſi fabulæ NOVITATE cum profanis ſacra committimus, vicimus planè, Rhetores. Nam quid tritum & exculcatum magis, quàm venalia iſtorum commenta?

Fabulæ virtutes duæ.

Nouitas fabulæ rara in profanis.

Virg. 3. Georg.

Cui non dictus Hylas puer?& Latonia Delos?
Hippodaméque humeróque Pelops inſignis eburno
Acer equis?————

Quid obſoletius, puerîſque decantatum ſæpiùs quàm aut Hippocrene Pegaſi extundentis vngula procurrens,aut Adonidis è cruore ſuborti repentè flores, aut Draconis dentes ſeminum more per agros ſati, aut ſæpe natus renatúſque Pythagoras, aut lyræ tactu coaleſcentes muri, aut Iupiter in hominum amores ſuis cum fulminibus exardeſcens,aut alia ſexcenta, quibus hodie referta videmus eorum Poëmata, qui per antiquorum veſtigia graſſari ſe non gloriantur ipſi modò,ſed hâc etiam cæteris viam vnicè præſcribunt,figmentáque alia ſi ab iis paulùm recedant vltrò reprehendunt? cùm tamen illi dum transſlatitiis hiſce reliquiis ſemeſe iam antiquitatis affatim carmen ſaturant,non excellenti admodùm ingenio, imò nec planè poëtico ſe eſſe palàm faciant: ſiquidem noua cudere, non reſarcire vetera: arcana ſeligere(id quod aiunt Muſarum munus) non de medio quæque ſumere: inaudi-

Vſurpatio veterum fabularum nõ magni ſpecimen ingenij.

Poëtæ munus.

ta atque admiranda proferre, non vulgata ſordentiáque retractare: demum FACERE ac fingere (ex quo nomen illi ſuum obtinent) non aliorum inuenta reponere, Poëtarum eſt. Hæc autem concinnandæ fabulæ nouitas, ſacra perſcrutanti proxima plurimáque præſtò eſt. Cùm enim rerum arcana diuinarum ſub oculos, ſenſúſque non cadant, vt veniant in hominum conſpectum, ſimilitudine ac ſymbolis conueſtienda, humanæque intelligentiæ ſubiicienda ſunt. quo fit, vt artificio noua commentandi, hoc eſt, operi poëtico locus opportunè detur. Vultis in hoc genere nonnulla leuiter adumbrem; reíque explicandæ veriùs, quàm exornandæ ſtudio, paucis in præſentia proludam? Age igitur. In cæleſti Superûm ſede, quas ego, ſi libeat, prænitentes auro gemmáque moles, quas in Regia Diuinitatis aulas, quæ in aulis AVLÆA comminiſci non poſſim? quæ quoniam PRONOEA gnara futurorum Virgo quà penicillo, quà acu pinxerit, frequentare Superi ſoliti ſint, cùm illos rerum gerendarum ſeriem prouidendi cupido inceſſit. Excitabo, ſi libeat, in cæleſti area (adeſte mihi extemplò vaticinanti, Auditores. ex quo enim in Poëtarum fines pedem intuli, ſentio me inſolito æſtu procul abripi, audióque monentem exemplo ſuo Socratem, vt quemadmodum ipſe ex placidiſſima diſputatione in Poëtarum furorem abreptus paruit incitanti Deo; ſic ego quo me cumque vis agit, volens ac libens ſequar) excitabo aſtra ſuper atq; ſydereos globos perampli molem Templi; cuius maieſtatem operis magiſta rerum SAPIENTIA architectata ſit, non humana decempeda

Fabulæ nouitas quanta è rebus ſacris.

Adûbratio cōminiſcendæ fabulæ è rebus ſacris.

Aulæa rerum futurarū imaginibus depicta.

Templum ſuper cæleſtes orbes.

peda

peda,atque commenſu. Ædificij membra non parietes lateritij, marmoreíve, ſed implexi inter ſe inenarrabili contextu arborum rami tam ingenioſè partiantur, vt in aperto ſimul nemore, ſimul concluſo in ædificio eſſe videaris. Theatri caueam ſiue medium procera occupet vetúſque

Palma victorum.

PALMA, in quam Cælites identidem aduolantes; ex ea victoribus, cùm hora cuique fatalis aduenerit, ramos abſcindant. Proximum Theatro Periſtylium virentibus, intercolumnij loco, arboribus opacatum, VESTIARII neſcio quam formam referat. E ramis paſſim pendeant hinc intextæ auro chlamydes, palmatæ togæ, paludamenta, purpuræ: illinc ſceptra, faſces, litui, torques, annuli: aliunde virentes ac lemniſcatæ laureæ, illuminatæ gemmis coronæ, mitellæ margaritis baccíſque vncialibus internitentes, claræ vnionibus infulæ, vitatæque atque illuſtres pretioſo lapillorum ambitu tiaræ. Ludant hîc interſpirantes auræ, & magna hæc honorum inſignia modò inclinatis ad terram ramis vltrò præbeant, modò in altum ſublatis repentè prohibeant, modò arbore ex vna in aliam reciproca veluti fuga fatigent. Horum ſingulis aut in extrema laciniæ

Veſtiariũ inter arbores.

Honorum inſignia è ramis pendula.

Eorum diſtributio.

cæſura, aut in manubrio capulóque, aut in ambientis oræ margine adſcriptæ litterarum notæ cernantur adeò diſtractæ perturbatæque, vt eam, quam mortales FORTVNAM vocant, Superi verò nominant ADILÆTIAM huc identidem appellentem ad honores mortalibus deportandos; perplexa illa characterum ſigna facilè facerent, niſi adeſſet in tempore Sapientia, quæ tum eriperet ab oculis vittam; qua inter homines

mines Fors obnubitur,tum litterarum elementis miro confeſtim ordine compoſitis, ei clarè legendum daret illius nomen, cui çerta in alios imperia arbiter rerum Deus ab ipſo æternitatis exordio deſtinarit. In interiore verò Baſilica, magna in Aula,Alites pueri diurno nocturnóque operi frequentes inſudent.in promptu ſunt labra adamantina, & vaſa variis fuſíſque metallis efferueſcentia, vnde ſequacem pateris liquorem hauriant, ingentémque annulis ſeſe per interualla excipientibus CATENAM fabrè fundant. Præſit operi PROVIDENTIA, iubeátque nunc auri, nunc argenti plus aliquantò, minúſve miſceri, ac torquem metallorum pretio variari, prout ire tempora humanæ vitæ, ipſi temporum Reginæ viſum fuerit. Circumſtet Virginum manipulus Pax, Salus, Libertas,quæque has perpetuò comes inſequitur, rerum Copia. quin etiam complexæ mutuò manibus Artes ac Diſciplinæ, inito cum Gratiis choro,non interſint modò,laborémve ſpectent otioſæ, ſed actuoſæ interdum in opificij partem veniant, operíque præter ſolitum locupletando ſollicitæ conſpirent.ſi quando enim mortalium preces è terris in cælo receptæ impetrent à Deo calamitatum finem, & curſum meliorum temporum exorent; tunc enimuerò magno certatim ſtudio omnes incumbant, ac metalla pretiosè temperando, annulorúmque orbibus feliciter intorquendis cæleſtes fabri deſudent.tunc Pax, & Salus arcani roris plurimùm inſtillent, tunc Copia calathum liberaliter inuertat, tunc Artes ignotos vulgo ſuccos affatim aſpergant, tunc Gratiæ vitalem operi colorem,

Fuſio Catenæ temporum indicis.

Cæleſtes fabri.

Catenæ temperatio.

ac faciem ſuperaddant. oblectet interea fidicen inſtantes operas,cantúque geminet opificij voluptatem : itaque dum omnes in commune conferant opes ſuas,felicium catena nexúſque temporum, atque ætatis aureæ ſeries mortalibus in cælo contexatur. Denique præalta turris, Arcis in morem ædificio impoſita ingenti ARMAMENTARIVM laxitate complectatur.Hîc aſſeruentur non illæ ſolùm abyſſi claues, quibus oſtia quondam cæli patefacta vltrici terras eluuione merſerunt, ſed quibus etiam procellas interdum, ac tempeſtates vindex ſcelerum IVSTITIA è carcere furentes educit, atque in hominum perniciem bacchantes immittit. Hîc arcus ac tela, quibus olim in magno illo Superûm tumultu Princeps armorum Michaël confixit authorem proditionis. hîc fulmina humanæ mentis terror: hîc tridentis, hîc arietis immane pondus,illo marium, hoc terrarum fundamenta quati ſolita. Sed præter cætera ingens hîc CLYPEVS aſſeruetur, quem in mundi molitione DYNASTIAM Regi ſuo dono fabricaſſe ferunt. Triformem illum, diſſuendúmque in plures repentè,ſi libeat, concinnauit: atque ita clypeo clypeum incluſit, vt ſub vnius ſpecie, tergemini lateant. Primum extimúmque ex ſapphiro commiſit immortali cæli materia, & emblematis loco cōpacta ſyderibus Cruce figurauit, carménque addidit, IN HOC SIGNO VINCES. Hunc fama eſt cæleſti ex arce primò eductum Imperatorum optimo præluxiſſe quondam inter ſydera,ac proſperum belli exitum maturaſſe. Eundem quoque perhibent æuo noſtro Paſtori populorum maximo de nauali claſſe ſollici-

Armamētarium cæli.

Abyſſi claues ad eluuiones tempeſtatéſque reſerandas.

Victricia Michaëlis arma.

Inſtrumēta terroris.

Clypeus triplex.

Conſtantino Magno Imp.

Pio V. Pont. Max.

to, fundentíque enixè ad Deum preces obtuliſſe ſeſe; euentúmque pugnæ multò ante victoriæ nuncium commonſtraſſe. At medij ſecundíque orbem clypei è cryſtallo vuidam vim obtinente formauit, firmauítque eo conſilio, vt aduerſùm miſſiles faces, fumantéſque plumbi aut ferri maſſas oppoſitus præſenti remedio foret. Scilicet cùm longa populos obſidione fatigatos tueri, hoſtiúmque conatus frangere cordi eſt immortali Regi, hoc è cœlo iubet efferri munimentum, quod mœnia, aut claſſem amicam latè contegat, atque in hoſtilia tormenta conuerſum, aggredientium vires eludat arcana quadam vi: dum eo excuſſi morales globi, exploſæque ex ære pilæ, aut contortæ incendiariæ bolides, collucentéſq; malleoli, aut emiſſæ ex catapulta phalaricæ, atque ardentes haſtæ vix clypeo excipiantur, cùm ſubitò veluti aquis extingui, atque eodem veſtigio loci ac temporis intermori neceſſe ſit. Intimum denique tertiúmq; clypeum eadem inuentrix operis ex igneo Pyropo molita eſt: clypeo Terrorem affixit proripientem ex vmbone ſeſe, vomentémque ab ore atque oculis flammas, ac mira arte in facies ſe alias atque alias transferentem: nam modò Gigantem vaſta corporis mole refert efflantem ignem naribus, ſtrictóque necem ferro minitantem: modò in ea clypei amplitudine tãquam latiſſimo in campo ſimulat equitum turmam, quam improuisò ex inſidiis prodeuntem præter expectationem hoſti repræſentat: modò maius opus mouens, ſpectríſque validioribus eludens, ingentem claſſem, & oppleta nauibus maria ſub oculos ponit, numeróque militum

Præſens remedium contra miſſiles faces.

Terroris figuratio.

Repẽtinæ fugæ cauſa.

litum planè innumerabilium deterret hoſtem vt mirum non ſit, ſi maximus interdum, & fortiſſimus exercitus, paucorum in conſpectu militum turpiter ſanè trepidauerit, séque defœdam in fugam continuò proripuerit: ſiquidem exiguas, ſed Religioſas ac pias copias occultabat hoc munimento Deus, indéque terrorem in hoſtes immittebat: à quo decepti, dum in clypeo præferoces bellatorum vultus, ac latè explicatas acies pauidi conſiderant, dum vexilla ſignáque ſolliciti numerant, dum tubarum & cornuum ſtrepitum, militúmque clamorem trepidi metiuntur, quaſi vera conſpicerent, metu exanimati extemplò cedere, fugáque ſaluti conſulere opportunum ducebant. Sed finis hîc ſit, atque hactenus licuerit incaluiſſe Poëtarum more, quo faciliùs vno quaſi ductu, & proluſione vtcumque ſuaderem, fabulæ nouitatem è rebus ſacris peti proximè copioséque poſſe: atque ideo falli eos, qui non alia ratione, quàm recoquentes impura veterum commenta gratiam nouitatis ineundam ex eo putant: nec aliunde confidunt opportunitatem explicandi NODI (quam ego virtutem, vt ſuprà indicabam, præter nouitatem requiro in fabula) gratiùs aucupari ſe poſſe, quàm ſi ad magicas ſtatim artes recurrant, ad præſtigias Chaldæorum, ad incantamenta carminum, ad Parcarum ſomnia, ad fatorum miracula. quæ tamen quàm obſoleta (Diui boni) plerunque ſunt, quàm interdum veris non ſimilia, quàm ſæpe inhoneſta, nefanda, ſacrilega! &, ſi nihil horum haberent; quid obſecro haberent, quod non ingenioſiùs, veroſimiliùs, auſpicatiùs è ſacris habere

Nodi in fabula ſoluendi opportunitas. Quanta in rebus profanis.

bere poſſimus? Quò tandem peruenire veneficorum præſtigiæ queunt, quò nequeant mentium beatarum vires? quarum ope, ſi ſit opus Deo (quod aiunt) ex machina, in latis deſertíſque camporum ſolis aliam repentè loci faciem, veluti nouum ſcenæ ſpatium inducam. In mediis Oceani fluctibus Inſulas detegam argenteis aureíſque fluminibus irriguas, pomorum auiúmque nouitate nobiles, miris nec penetrandis humana vi propugnaculis communitas. In nubibus armatas bello legiones inſtruam, atque inde pro re nata auxiliares ad terram copias euocabo. Dirimendum fortè prælium eſt, nodúſque incidit dignus vindice. hic mihi Cælites, quos eſſe ferunt elementorum tutelares, prima illa corpora miſcebunt, in nubes cogent, an tantam exprimens aquarum vim, vt validiore procella, quàm quæ prodigialiter olim Romanis, ac Pœnis ad vrbis mœnia pugnaturis interceſſit, milites alio palatim vagos diuersóſque abigat, aut oblitos pugnæ, ſuique tantummodo ſollicitos in caſtra ſubducat. Reprimendi ſunt hoſtes iam penè victores, atque etiam fugandi, ideóque ad repentinam cataſtrophen ſubſidium humano maius adhibendum eſt; præſtò mihi erunt alati in equis iuuenes, qui non paulò faciliùs, quàm Caſtor olim & Pollux viſi ad lacum Regillum, ſtrictis aciem mucronibus fugabunt, diſſipabunt, profligabunt. Gliſcit peſtifera in exercitu lues, epotáque fontis aqua, quam veneno hoſtes infecerint, miſerè intereunt Duces iuxta, militéſque: ecce tibi dum medicæ artis periti profuturas nequicquam herbas vbique venantur, è cæleſti militia is, qui cam-

po

Quanta in rebus ſacris.

Exempla curſim adumbrata ad nodum in fabula explicādum.

Dirimendi belli opportunitas.

T. Liu. li. 26. Sil. Ital. lib. 12.

Repellendi hoſtis ſubſidiū.

T. Liu. li. 2. Oui. lib. 5. Faſt.

Peſtilentiæ gliſcētis remedium.

Digitized by Google

po præeſt,ſelectum ex affectis militibus aliquem, ſecúmque per aëra volucri ventorum curru abreptum, felicibus in hortis primorum parentum,hoc eſt,ignota mortalibus in ſede ſiſtet,ibíque herbas ac ſuccos veneno expellendo ſalutares docebit,quibus ille inſtructus, atque ad ſuos in caſtra quàm citiſſimè deportatus,multo,quàm Græcorum cum Ducibus egit Machaon,feliciùs ſit è cœlo ſalutem allaturus. Sed fruſtra conſector adhuc iſta delicatiùs,cùm ſatis conſtet,nullum eſſe implicatum adeò,cœcúmque negotium, quod ſicut expediri, & exclarari nequeat cæleſtium ope; ita eorundem operam adhibere in fabula faciliùs multo, veróque ſimilius Poëta non poſſit. Quòd ſi ita eſt: quid tandem eſt,cur homines cauſentur in rebus ſacris, quòd figmentorum copia & libertate deſtituantur, quæ profano in carmine vndique ſeſe offerant, ſponte ſua veniant,quò ſe cumque vertant,nuſquam deſint? PIETATI nimirùm deſunt hominum ingenia; ingenioſa fabularum commenta non deſunt. Quòd si Virtus quàm ferax, tam felix quoque foret,tótque cultores ſui, quot laudatores admiratoréſque numeraret; legeremus in Poëtarum voluminibus caſtè conſcripta oppidò plura, quæ animos hominum longè ſinceriùs, hoc eſt,cognata noſtris mentibus voluptate caperent: quæ ad poſteros exempla rerum, documenta morum,irritamenta laudum multo ſapiētiùs candidiúſque tranſmitterent:vno verbo,quæ

Lectorem delectando,paritérque monendo

omne planè punctum ferrent,æuúmque ſcriptori longè diuturnius protogarent.

lib.4. Iliad.

Iuſta querimonia.

Horat. in Arte poët.

Verùm

Verùm ſint iſta, vt dicis, inquiunt: abundent res ſacræ poëticis exemplis, copioſéque ſubminiſtrent Poëtarum ingeniis materiem noua moliendi; triſtiora tamen hæc ſunt, ſi abſque affectionis illecebra concludantur. Perturbationum verò motuúmque quis neſcit eũ eſſe tractatu feraciſſimum, ac ſuauiſſimum auditu, qui in amore ſitus hiſtorias ac faſtos implere ſcriptorum ſolet, à quo (nam lubrica res eſt, ſi vſurpetur paulo liberaliùs) cùm tantopere abhorreant pudicæ verecundæque ſacrarum rerum enarrationes, mirum non eſt, ſi ſancta hæc argumenta natus exhilarandis animis Poëta declinet. Videris hîc Auditores, transferri me ad alteram partem Orationis, in qua, vti ſum pollicitus initio, oſtendendum eſt, non ſolùm FABVLAM Poëticæ, quod ait Ariſtoteles, animam, ſed etiam AFFECTVM præcipuam carminis virtutem abundè illis eſſe, qui ſacra conſectari volent. Et quoniam inter animi motus, præteritis aliis, vnicè prouocor ad Amorem, quo ſine inſuauia eſſe Poëmata proclamant; patiar huc quoque adduci me, ea tamen lege, vt nolim mihi neceſſitatem imponi, quod Socrati de Amore diſputanti ſemel accidit, obuoluta pallio facie, diſſerendi. Age igitur: infacetum carmen eſt, addo etiam deparcum, ac ieiunum, quod Amor, mirus ſcilicet rerum artifex, opportuna euentorum varietate non condiat. ſic ita ſanè. Sed in Platonis didici conuiuio, AMORES DVOS Venerum duarum partu procreatos terreſtrem alterum impurúmque, marinæ ſobolem Deæ: alterum cæleſtem ac verecundum, Vraniæ Veneris prolem. Ergo ſi quantùm

An triſtia ſint argumenta depſumpta è rebus ſacris.

Affectus an eſſe poſſit in ſacris argumentis.

De Amore diſputatio.

Amores duo. Alter alteri quantùm præſtet.

tùm ſinceræ nitidæque moles orbium cœleſtium, ima hæc & bruta terrarum ſola ſuperant, tantùm Amoris illius puræ ac diuinæ voluptates, huius fœditatem cœni, putidíque Amoris ſordes antecellunt; cur homines haurire de huius fœce malunt, quàm de cæleſti illius Ambroſia delibare, vt eo tincta melle circum oras pocula faciliùs propinet? An fortè liquidiſſimæ fons ille voluptatis, qui de ſede Agni prorumpens multiplici cælum torrente perlabitur, erit ſatis, vt continenti hauſtu cæleſtes beare populos queat; vt queat mortalium palato ſapere, ſatis non erit? Erit (inquiunt) ſatis, niſi ad peregrini ſaporis ſuauitatem humanus ſenſus obſtupeſcat: nã quid facias? ſic homines ſunt; tenet omnes hic morbus. MINVS ſentiuntur, quæ eminùs prægustantur: ac videntur quodammodo aliena, quæ alibi abundè ſunt, rara ad nos tranſmiſſione deportantur. hæc ſi è cælo accerſere dicendo velis, non plus proficias, quàm ſi ſurdo fabulam canas. vulgus ad arcana hæc deliciarum myſteria mirè indocilis, ac tardus eſt: quæ nouit, quæque ante pedes ſunt oblectamenta, horum commemoratione, & quaſi aucupio allici in omnem partem ſolet. Imò verò, quia huic malo eſt obnoxius, datiſque ſemel habenis in omnem turpitudinem præceps atque amens ruit; intercludendus ei opportunè aditus eſt, ne ſi tranſuerſus ire cœperit, reprehendi è curſu, ac reuocari nulla vi poſſit. Nam quid, malum, conſilij eſt (non poſſum hîc, Auditores, non magnopere commoueri, cùm in hanc cogitationem venio, mecúmque reputo dedecus huiuſce ætatis) quid conſilij tandem eſt

Cæleſtis Amoris commendatio.

Voces aliquorum, cur hic Amor non ſapiat multis.

Quid agẽdum cum iis quibus cæleſtis Amor minùs ſapit.

magni

magnificum operi titulum præfigere, mira nec antè mortalibus audita polliceri, plures ſibi pro rei amplitudine linguas atque ora depoſcere, quantùm eſt vſpiam Muſarum ad opem carmini ferendam in ipſo carminis veſtibulo conuocare: vt ea videlicet in medium proferas, quæ blandè illectos hominum animos prodant, perdant, peſſundent? quæ laus ingenij (nam conſilij probitatem fruſtra requiro) quæ artificij gloria eſſe poteſt in hiſce lenociniis ſedulò conquirendis, ac per otium in carmine dilatandis, quorum pleriſque nihil eſt apud ſellularios opifices, apud tonſores (quod aiunt) & lippos protritum dictúmque magis? Vt ſanè quemadmodum olim præconibus (quod ait Ariſtoteles) eadem in edictis verba vſurpantibus anteuertebant pueri in foro ludibundi, conceptáſque voces ſuccłamaturis præripiebant cum audientum riſu; ita qui legunt audiúntque iſtorum carmina, occupare dicturum plerunque ſoleant, ac certa decantatæ ſæpenumero rei prouiſione proludant. Scilicet hîc Poëſis tota multorum vertitur: primo ſtatim verſu in oculos, cornicum more, collineant: in oculorum miracula liberaliter arculas exhauriunt, & pigmenta conſumunt: hi videlicet gemini Soles, hi grauidæ vnionibus conchæ, hi fulminatrices nubes, hi Reges animorum, hi Tyranni: deliramenta maxima, quæ quis ad extremum

Apppratus aliquorum profana & turpia canentiũ.

Quantùm artificij ſit in vulgaribus hiſce nugis. lib.3. Rhet. Demetr. Phal. de elocut.

Deferat in vicum vendentem thus, & odores,
Et piper, & quidquid chartis amicitur ineptis.

Hor. lib.2. ep.1.

Itáne verò? Poëta hic mihi viuo ſalutetur, qui dummodo neſcio quod animæ plenum ebur, &

Portenta rerũ verborúmque.

viua coralia ſecum garriat: aut cum primis niuibus noua quædam flammarum commercia commentetur: aut alia complura ad faſtidium vſque pueris decantata nolenti obtrudat æquè ac volenti: quia tamen hæc modulatæ vocis ſono eliquat, ac certa per interualla paulatim quaſi labris hærentia verborum mella communicat; idcirco beatulus iſte Apollinari ſe laurea dignum, credo, ob Poëſim ab ſe amplificatam arbitretur? cùm interea decori atque artis oblitus, rerum neſcio quæ mõſtra progignat, eáque verbis variata tam prodigialiter adornet, vt hæc demum ætas illa ſit, in qua demirari poſſis, quod ait ille,

Perſ. ſat. 1.

——*Vnde hæc ſartago loquendi*
Venerit in linguas.——

Enimuerò, mi homo, ſi tibi nihil eſt Poëtæ præter hæc melimela, quibus

Idem ibidem.

——*tenero ſupplantas verba palato*;

aut artem hanc aliquando deſine, quam inuitis, præter Venerem, Minerua ac Muſis omnibus exerces, aut, ſi tantus amor ſcribendi te rapit,

Vbi ſpecimen ingenij, ac leges veræ laudis.

adhibe hoc quantùm quantùm eſt artificij non in eam partem, quæ vulgaris, ac multorum proculcata veſtigiis minuere tibi poteſt ingenij laudem, ſed in eam, quæ raro iam ſcriptore vacuos penè campos occupanti reſeruat. Dicam planiùs: contende quantùm potes, ſi quid potes polléſve, non vt caducos in decliuia mortalium animos, additis (quod facile factu eſt) titillationis impuræ ſtimulis impellas, ſed vt ſopitos Virtutis igniculos propoſita honeſtatis ſpecie, quaſi aura ſuauiſſimæ voluptatis exſuſcites. Attribuit Plato in

Platonis ingenioſum commentum.

diſputatione de Pulchro, Diis hominúmque animis

mis alatos currus, equos, aurigas: ſed vehicula Deorum ait facillimè regi, quia equorum bigam vehentium vterque probus ſit, frenóque parens: aurigationem verò animarum tardam eſſe, ac perdifficilem, quòd vnus equorum bonus, prauus ſit alter: Bonus, inquit, excellentiori habitu eſt, ſpecie ſublimis erectáque ceruice, nigricantibus quidem oculis, ſed ipſe colore candidus, conſpectúque toto nitidus, honoris vbique appetens, ac temperantiæ pudoriſque mirè particeps, ſtimulis numquam aut virgæ nutu, ſed cohortatione plauſúque ſemper in gyrum rationis flecti ſolitus. At alter contrà defórmis, intortus, capito, peruicax, temerè proſiliens aut reſtitans, anguſto & cadente collo, colore ferrugineo, cæſiis oculis ſanguinéque ſuffuſis, hirſutis auribus ac ſurdis, vixque flagello ac ſtimulis obtemperans. Videtis, Auditores, geminas animæ vires, quæ geminos Amores paulo à me antè allatos enutriunt, graphicè deſcribi à Philoſopho, ſed Poëtarum more. Perge porrò. cur animæ currus adeò difficulter ac periculosè regi ſolet? nimirùm procax, atque impotens equorum alter, cupiditatis ſemel ardore concitatus in diuerſa primùm trahere, & contrà niti: tum exultanti ſimilis æſtu rapi, ac pudoris tranſilire fines: denique pro arbitratu currum aliò tranſdere, obluctantémque diu iugalem equum, ipſúmque etiam aurigam eodem impetu deferre præcipitem. Quare quicumque rectà vehi Deorum ritu cupit, præferocem belluam ad alterius mores conformare ſtudeat, habenis coërceat, alimento perparcè appoſito domet, imò etiam demenſo ſuo fraudet,

Vehicula Deorum hominúmque.

Equi animas vehentes.

Boni equi deſcriptio.

Deſcriptio mali.

Cur animarum aurigatio difficilis.

Ratio regendi currus animarum.

fraudet, impuram ſæpe linguam atque maxillas cruentet, crura capútque ad terram allidat, nec antè deſiſtat verberibus ſtimulíſque confodere, quàm prauè animal laſciuire deſinat, ductúmque aurigæ ſequens, compare cum ſuo, in pulchritudinis iudicio, ſenſúque voluptatis, reuerenter ac timidè conſentiat. O tua, Philoſophorum maxime, documenta quàm mira, quàm diuina ſunt omnia: ſed quàm occluſis occupatíſque mortalium auribus decantata! Feruntur paſſim præcipites in omnem turpitudinem viles animæ, laxatíſque habenis currum pro libidine trahi ſinunt à proteruo impuróque vectario cuius ferocia cùm in tempore ſiſtenda, frænóque ac virga ſeuerè comprimenda eſſet; reperiuntur, qui incitato per ſe ſatis equo, nouis carminum inuitamentis, blandiantur vltrò plaudántque, ac voluptuariæ impotentíque belluæ voluptatis illicium ab arte conquirant. Egregiæ ſcilicet artis oſtentatio & gloria, ſi hominem lubrico in loco, pede inſiſtentem vno, indéque ſeſe proripere geſtientem, tu ingenti, credo, conatu operáque deſudes, vt de gradu dimoueas, ac prærupta per loca inclinatáque deuoluas, à tergo ſtimules, à fronte foueam aperias, vbique ruinæ compendia repræſentes. Quòd ſi hoc tibi conſilij non eſt, vt iſta carminum licentia cuique mortalium perniciem crees, ſed vt aliquo lenocinio aditum tibi adornes, & quaſi faſtidientem ſtomachum ſapore voluptatis irrites; vtere huiuſmodi condimento non ad eum ſuſcitandum, qui irritamento non eget, equum, ſed ad alterum laceſſendum, cui ſi blanditias opportunè feceris, ſi vim eius innatam ad cœleſtis

Commēti Platonici ſententia.

Quantùm obſint obſcœna ſcribentes. Quàm parùm artis in iis ſit.

Lenocio voluptatis quibuſcū-ytendum.

cæleſtis cupiditatem Amoris accommodatæ oblectationis illecebra ſtimulaueris; non modò illum ab alterius proteruitate defenderis, ſed vtrumque pari ſuauitate delinitum ipſi demum animæ in complexum honeſtatis auriganti facillimè ſuppoſueris. Non eſt (quod aliqui obtendunt excuſationis loco) non eſt tantopere difficile, homini quamquam nolenti languentíque guſtum diuinæ pulchritudinis excitare potente carminum vi, & amatorium veluti pharmacum, Poëſi adminiſtra, propinare. habet cæleſtis Amor artes ſuas, quibus ſe penitùs induat in animam, eámque ſuauiſſimæ voluptatis ſenſu colliquefactam molliſſimè tractet, atque arbitratu ſuo fingat, multóque quàm amor impurus efficaciùs in omnem formam ſpeciémque commutet. Nam quò vnquam, oro vos, Auditores, humani vis Amoris progreſſa eſt, progreſſam dico? quò progredi potuiſſe fabulator vnquam Poëta commẽtus eſt, quò diuinus Amor extra nugas & ioca non ſit facilè prætervectus? Scimus admiranda illius effecta crebrò fuiſſe, patria domóque cedere, fugam ad exteros adornare, opes ac regna deſpicere, ſupra conditionem audere, infeſta ſe inter arma opponere, vires, ſanguinem, vitam profundere. hæc verò omnia quantò non modò ardentiùs excellentiúſque, ſed etiam, ſi voluptatem hinc afferre velis, ingenioſiùs, ſolertiùs, admirabilius, & natu grandium, & imperio opibúſque potentium, & puerorum puellarúmque penè populis cæleſtis Amor ſæpenumero perſuaſit? An Amor, in iſtorum faſtis, vlla fœminarum gloriatur tam præſtanti forma, támque præſenti

Ex Amore ſacro quantùm excitare poſſit homines Poëſis.

Vter Amorum ſit efficacior.

Profani Amoris effecta.

Quantò melius eadem effecta ab Amore ſacro.

Matrona formæ, animíque præſtãtis.

animo, quàm HEBRÆORVM vna, cui ad innatam oris elegantiam Amor è diuinitatis luce ſplendorem mutuatus adiecit, cámque perpulit, vt in confertas hoſtium acies, immemorem ſui, memorem patriæ ſe daret, captúmque pulchritudinis armis Aſſyriorum Ducem ferro fortiter inuaderet, obtruncaret, caput victoriámque referret? Quid habet Antiquitas, ſi ſe totam excutiat, ſi ex Amoris, quàm amplum eſt, regno ſeligat par amantium, cui nos ANTIOCHENAM Virginem, militémque ſiue ſub meretricio tecto cum chlamyde pallam, cum ſtola ſagum, cum reticulo galeam permutantes, obſcœnæque multitudinis expectationem fallentes: ſiue ad ſupplicij locum certatim, hinc vadem mortis, illinc prædem pudoris, omnium admiratione, ſibi necem vendicantes: ſiue demum, eodem patibulo mortíſque genere, alterum in alterius penè complexu coniunctiſſimè occumbentes, tutò opponere, ac longè præferre non poſſimus? Afferant qui Amoris euoluunt annales, ſi quam ex vltima memoria repetunt Heroinam in amore adeò ſolertem ac fortem, vt ſi EVPHRASIAM legant, non continuò huic omnes longo interuallo poſthabeant. Deprehenſa hæc olim Virgo, altercatáque diutiùs cum impuro gladiatore, cùm ſe eo loci vidit, vt neque vi, neque lacrymis ab armato atque impotente iuuene tueri pudicitiam poſſet; ſiſtere illum iubet, oſtendítque velle ſe pretio redimere, quod prece non potuiſſet: ſagam ſe, ac magicis initiatam carminibus dicit, iíſque ab infantia operam dediſſe; notum ſibi eſſe medicamenti genus, quo qui ſemel corpus illiuat,

Par amantium.

Niceph. lib. 7. cap. 13. Eccleſ. Hiſt.

Ingenioſũ Virginis inuentum.

linat, nullo deinceps ferro telóve penetrari poſſit: tantùm arcani, quod ad eam diem clam omnibus habuiſſet, monſtraturam ſe ea conditione, vt ſibi perſanctè iuret, nullam in poſterum pudori iniuriam illaturum. Quod cùm miles incenſus armorum gloria facturum iureiurando ſe obſtringeret; auertit ab eo ſe puella tantiſper, & liquefacta, quam fortè apud ſe habebat, cera collum perbene ac ceruices oblinit ſibi: tum conuerſa ad iuuenem; Vt ſcias, inquit, data à me tibi verba non eſſe, periculo meo, fidem veneficio adiungam. Age, ſtringe iam ferrum miles, iſtáque gladiatoria vi collum, quod modò ipſa mihi liquamine communiui, pete quantùm potes: mox intelliges, quàm tutam reddere me aduersùm te potuerim artificio meo. Ille, cui ardorem libidinis cupido experiundi medicamenti penè reſtinxerat, ferrum ſecurus educit, inque locum à Virgine deſignatum validè vibrat, ac teneræ collum puellæ confeſtim ſecat: præciditque eodem ictu ſibi ſpem potiundæ Virginis, ac Virgini metum amittendæ virginitatis. O plenum generoſæ animæ pectus! ô ſuſceptum in arena, ſed è cælo conſilium! ô Amoris fabri vſque adeò ſolertis ingenium! Et dubitamus, Auditores, frigidáne res amor hic ſit; an potiùs affectionum concitatione præferuidus, voluptatum opificio nobilis, conſiliorum prouiſione peracutus, euentorum varietate copioſus, gratè verecundus, audax in loco, exitu felix, vbique Poëtarum operi accommodatus? Nam ſi non ita eſt, ſed rara ab eo ſuggeruntur delinimenta voluptatum, ſteriles motus, infaceta conſilia, inamabiles curæ, ie-

Vindicatus ab iniuria pudor.

Qualis Amor cæleſtis.

iuna fermè omnia, triſtiáque; quid eſt, cur illi ipſi, qui ſic obloquuntur, qui callidè architectandis voluptatibus operam nauant, inter illas carminum amœnitates, in illa deliciarum copia, ad hæc illepida recurrunt atque inuenuſta, ex iiſque integra ſæpe Hiſtoriarum parerga mutuātur, quæ carminibus ſuis attexant ad aucupium magnæ, ſed improbæ voluptatis, ac dolo malo caſta hæc illibatáque facinora, cum fœda voluminum colluuie confundant? Quibus id ſi contingeret, quod Theodorus Tragœdiarū ſcriptor eueniſſe ſibi teſtatur apud Euſebium: qui cùm aliqua è ſacris litteris ad fabulam neſcio quam transferre vellet, in ipſa meditatione rei deſtitutus repentè oculorum vſu, non antè eum recepit, quàm in iis tenebris attentè facinus ſuum intuens, abolere quæ temerè ſcripſerat, animo deſtinaſſet; profectò abſtinerent aliqui furaces impuráſque manus ab rerum ſacrarum violatione, atque in poſterum ſi non caſtè, quod factum oportuit, ſaltem cautè, quod vnum ſupereſt, Poëſim pertractarent. Vt meritò ſubiratus hoc nomine vir eruditione, ac ſanctitate Illuſtriſſimus Cæſar Baronius, cùm Euphraſiæ, quem modò laudabam, exitum retuliſſet, continere nequiuerit ſe, quominùs Poëtarum hodie famoſiſſimū, vulgarem propterea, vulgóque planè ac triuio dignū appellaret: quòd tantùm facinoris ad amatorias nugas traduxerit, nec veritus (ita enim loquitur) temerè ac impiè poëticis impuriſque figmentis illud intexere, è rebus ſacris procaciter argumentum ſibi comparauerit. Adeò non egemus affectibus, vt eos foras etiam deriuare poſſimus.

Sacra ſuffurantes ad obſcœna deſcribenda.

lib. 8. de præp. Euan. c. 2.

Pœna temerarij Poëtæ.

Annal. tom. 3.

Quæ

Quæ ſi ita ſe habent: ſi Poëſis inter ſacra verſari tam honeſtè, tam feſtiuè poteſt: ſi fabularum commenta ob gratiam nouitatis admiranda, ob copiæ opportunitatem egregia, ob rerum complexionem ingenioſa non deſiderat aliunde: ſi motuum variè; ac ſuauiter oblectantium, animóſque commiſeratione, iracundia, terrore, lætitia, amore, in omnem partem ſenſúmque pertrahentium ſatis ei abundéque eſt; qua peruerſitate fieri dicam, Auditores, vt hoc tempore plerique carminum ſcriptores, neſcio quibus intemperiis malè acti, ab argumenti ſanctitate propè abhorreant, ad profana impuráque omnia proni dilabantur, tanto artis dedecore, tanta morum iactura; tanta pernicie generis humani. Qui vtinam mihi dicenti adeſſent in præſentia, ac dolorem meum ſpectare poſſent; vt ego illos non orationis vi, quæ nulla eſt, ſed precibus, ſed lacrymis ſupplex rogarem, obteſtarer per Deum hominéſque, deponerent eam aliquãdo mentem, quæ illos in hæc Amorum deliramenta phanaticos agit: aut certè, ſi ſe curare, atque ex hoc inſaniæ morbo conualeſcere conſilium non foret, concluſum animo virus continerent ipſi, nec in aliorum contagionem impudenter euomerent: coërcerent in ſinu ſordes ſuas, turpéſque ipſi ne ſe luce palàm temerè proderent, neve in aliorum pura candidáque pectora partem turpitudinum ſuarum inquinatè tranſmitterent: temperarent, ſi quo modo poſſent, eam ſcribendi ſcabiem, quæ illos exedit, ne alios ſaltem eadem morum corruptela, nocentíque aſpiratione corriperent: diſcerperent aliquãdo conſperſas funeſtè paginas, delerent

Deſitne aliquid Poëtæ ſacra tractanti.

Qui perniciem ſibi atque aliis creant.

rent tota (quod aiunt) ſpongia, carminum, aut potiùs vitæ maculas, proiicerent ab ſe lethales calamos, ne ex quibus ipſi peſtem hauriunt, in aliorum perniciem venena diffunderent. Demoſthenem ferunt geſtare ſolitum fuiſſe venenum calamo concluſum, eóque demum hauſto, vnde ſibi ſcribendo immortalitatem nominis comparauerat, inde præſentem ſibi mortem deriuaſſe. Ita vſu venit, Auditores, calamos iſti veneno illitos habent, ex quibus ſperent ipſi quantùm volent carminibus ſuis neſcio quam vitam: polliceantur abundè ſibi tantûm famæ, quantùm nec Iouis ira, nec ignibus, nec vlla corrumpi vetuſtate poſſit; necem ſibi interim epotant miſeri, multíſque mortalium (quod hîc præcipuè queror) perniciem præſentiſſimam compendio propinant. Sed illos minùs hæc, credo, mouent, dum ſe apud honeſtos interdum viros aditum habere nihilominus vident: quem ſi apud vos aditum, Rhetores, non reperient, fortaſſe quod nondum ego dicendo, vos in poſterum declinando peruincetis.

Ariſto apud Plut. in vita Demoſt.

Demoſthenici calami & impudicæ Poëſeos comparatio.

FINIS LIBRI PRIMI.

PRO

PROLVSIONVM ACADEMICARVM LIBER SECVNDVS.

PROLVSIO I.

De ſtylo Oratorio: & an acumina dictorum vellicantéſque ſententiæ Oratoribus vſurpanda ſint.

QVOD in præſentia refero ad vos Sacrorum Antiſtites vigilantiſſimi: Vóſque, quos in me cohoneſtando frequentes intueor, Viri & doctrina & nobilitate primarij) illud ipſum eſt, quod nono ab hinc anno, cùm me primum in hoc tradendæ Eloquentiæ ludo includere meis maioribus viſum eſt, illicò venit in mentem, geſtiebátque iam tum animus in primis hiſce congreſſionibus, quibus ex more proloqui, ac nouos hoſpites conſalutare conſueuimus, aliquid hac ſuper re cum auditoribus meis accuratè definitéque tranſigere. Etenim audieram adoleſcens de præceptore meo Horatio Turſellino, viro huiuſce quam profiteor artis apprimè gnaro, Rhetoricen, cuius præceptis hîc imbu

Rhetoricæ trilinguis.

imbuuntur auditorum animi, trilinguem eſſe; nec minùs in vna hac arte diſtare ſermonem hiſtoricorum ab Oratorum elocutione, aut hanc à dictione Poëtarum, quàm in hac eadem Vrbe à Romanis Suburrani aut Tranſtyberini, ab his aulici aſſeclæque Principum oratione diſcrepare ſolent: ideóque ſicut propius nihil fit, quàm vt rerum imperiti perturbent, confundántque hos inter ſe dicendi characteres; ita magiſtris Eloquentiæ nihil magis curæ eſſe debere, quàm vt hæc in loco diſcernant, eorúmque vſum diſtinctè, electéque præſcribant. Sed me ſæpiùs aggredi hæc meditantem rei difficultas, aleæque plenum opus abſterruit: quòd viderem, id eſſe artis intimæ, cuius ſapore capi me quidem ſentiebam, non ita tamen internoſcere, vt cæteris diſcrimen quaſi vernaculum aperire iam inde poſſem. Nunc autem, non quòd hæc penetralia receſsúſque peruaſerim; ſentio enim quantùm adhuc hæream in veſtibulo; ſed luſtrata à me per annos iam aliquot Eloquentiæ regio, vniuersáque deſcripta, facit vt, niſi deſperatiſſimo ſim ingenio, aliquid allaturum me minùs timidè dubitantérque polliceri poſſim. Accedit, quòd elapſis hiſce iam annis cùm ſatis ſupérq; diſſeruerim de Oratoria, Hiſtoria, atque Poëtica ſeorſim ac diſcretè; reliquum eſſe potuit, vt illas componerem in præſentia ac permiſcerem, ídque ipſum aliquando demonſtrarem, quomodo hæ notæ dictionum, quæ ſententiarum vocúmque delectu conſtant, in ſingularum vſu confundendæ non ſint, ſed intra ſuos quæque limites coërcendæ. Et verò quoties Oratorem audio ad Muſarum

Orationis characteres non permiſcendi.

Rei difficultas.

Vitia quibus obnoxius Orator.

rum amœnitates ſubinde diuertentem, earum feſtiuitatibus liberaliùs exultãtem,poëticis identidem lenociniis indulgentem: quoties Hiſtoriam lego poëticè nimis ac tragica lamentatione dolentem, aut exaggerato Oratorum more magnificéque narrantem, in permouendis animis, argumentorúmque telis intorquendis inſiſtentem,vbique certa per interualla numerorum, percuſſionúmque modos, verba modulantem: quoties Poëſim video modò cum Oratoribus, modò cum hiſtoricis facientem,cum his ſimplici apertáque narratione properantem, cum illis rationum momenta fidémque dictis ſollicitè cõquirentem; intelligo tunc ego quidem tranſiliri fines cuique præſcriptos, & ſaltari, quod aiunt, extra chorum: ſed huic culpæ (cui obnoxium quoque me, non tamen incomitatum animaduerto)quàm meritò iraſcor,tam facilè atque obſequenter ignoſco. Quid enim facilius,quàm vt homini apud exteras nationes agenti aliqua vocum peregrinitas adhæreat, atque in aliena ſenſim verba citiùs quàm in mores tranſeat?Sunt in manibus quotidie Oratorum volumina,annalium monumenta noctes ac dies terimus,Poëtarum carmina tenemus etiam memoria: & magnopere demiremur,quòd inter ſcribendum offerant hæc ſeſe nobis indiſcreta, ínque operis partem non intellecta veniant, ac rem, quam molimur,ſuis quæq; coloribus tacitè diſtinguãt? Maria videmus,qua parte fluuios accipiunt, eo aquarum acceſſu dulceſcere; vt mirum non ſit ſi Orator aſſiduo poëtici fontis hauſtu ſaporem inde peregrinum ducat. Sed hæc quamuis ita eſſe

Hiſtoricus.

Poëta.

Cur Oratores, hiſtorici, atque Poëtæ ſtylum facilè permiſceant.

Libera ſtyli permiſtio coërcenda.

eſſe videantur, haud tamen permouere nos debent, quominùs Poëtæ, Oratoríſve, aut hiſtorici perſonam, quam ſemel ſuſcepimus, ſincerè atque vnicè referamus ipſi, ac cæteris, qui nihil penſi, nihil proprij habent in loquendo, hanc libertatem interdicamus promiſcuè incertéque dicendi. Etenim in Orcheſtra ſaltator, qui geſtu tantummodo corporis, ac nulla niſi digitorum oratione fabulam populo dabat, vnúſque perſonas ſæpe complures referebat celeritate penè oculis imponente, ſi fortè geſtus paulùm confudiſſet, ac pro Mercurio Apollinem ſaltaſſet; Theatra non ferebant obliuioſum hiſtrionem, quin imò populari palàm conuicio explodebant: nos eum, qui extra ſcenam ac ſaltationem feriò agat, atque in hac quaſi tergemina perſonarum actione immemor decori, immemor ſui, partes vicéſque permutet, æquo patientíque animo feremus?

Saltatoris peccata exſibilari ſolita.

Ego verò cùm tripartitam Eloquentiã apud Homerum expreſſam lego in MENELAO, NESTORE atque VLYSSE: quorùm primo breuem, ac propriam, carentémque ſuperuacaneis narrationem Poëta dedit: ex alterius ore ſermonem dixit emanare melle dulciorem: tertio orationem concitandis animis, ac niuibus hybernis copia verborum atque impetu parem tribuit; agnoſco non modò tres illas perſonas, quæ nobis in hoc dicẽdi ſcribendíque Theatro referendæ ſunt (vt interim totidem characteres, tenuem, mediocrem, ſublimem in iiſdem Homericis perſonis adumbratos omittam) ſed peculiares quaſdam notas, ac veluti lineamenta oris contemplor, quibus non magis Vlyſſes à Menelao, aut hîc à Neſtore,

Eloquentia tripartita.

lib. 3. Ilia.
lib. 1. Ilia.
lib. 3. Ilia.

quàm

quàm Orator ab hiſtorico, & ab vtroque Poëta ſeparetur. Quæ Homericæ perſonarum notæ, quoniam opportunè ante oculos ponunt hæc tripartita: quæ inueſtigamus, diſcrimina dictionum, erunt in præſentia, vobis non improbantibus, argumentum tripartitæ diſputationis meæ: quamquam, ne profuſior in hanc ſententiam excurram, in Oratore conſiſtam hodierna die. Summa ſecundi prolußionum libri.

Neque me dicere incipientem fugit, has inter facultates eam affinitatem eſſe, ac neceſſitudinem, quæ mutuam opem operámque bona cum fide ſæpenumero communicet. quam ego quæſtionem differo in alium locum, exploraturus quatenus ex vna in aliam traduci poſſit oratio: interim, quod potius eſt, aio non eſſe integrum cuique eodem dicendi ornatu vbique vti, & tanquam veſtem pro arbitratu ſumere, ac ponere: ſed certos eſſe hîc quoque terminos, quos vltra citráque conſiſtere cum laude non poſſis. qui ſanè termini non aliunde ſapientiùs quàm ex cuiúſque facultatis fine ſtatuendi ſunt. Propoſitum in hac Oratione. Atque vt de Oratore iam dicere propriè aggrediar, quem Vlyſſis Homerici ſimilem facimus; conſtat illius conſilium eſſe, dicendo fidem facere, ídque aut vi momentíſque omnium, aut animorum concitatione ac motu; nec aliam ad perſuadendum monſtratam eſſe à dicendi Magiſtris Oratori viam. Finis Oratoris. Duplex ad eum via. Quod ſi ita eſt, illa omnes in ſe numeros Eloquentiæ habebit oratio, cuius tale ſeligatur dictionis genus, ſelectúmque diſponatur, quod argumentorum pondere mentem, & affectionum perturbatione voluntatem flectat. Flectet autem ſermo peracutus, grauis, incorruptus, non Quæ oratio apta ad faciendam fidé.

effræ

effrænis, ac celeritate cœcatus, non vagus, verbíſque humidis & lapſantibus fluens, cuiuſmodi apud veteres dicebatur, IN ore naſci, non in pectore: ſed gradarius, qualem fuiſſe Ciceronis affirmat Seneca: ſed Romanus, qui ſe circũſpiciat, æſtimet, ac præbeat æſtimandum: ſed vibrans, pugnax, deſtinatus, qui non erratico lapſu talos ac genu pertentet, ſed rei caput inuadat, ac certo dimenſóque ictu iugulum petat. Verùm hæc aceruatim à me propoſita vt ſeorſum reponam, in partéſque diſtribuam; ecce tibi in contraria diſcedentes ſtudia geminæ veluti acies Oratorum. Etenim cùm auditoris animus ita ſit obſidendus, vt ad aſſenſum ac deditionem compellatur (hoc enim propoſitum eſſe Oratori conſentiunt ſanè omnes) cúmque hæc omnis aggreſſio atque expugnatio partim explicata argumentorum pugna, partim occulto aditu, & ſubornatis animi affectionibus inſtruenda ſit; hinc illa exiſtunt diuortia, aut ad ARGVMENTA, aut ad MOTVM ſecedentium, vt fidem dicendo faciant. Et quamquam non me fugit, eſſe qui neutrum omnino ſectantes, in quodam fuco & ludificatione cultiſſimæ orationis vnicè laborant Iſocrateo more; hos tamen quia delectationi ſtudentes, motui denique dant operam, referre libet in præſentia ad poſteriorem claſſem. Atque ij quidem, qui ſiue naturæ, ſiue rationis ductu in priorem partem inclinant, eò transferunt omnem verborum ſententiarúmque ſupellectilem: nam toti in eo ſunt, perbene vt Latinè loquantur, etiam quàm cæteri litteratiùs. in primis autem pugnaci vtuntur genere dicendi, argumentorum aculeis inſtru

Lib. 5. ep. 40.

Contrariæ Oratorum claſſes duæ.

Iſocrateũ dicendi genus.

Qualis oratio argumentis inſiſtentium.

ſtructo, rationum ſeſe aptè excipientium vt vbique concluſo. cæterùm non magnopere laborant, vt orationem aliqua ſuauitate conſpergant, numeris emolliant, vrbanitate colorent: quin potiùs hiſce lenociniis infenſi, ſtrigoſi ipſi ac triſtes compoſitionem tamquam capillum ſpargunt de induſtria, nolunt ſine ſalebra eſſe iuncturam, virilem arbitrantur ac fortem, quæ aurem inæqualitate percutiat. At verò alij contra faciunt, ac poſteriore modo, motu inquam ſiue acri & concitato, ſiue miti atque compoſito, putāt Oratoris finem certiùs ſe conſecutos: nempe ſi ardentibus verbis ſententiiſque, atque ad animum permanantibus impreſſionem faciant, ſi fuſæ fluentiſque pompam orationis latè explicent; ſi vocibus calamiſtro delicatè contortis ac penè ambuſtis vbique redundent, ſi tota Rhetorum myrothecia, atque omnes arculas ac pigmenta conſumant, ſi ſenſus audaces ac tantùm non prætergreſſuros fidem, ſi tractim micantes fulgentéſque fulminum more ſententiolas, ſi perilluſtres neſcio quos ingeniorum partus, atque acumina paſſim proferant, ſi demum ſyllabis perpetuò ad numerum diſtributis, modulationi ſimiliora quàm ſermoni componant; tunc enimuerò facundi ac peracuti homines credunt, ſicut aures cantu, ſic auditores ingenioſa ac dulci oratione ſuſpenſos teneri. Agnoſcitis, credo, Auditores, non recens atque huius ſeculi, ſed vetus ac ſub ipſa heroica ſtatim tempora natum inter Oratores diſſidium, cùm ab exceſſu Ciceronis nutare iam inde cœpit Eloquentia; magnæque in dies ingeniorum inclinationes factæ ſunt: do-

Qualis oratio ad motū inclinantiū.

Vetus inter Oratores diſſidium.

Eloquentiæ decrementa quando cœpere.

nec in poſtrema hæc tempora deſitum eſt, quibus viuæ ac ſpirantis effigiem Eloquentiæ propè nullam tenemus, vmbris & imaginibus vtimur. Vt mihi quidem hac ſuper re ſæpenumero cogitanti, noſtráque cum ſuperioribus componenti illud in mentem venire ſoleat, quod extincto Alexandro de eius militia ſcribit egregius morum æſtimator iuſtitutórque Plutarchus. Vt enim abeunte anima cadauera non conſiſtunt, non cohærent, ſed diſſoluuntur ac diffluunt; ſic Alexandro fugiente exercitus ille gentium victor palpitabat, concutiebatur, æſtuabat, Perdiccis, Seleucis, atque Antigonis tanquam ſpiritibus etiamnum calidis, ac pulſibus per membra vltrò citróque meantibus: tandem flacceſcens exercitus, & cadaueris more tabidus vermium inſtar ex ſeſe procreauit degeneres Reges, ac Principes ſemianimes. Ita ſanè ſublato Cicerone, illo Romanæ facundiæ Duce, ſtatim Eloquentiæ corpus, quod ab illo animabatur, elanguit: & quamuis Oratores aliquot, Portij, Senecæ, Plinij, tanquam plena adhuc animæ membra, cadentem calentémque ſpiritum exciperent, ac tantiſper etiam fouerent, breui tamen in mera Oratorum cadauera degeneratum eſt, ex quibus quid aliud hoc tempore, quàm ſparſos quoquo licet modo cineres colligimus, atque ad Eloquentiæ buſta lamentamur? Sed quando hoc ipſum iuuat ad priſca animum referre, & eorum comparatione definire, quid deſit in noſtris; ſic ſentio, Tantvm Oratoris nomen vnumquemque recuperaturum, quantùm per antiquorum veſtigia ab Oratoris fine non diſcedet. Atqui hoc, inquies, ſentitis, hoc

Alexandri Magni laus.

De virtute ſeu fort. Alex. orat. 2.

M. Tullij laus.

Quæ via recuperandæ Eloquentiæ.

hoc dicitis certatim omnes,ſed non omnes æquè ac dicitis, hoc præſtatis. Fateor ego quidem (vt meis interim vnius verbis veniam compluribus exorem) ſed hoc ipſum agimus in præſentia, vt aliqua tractatione remedij, quantùm poſſumus, malo medeamur. Certè in vtraque eorum claſſe,quos paulo antè recenſui, non eſt difficile dictu,quid laudes,quid ignoſcas,quid deſideres, quid corrigas. Ego de iis ita ſtatuo, de me ſtatuent poſtmodum alij. Primis incorrupta Latini ſermonis integritas cordi eſt. pulchrè: modò in Oratore id requirant,non autem Oratoriam hac vna re finiant: magna ſiquidem laus eſt emendatè caſtéque dicere, nihil corruptè aut inquinatè loqui,ſed non in eo ſunt omnia: & SICVT vitæ,ita orationis eſt quædam innocentia, quam etſi in laude ponimus,non tamen abſolutam vocamus conſummatámque virtutem. Quis hanc partem nitidè ac Romanè dicẽdi pluris vnquam fecit quàm M. Tullius? Et tamen hic non tam ex ſe ipſa laudandam putauit, quàm quòd eſſet à pleriſque neglecta: *nec tam*, inquit, *præclarum eſt ſcire Latinè,quàm turpe neſcire: neque tam id mihi Oratoris boni,quàm ciuis Romani proprium videtur.* At illi cum hac orationis munditia, ac laude dicẽdi coniungunt aculeos rationum & ſubtilitatem quoque diſputandi. Id verò multo faciunt ſapientiùs; nec alia fermè oratio eſt, quæ apud eruditos ac probos proniùs excipiatur,fidémque faciliùs faciat, quàm accurata Latinè loquendi, ſed ſine moleſtia diligens elegantia, & adſtrictum dicendi genus collectúmque, atque ipſa ſine longis verborum ambagibus argumenta

Iudicium de vtraq; Oratorũ claſſe.

Latinæ locutioni quantùm tribuẽdũ.

Quantùm ei tribuit Cicero. In Bruto.

Argumẽtorũ tractatio quanti facienda.

Google

Quid in ea cauendum.

concludens. Sed iſtis confine periculum eſt, ne dum ſingula momentis argumentorum ſeueriùs expendunt, & rationum quaſi punctis confertim agunt; diſceptationi Philoſophorum, quàm Oratorum Eloquētiæ propiores videantur. In eo autem quòd omnem pulchritudinem, & lætitiam orationis aſpernantur, ſectantúrque triſtem neſcio quam, & impexam antiquitatem, quis non intelligit non afferri quidquam vendibile in vulgus, nec merces huiuſmodi extrudi apud eos, quibus (vt ſunt hominum ingenia) VENALE nihil eſt, niſi ad haſtam præconiúmque voluptatis expoſitum, niſi aliquo tinctum lepore ac illecebra ſuauitatis delinitum? Accedit, quòd dum toti ſunt in Latinitate perpolienda, réque ſua aliis continenter, atque aliis probationibus firmanda; ipſi intereà ſine ſenſu ac motu cōcitationes animorum, in quibus vincit ac triumphat Eloquentia, planè prætereunt. Quare videtis, à me paucis expoſitum, Auditores, quid in hac priore hominum claſſe potiſſimùm laudem, quid etiam ſub laudes non immeritò deſiderem. At poſterior orationem liberaliùs effundit, ſplendidè etiam atque hilariùs exornat, ac peracutis interdum ſententiis, excitandæque hominum admirationi accommodatis, quaſi conſertis aptè ſyderibus illuminat. Audio, habeóque hîc ego non pauca quæ probem, habeo quæ probari inter hæc poſſe non putem. Orationis vbertatem & copiam ſcio Eloquentiam vulgò videri, ac etiam exiſtimari ab iis, qui ſi quos infinita quadam profluentia, continentíque ac numquam intermittente ſermone volubiles, & canoros audiunt, eos cōtinuò

Genus dicendi ſeuerum ac triſte.

Quanti apud homines.

De orationis profluentia quid ſentiendum.

nuò

nuò diſertos, eos patricio ex ordine Oratores vocarit, & vocaliſſimum, quemque eloquētiſſimum interpretantur: an verò huic verborum copiæ tanquam corpori animus ſubſit, non ſanè ſedulò conſiderant, aut ſaltem non magnopere deſiderant. Cùm tamen Romanæ patens Eloquentiæ nihil tam furioſum exiſtimaret, quàm verborum vel optimorum, vt ipſe ait, & ornatiſſimorum ſonitum inanem, nulla ſubiecta ſententia, nec ſcientia. Quin etiam cùm videret Oratorum aliis verba, aliis rem deeſſe; quamuis ipſe laudandam nequaquam putaret illorum infantiam, qui, quæ noſſent, explicare dicendo nequirent; ſicut nec inſcitiam eorum, quibus in magna verborum vbertate, anguſta res foret: tamen, ſi alterutrum eſſet optandum, malle ſe dixit ieiunam illorum indiſertámque prudentiam, quàm horum copioſam ac ſtultam loquacitatem.

Quid de ea Cicero ſenſerit.

lib. 3 de Orat.

Rerum ac verborum iactura pluris facienda.

Perge porrò; Acumina illa dictorum, ſtimulóſque, & tanquam ictus ſententiarum quanti facis? nam hæc quoq; vt ad oblectationē comparantur, ita ad motum referenda putauimus. Hic permittite me, Auditores, in re ancipiti aſſertáque in vtramque partem, non priùs aperire ſententiam meam, quàm quid hac ſuper controuerſia hiſce autumnalibus feriis tranſegerim in Etruria, paucis interponam. Eram in Lucenſi Guiniſiorum villa, cui ab aëris benignitate Matrariæ nomen eſt. Ventitabant illùc è proximis villis (quippe clarum in primis eſt in ea Republica Guiniſium nomen) præter alios complures, Laurentius Cenamius, & Nicolaus Tuccius, grandi hic ætate, & ſcriptis voluminibus inſignis, ille præter ſangui-

De ſententiis dictorúmque acuminibus diſputatio.

Matraria Guiniſiorum villa.

 nis

nis opúmque ſplendorem,ingenij ac morum nobilitate Principibus viris apprimè charus. Sedebamus flexo in veſperam die in porticu peräplæ ac magnificæ domus,quæ vt edito exſtat è monte,ſed exæquato ad aream hortorúmque amœnitaté,ita nobis inde per intercolumnia proſpectus in ſubiectos latè colles, planitiémque, ac flumen iucundiſſimè patebat. Inter alia quæ de Latino déque Etruſco ſermone quærebantur,in hăc ipsă diſputationem ſenſim declinatum erat : cùm Cenamius , qui fuiſſe ſe non ſemel affirmabat in complurium cœtu , hoc de argumento diſſentientium apud VIRGINIVM VRSINVM litterarum ac litteratorum , quantùm vnquam hominum noſtra vidit ætas, amiciſſimum Principem : conuerſus ad me , quem credo deprehenderat ſententiæ ſuæ propiorem aduersùs Tuccium:Quid tu, inquit,Famiane,floſculos iſtos,venuſtatéſque, ac lumina ſententiarum laudanda in oratione putas? Quidni,inquam, cùm plerumque ſint ingenij argumentum?At multi non putant ; interceſſit extemplo Tuccius : quin potiùs negant in Oratore huiuſmodi igniculos ingeniorum, & canoras demum nugas aliquid eſſe ducendas,cùm pleraque aut licĕter atq; poëticè,aut inaniter ac penè pueriliter dicantur.Tunc Cenamius.Parciùs iſta , inquit ? nam paulo profectò ſeueriùs pronunciant, qui in hunc modum cęteros inſectantur.An quia, vt ait Cicero,TANTVM quiſque laudat, quantùm ſe ſperat imitari poſſe ? quod ſi ita eſt , deſinant Eloquentiam ſua ipſorum imbecillitate metiri, nec ab Oratore id quod ei ad animos auditorum ſuauiter impellendos gradum facit, obſtinatè remo

Virginius Vrſinus Alexandri Card. pater. Sermo cũ Cenamio & Tuccio.

In Orat.

moueant. At, inquit Tuccius, huiuſmodi ſententiolæ, nempe nouitium inuentum, leuius quiddam ſunt, quàm vt Oratoriam grauitatem deceant. Certè Marcus Tullius, lex ipſa dicendi, ac veteres cum eo fermè omnes, ita ab hiſce argutiis, quas hodie deperitis, abſtinuerunt, vt ne veſtigium quidem in ſuis voluminibus poſteritati reliquerint. Tunc ego ad Cenamium: En illa, quæ homines huic generi orationis infenſi paſſim obloquuntur, quæque mihi aliquando ſuggerebant aliqui, quò me ab hac ratione ſcribendi reuocarent: quos ego, vt tunc eram in contrariam ſententiam aliquanto propenſior, minùs audiebam. Et meritò, inquit Cenamius: cur enim hæc obſecro adeò leuia alienáque ab Oratore cenſeantur, cùm videamus huiuſmodi ſchemata plerumque grata eſſe multitudini, cuius ad voluptatem ſe Tullius ipſe, neglecta, vt idem fatetur, arte conformabat? Adde ad hæc, inquam, Cenami, quod neque magnopere mouere nos debet, quia nulla dicat Tuccius exempla huiuſce characteris ex omni antiquitate peti poſſe, cùm quæ ad nos è Tulliano ſeculo peruenêre orationes, ſcriptæ ſint ferè omnes in iis cauſarum generibus, in quibus huiuſmodi feſtiuitates multo rariùs vſurpantur, quàm in epidictico ſermone, qui vti ſeruit paulo liberaliùs voluptati, ita hæc dum oblectamenta conquirit, laude, nedum venia dignus eſt. Verùm vt hoc etiam telo Tuccium exarmemus: quid, ſi oſtendero neque ab ipſo Cicerone hæc fuiſſe prætetita? cuius ego locos collegi aliquando complures, ac poſſum ex iis in præſentia vno penè ſpiritu ſexcentos afferre in

An huiuſmodi ſententiarum acumina recens inuentum dicenda ſint.

Artis negligentia apud Tullium. In Orat.

Quàm multæ huius generis ſententiæ reperiantur apud Ciceronem.

medium. Sed, vt interim pauca de multis referam, quid illa ſunt, dum inducta perſona ſororis eius, quem defendebat, Fontei, Populum Romanum ſic alloquitur? *Tendit ad vos Virgo Veſtalis manus ſupplices eaſdem, quas pro vobis Diis immortalibus tendere conſueuit. Cauete, ne periculoſum ſuperbúmque ſit, eius vos obſecrationem repudiare, cuius preces ſi Dij aſpernarentur, hæc ſalua eſſe non poſſent. Proſpicite, Quirites, ne ignis ille æternus nocturnis Fonteiæ laboribus, vigilijsque ſeruatus, Sacerdotis Veſtæ lacrymis extinctus eſſe dicatur.* Aut illa in Gabinij petulantiam? *Cùm ipſe nudus in conuiuio ſaltaret, in quo ne tum quidem cùm illum ſaltatorium verſaret orbem, fortunæ rotam pertimeſcebat.* Aut illa aduersùs Piſonem? *Tanta erat grauitas in oculo, tanta frontis contractio, vt illo ſupercilio Reſp. tanquam Athlante cælum niti videretur.* Illa vero quò ſpectant? *Cæſaris ego imperio non Alpium vallum contra aſcenſum tranſgreſſionémque Gallorum, non Rheni foſſam gurgitibus illis redundantem Germanorum immaniſſimis gentibus obiicio & oppono. perfecit ille, vt ſi montes reſediſſent, amnes exaruiſſent, non naturæ præſidio, ſed victoria ſua, rebúſque geſtis Italiam munitam haberemus.* Aut illa de ſupplicio parricidarum? *Quid tam commune, quàm ſpiritus viuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis? ita viuunt dum poſſunt, vt ducere animam de cœlo non queant: ita moriuntur, vt eorum oſſa terram non tangant: ita iactantur fluctibus, vt nunquam alluantur: ita poſtremò eiiciuntur, vt ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant.* Aut illa? *Vna in hac re ſeruitutis oblita ciuitas ingemuit, ſeruientibúſque animis gemitus Populi*

[Margin notes: Pro Font. — In Piſon. — Pro P. Seſt. — In Piſon. — Pro Roſc. Am.]

puli Romani liber fuit. Aut etiam illa de iis, qui Cæſarem interfecerunt? *Si inter illos fuiſſem non ſolùm Regem, ſed Regnum etiam de Republica ſuſtuliſſem, & ſi meus ſtylus ille fuiſſet, vt dicitur, mihi crede, non ſolùm vnum actum, ſed totam fabulam confeciſſem.* Illa cuiuſmodi ſunt? *Corporibus ciuium trucidatis, flumine ſanguinis reditum meum intercludendum putauerunt: nec dubitabam, quin is me confectum Conſularibus vulneribus, Conſulari medicina ad ſalutem reduceret.* Aut illa? *Te obteſtor, Veſta mater, cuius ignem illum ſempiternum non ſum paſſus aut ſanguine ciuium reſtingui, aut cum totius vrbis incendio commiſceri.* Aut illa? *Cuius lingua quaſi flabello ſeditionis, illa tum eſt gentium concio ventilata.* Aut illa? *In officio perſoluendo diſſimilis eſt ratio, & pecunia debita, quòd pecuniam qui retinet, non diſſoluit, qui reddidit, non habet: gratiam & qui reddit, habet, & qui habet, diſſoluit.* Nec illa aliò tendunt, quæ dicuntur contra eundem, quem ſuprà laudauerat, Cæſarem: *Cum ſerperet in Vrbe infinitum malum, iidémque buſtum in foro facerent, qui illam inſepultam ſepulturam effecerant.* Quo loco veniunt in mentem ij, qui huiuſmodi iocos in nominum vel ſimilitudine, vel interpretatione, vel ambiguitate cùm audiunt, nempe nugas appellant, & crepundia puerorum, & tamen quid illa ſunt eiuſdem Oratoris ludentis in ambiguo Guttæ & Bulbi? *Atque etiam ipſe conditor totius negotij Guttam aſpergit huic Bulbo. Itaque minimè amarus is viſus eſt, qui aliquid ex eius ſermone ſpeculæ deguſtaſſet.* Aut illa in Vatinium cognomento Strumam? *Hi medentur Reip. qui exſecant peſtem aliquam tanquam Strumam ciuitatis.*

Philip. 2.

Poſt reditum ad Quirit.

Pro domo ſua.

Pro Flac.

Philip. 1.

Pro Cluent.

Pro P. Seſt.

In Vatin. Aut illa in eundem? *Omnia ea me pudenter viuendo conſecutum eſſe, quæ tu impudenter vaticinando* (ad Vatinij nomen alluditur) *ſperare te ſæpe dixiſti.* Aut illa in Antonij præceptorem agris mercedis loco donatum? *En, cur magiſter eius ex* Philip. 3. *Oratore arator factus ſit.* Aut illa? *Efficis vt cùm* ProSex.R. *gratiæ cauſa nihil facias, omnia tamen ſint grata, quæ* Pro Cecin. *facis.* Omitto illa in nomen Chryſogoni, Phor-Pro Cluē. mionis, Liguris, Cimbri, & aliorum, quæ occur-Philip. 2. runt in hanc ſententiam ſanè quàm ſæpiſſimè. Quid ergo? hæc aliáque confidentérne ac Poëtarum, aut etiam ineptè, ac puerorum more dicta ſunt? Et tamen paſſim apud M. Tullium leguntur horum ſimilia, plenæque ſunt actiones in Verrem (nec inde tamen quidpiam attigi) peracutis hiſce pugiunculis, quibus Orator aprum illum Erymanthium facetè ſtimulat ac ferit, lectoréſque ea inſectatione ingenioſiſſimè delectat. Hæſit ad hæc pauliſper Tuccius: mox; Etſi, inquit, diſſimulare non poſſum, quin hæc dum audirem, animũ mirificè paſcerent oblectaréntque; video tamen intereſſe aliquid inter iſta Tulliana, & ea quæ vſurpantur hac tempeſtate: in illis eſt aliquid ſolidi ſplendidíque, quod tutò laudes, in his verò vana fucatáque omnia, & quæ tantùm ſuſpicionem alicuius boni faciunt. Atque vt icunculæ nonnullis Belgarum typis excuſæ, quia minutis, oculóſque fallentibus inciſæ ſunt ductibus linearum, intuentem primo aſpectu magnopere capiũt, atque indiſcreta operis ſubtilitate ſuſpenſum tenent; curioſiùs verò & eruditiùs contemplanti ſtatim membrorum commẽſu ac partium metro (in quo laus eſt artis) peccare liquidò de

Inter icũculas Belgicas & ſententiarum acuminaſimilitudo.

deprehenduntur: ita iſtæc argumenta tenuiſſimis elaborata ſenſiculis, neſcio quam ſpeciem ſui magnificè obtendunt, quorũ tamen vitia facilè cognoſcas, ſi reſpicias. Cui Cenamius. Sint hæc, vt dicis, Tucci, non adeò ſolida ac vera, modò non omninò vana, atque inania: certè tantùm lucis habeant, quæ oculos vel in tranſitu feriat; nónne hoc ipſum permagni eſt, primo aſpectu animos occupaſſe, etiamſi diligens contemplatio inuentura ſit aliquid poſtea, quod non probet? momento enim hæc rapiunt auditoris aſſenſum, quem alia multa longè interdum meliora paulatim ac tardè promerentur. Atqui ſi Senecam interrogemus (hominem, credo, non paulo ſapientiorem iis, qui ſecus ſentiunt) affirmare non dubitet, maiorem ſibi videri eum, qui iudicium auditoris abſtulit, quàm qui meruit: hic enim licèt tutiùs incedat, ſi tamen inter dicendum minùs proficit, laudémque illicò non conſequitur, fruſtra ſibi, ac temerè de futuro pollicetur. Hic ego: Non, inquam, ipſe vſque adeò tecum, Cenami, prouehor in hoc ſtudio, nec tantùm tribuo hiſce omnibus deliciis, & caſuris ſi leuiter concutiantur floſculis, vt ea quoque probem, quæ NON tam vitio carent, quàm vitium occultant. Quid enim, ſi inter dicendum eruditus oculus deprehendat vitioſa? Sed eſto, lateat tutò culpa tantiſper, nec facilè agnoſcatur in eo calore orationis & curſu; nónne ſatis eſt, ſi paulo pòſt ab auditore aut rem memoria repetente, aut reſumente in manus, ac per otium contemplante deprehendi queat? Atque hinc eſt, quòd multorum lucubrationes non adeò

Occupare animos quanti ſit.

Non probanda, quæ non niſi curſim placent.

Cur aliquorum lucubrationes diu non perdurant.

adeò vitales ſunt, ſed æui perſanè breuis, ac ſuis plerunque parentibus non ſuperſunt. Nimirùm quod de aliquibus Belgarum typis pulchrè dicebatur, hîc quoque graphicè locum habet: vt enim ſubtiliter inciſæ ac minùs altè, ſed tenui ſuſpenſáque manu, ac ſummo ære lineatæ formæ, vbi aliquoties impreſſæ fuerint, atque in ſubiectam papyrum ſæpe transfuſæ, facillimè conſumptis exæquatíſque linearum ductibus effugiūt ex ære, ac penitus obliterantur; ſic iſtæ tenuiter, ac minutim, nec ad temporis diuturnitatem exaratæ ſententiæ, vix ſemel biſve prodeunt in lucem, cùm inter legentium manus, nimia illa ſubtilitate aciéque obtuſa, diſpereunt. Quamobrem, vt vtrique veſtrûm tandem exponam ſententiam hac de re meam, quam varius, & vtroque trahens diſtuli de induſtria; fauebam ego quidem iis aliquando, qui hæc ornamenta ſententiarum, vocúmque venuſtates, & χήμαʹα frequentarent; ingenioſos enim ac peracutos, vti re vera ſunt, exiſtimabam: ingenium autem cùm exſtat in alicuius elocutione, mirificè trahit ad ſui contemplationem amorémque legentium animos: nunc autem ſiue ætate accedente, quæ ſicuti morum, ita & orationis ſtylum vertit; ſiue vſu & experientia multa in dies limante (id quod Seneca prædixit adoleſcentibus nonnullis, quos ea, quæ aliquando offenſura erant, orationis vitia delectabant) non hæc quidem abiicienda cuiquam mortalium putaui, quæ de me certè numquam merita ſenſi malè; ſed vt non ſine hac gemina cautione adhibeantur, ſuaſor atque authot accedo. Altera, vt in hiſce argutiis certi aliquid

Cum Belgarū icūculis alia comparatio.

Iudicium de hiſce ſententiarum ornamentis.

Ingenij argumentum.

Suaſoria 2.

ac ſolidi quæratur, nec ſubita quædam lux placeat inſtar fulgetri, cuius proprium eſt extingui cùm micat. ODI ego ſententias iſtas temporarias, ac ſoſtitiales herbulas, quæ quo die naſcuntur, occidunt. Scio hæc placere nonnullis, atque idcirco vſurpari, quòd excitatis erectíſque, vt aiunt, eo fulgore atque ictu animis auditorum, per huiuſmodi ſpeciem, gradum ſibi faciant ad reliquam orationem. Nimirùm ſubit hîc animum recordatio Circulatoris Agonalis non illepidi, cuius calliditas (quam Romæ quotquot interfuêre, non ſine riſu demirati ſunt) noſtræ huic diſputationi commodùm venit. Aſcenderat hic cum ſocio fortuitum pegma, expoſitíſque de more mercimoniis, prætereuntes hiſtrionali artificio aduocare conabatur: cùm cœtus non fieret, illi pretioſa quæque promere; noua & exoticæ conditionis vnguenta manibus abluendis odorandíſque prædicare; extollere in cœlum laudibus dentium munditias,

Duplex in eorum vſurpatione cautio. Solidi aliquid ſpectandum in iis cōponendis.

Circulator Agonalis.

Nitelas oris ex Arabicis frugibus,
Tenuem, candificum, nobilem puluiſculum,
Complatiatorem tumidæ gingiuulæ,
Conuerritorem pridianæ reliquiæ,
Ne qua viſatur tetra labes ſordium,
Reſtrictis forte ſi labellis riſeris.

Apul. Apolog. 1.

præterea oſcilla inſertis clàm digitis mobilia in pugnam committere; pelues ſublimes iacere; ſerpentes innocenter admouere pectori; cultros infeſto mucrone deuorare; aliáque præſtigiarum plena in vulgus edere. Sed neſcio quo eorum fato rarus omninò ſpectator illo aucupio tenebatur. Enimuerò vbi tam infrequentem coronam

Gallidæ cogendæ concionis inuentio.

vident, indignari deſiſtunt, ſarcinulas colligunt, abeunt. Inter eundum quaſi alter alterum ob rem malè geſtam obiurgaret increparétque, rixa committitur in iurgio. prompto hic pugione ſocium aggreditur: ille tueri ſeſe, vociferari, viciniam clamoribus excire. accurritur illicò è toto foro partim dirimendi, partim etiam ſpectandi certaminis causâ: tunc eorum alter vbi denſatam vndique turbam, ſtipatóſque iam ſe ingenti populo circumſpicit, complexus ſocium, atque ad circumfuſam multitudinem feſtiuè conuerſus. Hui quàm multi circum nos eſtis, inquit, qui modò nos fugiebatis velut afflatos peſtilentia! bene habet, Quirites, coëgimus, quod erat in votis, tandem aliquando cœtum: hoc enim pugnæ ſimulachrum, ſi neſcitis, in hanc ſpeciem commiſſum eſt, vt aliquam demum nobis audientiam vel digladiando faceremus. Iam quando frequentes adeſtis, quæ res bene vertat, accipite quod paulo antè extrudere non potuimus. atque in hũc modum apud multitudinẽ ea impoſtura captam, ac riſu exhilaratã, veniale negotium tranſegerunt. Simile videlicet ac circulatorũ artificiũ eorũ eſt, veteratoréſque citiùs quàm Oratores dicendi ſunt ij, qui cùm non aliunde conciliare ſibi queant auditores, ad inania hæc figmẽta confugiunt, & ſententiarũ, vt ipſi loquũtur, tumores neſcio quos excitãt, qui ſi minùs probentur, certè excitatis quæ iacuiſſent auribus exaudiantur, cùm tamen nihil infelicius ſit, quàm niſi reprehendaris, cõſpici non poſſe. Addo huic alteram cautionẽ: vt hæc quamuis culpæ obnoxia nõ ſint; ſunt enim multa plena dignitatis, in loco tamen,

Oratores aliqui circulatorũ ſimiles.

Opportunè atque perparcè vtendum hiſce argutiis.

men,ac perparcè fundantur. Etenim intemperátiæ genus eſt,affatim iſtæc ſi congeras,eadémque vbique operosè cõſecteris,perinde ac ſi in illa nõ incidiſſe, ſed ſtudiosè venatus eſſe videaris. Sint iſta,vt voles, ornaméta & lumina orationis, ſint gémæ ac ſydera,quibus ſeſe irradiet Eloquẽtia.at non vbiq; ſyderibus cœlum cõſtat:& annulis gémiſq; onerare digitos articulóſq; omnes, plebeis mos eſt. Videas interdũ aliquos(quos tamẽ infęlix ſollicitudo macerat,& coquit ęgrè iſta parturientes)qui ſi orationis prima,ſumma,media hiſce cõdimentis expleuerint, tunc enimuerò veniſſe ſe in aliquem numerum eloquentium ſibi perſuadent, cùm tamen nullum ſit certius venenũ Eloquentiæ, quàm iſtæ in orbem anxiè circumductæ ſententiolæ, totúmque iſtud interciſum fractúmque minutis crebrò ſenſiculis dictionis genus. Non vult in huiuſmodi anguſtias detrudi Eloquentia,nec frenos diu patitur illa,quæ libera ſolutáque per campos excurrere, atque animos in omnem partem ducere ac reducere facunda fuſáque oratione gloriatur. Imò congeſta hæc intemperantiùs, aliáque ſubinde ex aliis enaſcentia dum auditorem penè obruunt, atque interſpirare non ſinunt,adeò illum ea,cuius cauſâ adhibentur, nouitate non oblectant, vt frequentata ſimilitudine ſui potiùs ſatietate fatigẽt. Nimirùm non in oratione ſolùm, QVÆ maximè delectant, ab his celerrimè faſtidio quodam animus abalienatur: ſed in cæteris quoque rebus, MAGNIS voluptatibus ſatietas plerunque finitima eſt. Sic ego apud Tuccium, Cenamiúmque in meam ſententiam pro ſua humanitate con

Satietas ex nimio harum ſententiarum vſu.

concedentes olim diſſerebam. Et verò non eos perperā aſſenſos fuiſſe mihi, Tullij & Quintiliani teſtimonia appoſitè (niſi me mea fallū) apertéq; demonſtrant: hic enim poſterior, quo nemo poſt Ciceronem meliùs artem, quam tenuit, explanauit hac ipſa de re diſputans inter cætera: *Hoc,* inquit, *quod vulgò ſententias vocamus (veteribus, præcipuéque Græcis in vſu non fuit: apud Ciceronem inuenio) dum rem contineant, & copia non redundent, & ad victoriam ſpectent, quis vtile neget? feriunt animum, & vno ictu frequenter impellunt, & ipſa breuitate magis hærent, & dictione perſuadent.* Ex quo ſcriptoris iudicio, quo quid eſſe poteſt in hac cauſa luculentius, aut grauius? intelligitis, Auditores, hæc ornamenta & Oratori cum laude admittenda Ciceronis exemplo, & ita eidem adamanda, vt temperare ſibi atque aliis ſciat, ne dum ingenio nimiùm velificatur ſuo, iudicij, quod pluris eſt, feciſſe iacturam videatur. Etenim M. Tullius (vt eius, quem modò cum Quintiliano nominaui, teſtimonium hîc reddam, & cum eo rem poſtremò concludam) cùm loci illius, quem ſuprà recenſui, de ſupplicio parricidarum meminiſſet, dixiſséque, auditam totam eam ſententiam in Romano foro ſummis omnium clamoribus; addit, cœpiſſe ſe pòſt aliquantò ſentire, hæc ipſa quæ dixerat adoleſcens, nequaquam ſatis defe[illegible]buiſſe? commendari tamen poſſe, vt in adoleſcente non tam re & maturitate, quàm ſpe & expectatione laudato. Nimirum *fructum ſtudiorum viridem & adhuc dulcem promi decet,* vt loquitur alibi de hac cauſa Quintilianus, *dum & venia, & ſpes eſt, & paratus*

Lib. 12. c. 10.

Quintiliani iudiciū ſuper hiſce ſentētiis.

Ciceronis teſtimonium de iiſdem.

In Orat.

tus fauor, & audere non dedecet, & ſi quid deſit operi, ſupplet ætas, & ſi qua dicta ſunt iuueniliter, pro indole accipiuntur. Vnum tamen cauendum, ne hæc in adoleſcente audendi facilitas vſque ad contemptum operis adducatur, & iam tum in ea ætate fundamenta iaciantur impudentiæ,&(quod eſt vbique noxium) ne vires præueniat confidentia. Lib.12.c.6

Quare vt ad extremum, quid Oratoriæ potiſſimùm dictioni laudi tribuam, paucis abſoluam. Erit ille quidem probabilis Orator, qui incorruptè dicat & accuratè: ſed curam tamen diſſimulet, ídque veluti non agens agat, atque intelligat, eam Latini caſtíque ſermonis virtutem non tam adeſſe cum laude, quàm deeſſe cum dedecore. qui non tenui venula per calculos fluat ariditudini obnoxius in æſtu dicendi, ſed ingenti latè copia redundet vbique tutus à metu ſiccitatis: modò torrentem ripis coërceat ſuis, & quod præcipitur à dicendi magiſtris,vbertatis luxuriem ſtylo depaſcat. qui ſuaui & conſperſa quaſi verborum ſententiarúmque floribus oratione ita delectetur, vt ſuauitatem amet etiam auſteram & ſolidam,non æquabiliter vbique dulcem atque decoctam. qui etſi numeroſè volubilitérque exprompta memoria deuoluat orationem, non ita tamen ſeſe fugiat, quin vbi libeat ſecurus ac potens ſui reſpiret. qui cuncta rationum momentis firmet, partémque nullam ſinat otioſam eſſe: non tamen ſeueritate rerum quaſi compreſſis digitis, pugnúmque facientibus philoſophetur, qui peracutis conceptíſque ingenioſè ſententiis auditorem excitet: dummodò illæ at- Oratoris dictio quomodo eſſe debeat. Latina. Copioſa. Suauis. Numeroſa. Conficiẽs Sententioſa.

Digitized by Google

temperatè ac ſolidè cadant, nec tanquam internitentes noctu per arua cicindelæ ad exortum ac lucem Solis euaneſcant. qui nouo illuſtrique & admirabili genere dicendi laudem mereatur: habeat illa lux tamen & admiratio vmbram aliquam & receſſum, quò gratius extare atque eminere poſſit id, quod erit illuminatum. Sed is inter omnes facilè primas feret, cuius oratio non cæteris quidem ornamentis deſtituatur, hoc tamen in primis agat, vt animorum concitationi par, nihil iacens ac languidum habeat, ſed vehemens atque eodem ſæpe reciproca feratur: quæ ſaxa, vt ait ille, deuoluat, auditorémque vel obfirmato ſaxeóque nitentem animo agat vltrà, cogátque ire, quò rapiat: quæ compoſita veluti facie ad ingenium auditorum, inſinuet ſeſe penitus in illorum mentes, atque eas pugnaci inſtantíque genere dicendi, modò ad iracundiam indignationémque ſuccendat, modò lenitate ac manſuetudine mitiget, amore rapiat, odio inflammet confidentia trahat, timore retrahat, pudore ſuffundat, miſericordia flectat, æmulatione ſtimulet, deſpicientia retardet, in omnem denique partem moderatus orationi, tanquam laxatis retractíſve habenis, impellat inertes ac deſides, ſimul etiam præferuidos confidentéſque pro arbitratu coërceat. Et verò cùm ad vnius vocem aſpicio multitudinem ſuſpenſam primò teneri, nec eodem dein vultu ad gemitus paulatim dolorémque deflecti, poſtremò indices animorum lacrymas effundi; profectò intelligo placere Oratorem, & in ſcena, quod aiunt, Roſcium eſſe. intelligo, vt ex neruorum ſono in fidibus homines

Admiranda.

Quæ oratio omnium optima.

Concitatrix animorum.

Indicium perfecti Oratoris.

mines deprehendunt ſcientiam fidicinis impellentis, ita ex auditorum motu laudari peritiam Oratoris animos pertractantis. intelligo ad extremum hoc genus dictionis, quo hominum reguntur arbitria, cum perſuaſioni accomodatiſſimum ſit ex omnibus, eſſe quoque quod initio quærebamus, ad ſimilitudinem Homerici Vlyſſis omnibus præferendum.

PROLVSIO SECVNDA.

MVRETVS.

SIVE
De ratione ſcribendæ Hiſtoriæ Dialogi pars prior, quæ ad res pertinet.

An omnia dicere debeat, aliqua omittere poſſit Hiſtoricus: & an iudicia & coniecturæ aliena ſint ab eo: quæ gemino exemplo ad Liuianam Cornelianámque ſcribendi rationem conformato illuſtrantur.

INTERLOCVTORES

M. Ant. Muretus, Syluius Antonianus, & Franciſcus Bencius.

NOVA hæc loci ſpecies atque amplitudo, in quam proximo anno è palæſtra me mea abundanti præter morem multitudini anguſta, raptis inde ſubſelliis, nouo genere tumultus exactum vide-

 tis

Digitized by Google

tis (Cardinalis Ampliſſime, lectiſſimíque nobilitatis ac ſapientiæ Proceres) atque hodierna hæc auditorum frequentia, cui hanc ipſam explicati amplè Gymnaſij laxitatem imparem laborantémque conſpicio: quoniam inuſitati de me, beneuolentiſſimíque iudicij argumenta ſunt, collectúmque vnà nobilitatis, ac doctrinæ florem, vulgari atque vſitata, quæ mea eſt, oratione ſuſcipiam: ſed inductis majorum gentium perſonis, litteraturæque magnæ viris, quantùm poſſim, abſtraham vos à memoria mei, atque efficiam, vt eorum ſpecie quos audire vobis videamini, meam interea tenuitatem quàm minimùm ſentiatis. Et verò pollicitus anno ſuperiore de Hiſtorica dictione diſceptaturum me poſt Oratoriam abſolutam; non poteram accommodatiùs, quàm vt agere conſilium eſt in præſentia, liberare obligatam ſponſione fidem. Magnum enim opus meditor, qui rerum ſcriptoribus ſtatuo certos fines, intra quos ipſi ſeſe coërceant: nec inde, quanta eos cumque cupido inceſſat, pedem efferant. Vt ſanè ſæpenumero difficilius non ſit, de agrorum vicinitate atque confinio altercãtibus ponere limites, quàm in hac ampla ſtyli poſſeſſione modum legémque definire. Quòd ſi in omni ſcriptionis genere difficile id eſt, multo verò difficillimum arbitror in Hiſtoria: à qua cùm gradus ſit proximus ad Poëſim, ſiue quadam affinitate materiæ ac ſimilitudine ſcriptionis, ſiue iudicio, aut etiam interdum vitio ſcriptoris; tardum eſt lineam quaſi manu deducere, eáque hiſtoricum circumſcribere. Sunt enim, qui cùm Hiſtoriam, ſolutam Poëſim

Styli modum hiſtoricis præſcribere cur difficile.

Poëſim palàm nominent, liberè in hanc ex illa tranſiliunt, ídque ad operis etiam varietatem, commendationémque ſcriptoris facere, nonnihil putant; cùm tamen ſua hîc quoque extrema ſint, atque confinia, quibus Hiſtorici iuxtà ac Poëtæ terminandi ſunt; parúmque eſt in medio relinquendum vtriſque commune. Et licet M. Antonius apud Tullium neget, Hiſtoriam ſeparatim inſtructam vnquam fuiſſe Rhetorum præceptis: dum tamen eam ſubdit illicò veluti primam illius legem, NE QVID falſi dicere audeat, NE QVID veri non audeat; quis non videt, Hiſtoriam abire longè diuerſam à Poëſi, quæ ab omni planè veri dicendi ſoluta eſt lege; Sed ego quid vniuerſa de re ſentiam, bonum factum exiſtimo, ſi eorum authoritate decernam, in quorum oratione dignitas maior inſit, & fides. Hæret enim memoriæ diſputatio, quam mihi peradoleſcenti referebat magiſter olim meus, homo omnium litterarum Franciſcus Bencius: quam ille diſputationem habuerat pridem cum M. Ant. Mureto, ac Syluio Antoniano, excellentibus ingenio, atque authoritate viris. Nam cùm apud Hippolytum Card. Eſtenſem Tiburi Muretus ageret perfunctus à perleui febricula, qua Auguſto penè toto, ſed intermittente morbo, laborauerat; Bencius è Tuſculano illuc perrexit viſendi causâ præceptoris ſui: quem confirmata valetudine reperit, ſubſtitítque complures dies apud virum, quem (vt aiebat) numquam adiret, quin abiret ab eo ſapientior. Fortè per eos dies Muretus diſſeruerat de vtilitate Hiſtoriæ cum Hippolyto.

Libertas aliquorũ in Hiſtoriæ ſtylo.

lib. 2. de Orat.

Poëſis ab Hiſtoria quàm diuerſa.

Dialogi perſonæ de Hiſtoria diſſerturæ.

Occaſio dialogi.

polyto ſuper menſam: eáque, vt erat incredibili memoria, feliciter omnia comprehenderat Antonianus; ac priuatim multa eo de argumento quotidie ſciſcitabatur. Sed cùm alia, vti fit, ex aliis naſcerentur capita quæſtionum, nec expleretur vnquam percontando cupiditatis ſitis; enixè petierat à Mureto, vt quoniam neque occupata opera, neque impedito animo erat, rem totam ab ſtirpe repetens, Hiſtoriæ præcepta ſemel omnia complecteretur. Quod ille polliceri primùm viſus, mox rei difficultatem cauſatus, differenti ſpecie negabat. Verùm vbi in tempore Bencius interuenit, re cum illo communicata, deprecatorem loco adhibet: valuítque apud Muretum authoritas hoſpitis, ac diſcipuli. Et quamquam immenſi operis affirmaret eſſe de Hiſtoria enucleatè dicere, ſperarétque ſe, cùm in hanc ſententiam pluſcula collegiſſet, abundè aliquando facturum; tamen non producturum ſe diutiùs eorum vota: & quando ipſi mallent ea, quæ in præſentia tumultuaria ac prompta oratione, quàm quæ poſt aliquot menſes meditatè electéque allaturus eſſet; damnata tam ſera ſpe, in diem ſequentem (intendebant enim ſe primæ tum tenebræ) diſputationem de Hiſtoria pollicetur. Ergo poſtero die redit Bencius ad Muretum, reperítque Antonianum, qui iam anteuerterat, ſumpta lyra neſcio quid tacitè meditantem. Solebat enim ille ex temporalitate carminum identidem Muretum oblectare, huiuſmodi ſubitariæ muſices auidiſſimum. Vt verò Bencium Muretus aſpexit, Antoniano ſignificauit, vt hoſpitis honori aliquod de dictis melioribus depromeret.

Princeps dialogi perſona.

Antoniani extemporale carmen.

meteret. Subſtitit ille pauliſper, quaſi fides exploraret, mox canere eſt aggreſſus in hunc modum.

Bencij laudes.

BENCI, ſeu libeat pugnacis fulmina linguæ
Vibrare in ſontes, tonitrúque arcere nocentes:
Seu liquido curſu, puróque ſimillimus amni
Verba per vmbroſas malis deuoluere ripas,
Et victura ſuis inſcribere nomina plantis:
Seu iuuat argutas in nodum cogere voces,
Et totum Aonio carmen deducere cliuo;
Nil æquale tibi eſt. Romæ ſtupet inſcia pubes
Dum belli cadit in numeros, librat áque raſis
Ludit in antithetis æquo ſententia gyro,
Et noua ſuſpendit dubias facundia mentes:
Iuratúrque palàm; non olim digniùs vnquam
Romana Proceres cum maieſtate locutos.
Ah tamen hæc nimiùm ne te leuet aura, quid vltrà
Tendis agens? oblite tui, atque oblite tuorum
Ante diem properas, & viuax infodis æuum?
Durus es, emerito qui fraudas lumina ſomno
Perdius & pernox: nempe vt limatiùs vna
Exeat, excuſóque cadat ſententia torno.
HÆC eadem quæ lima ſtylum terit, atterit annos. Laboris, & quietis vices.
Aſpice, non ſemper bellantem claſſica terrent,
Ductáque Gnoſiaco tenduntur cornua neruo,
Sed quandoque iuuant redituras otia vires.
Ipſa, viden' Natura vices commutat, & annum
Partitur variè; nec ſemper ſydera nimbis
Vexat, inæquali nec ſuſcitat æquora fluctu,
Aut querceta premit repetitis vſque pruinis:
Sed ſcenam terris aliam diducit, idémque
Mortales docet. At ſemper tu fixus in vno es:
Nec tibi, ſeu ſurgat, ſeu cedat veſper Olympo,
Excidit ex animo ſemel intercepta cupido.

Quòd niſi te Natura ſatis docet, aſpice ſaltem
Muretum, Pylij Muretum ſecula dignum
Viuere, quem ſimilis feruor penè abſtulit orbi.
Idem amor exitium ne ſit natóque patríque,
Ah ſi qua veſtri tangit vos cura, cauete.

Finierat Antonianus: cùm Bencius admiratione pariter, ac rubore ſuffuſus, quamuis affirmaret inter eas ſiue laudes, ſiue adhortationes nihil ſui ſe agnoſcere præter nomen; negauit tamen in eo genere præſentis natiuæque Poëſeos ſe quidquam in vita mirabilius audiuiſſe. Sed officioſis vltrò citróque verbis, cùm paulatim eximeretur dicendo dies, veritus Antonianus ne ſibi eriperetur occaſio de Hiſtoria diſſerendi, iniici pontem iubet è conclaui, indéque concedunt in proximos hortos, vbi in xyſto ad arcendos Solis calores opportunè conueſtito flexo iam ac frangente ſe die, conſidentes, oculos in Muretum, animóſque conuertunt. Tunc ille:

Locus dialogi ac tempus.

Etſi non inficior, inquit, à me potiſſimùm hodiernæ diſputationis ſummam perſolui oportere; tamen non ita, credo, conueniſtis hodie, quaſi in concionem. comitium eſt hoc noſtrum, in quo prærogatiua quidem penès me, quando ita vultis, ius autem ſuffragij apud omnes eſto. Agite igitur, & quoniam Hiſtoriæ exædificatio, vt Cicero loquitur, poſita eſt in rebus, ac verbis; in vtroque videamus quatenus ſcriptor Hiſtoriæ abſtinendus ſit ab Oratoris ac Poëtæ commercio; ad hoc enim diſcrimen inueſtigandum præcipuè referri ſermonem exoptatis. Sed neutrum cognoſci commodè poteſt, niſi principio ſtatuatur Hiſtoriæ finis. hunc autem nihil ambigo eſſe

lib. 1. de Orat. Partitio dialogi.

De fine Hiſtoriæ diſputatio.

perpe

perpetuitatem immortalitatémque rerum geſtarum, quarum tranſmiſſione ad poſteros, faciliùs homines ad honeſta ac ſalutaria concitentur, à turpibus verò noxiisque terreantur: atque in vniuerſum diſcant, ex præteritis conſilia capere in poſterum, rémque ſuam cùm priuatam, tum publicam regere maiorum exemplis. Hic Antonianus. Quando, inquit, per te licet, interrogo num tu alium præter vtilitatem præſcribas Hiſtoriæ finem? Nam Lucianus in libello de hac re, vnum ait eſſe opus Hiſtoriæ, vnúmque finem, vtilitatem: iucundum verò ſi & ipſum ſequatur, melius hoc eſſe: perinde atque in athleta vires requiruntur, forma ac venuſtas laudantur. Non me, inquit Muretus, fugiebat Luciani locus: imò idem ſentire Halicarnaſſeum, idem Plutarchum non ignoro. Sed ego fines Hiſtoriæ attribui omnino duos: principem alterum propriúmque, alterum nexum cum eo & ſequentem: illum dixi tranſmiſſionem rerum geſtarum ad poſteros, earúmque perpetuitatem: hunc poſteritatis fructum in maiorum factis cognoſcendis. Nam quicumque animum ad ſcribendam appellit rerum ſiue ſuarum, ſiue aliorum Hiſtoriam, eo primùm conſilio facit, vt illa factorum memoria facilè interitura, litterarum beneficio longè latéque pertineat, ac permaneat ad poſteros. Atque ego admirari olim ſolebam M. Tullium, quòd alicubi definiret Hiſtoriam, *Rem geſtam à noſtræ ætatis memoria remotam.* Quid enim? vt omittam Thucydidem, Salluſtium, alióſque ætatis ſuæ facta recenſentes, nónne Lucæium ſcriptorem ea tempeſtate nobilem Tullius ipſe

Luciani ſententia de hoc fine.

Duplex Hiſtoriæ finis.

Prior finis, tranſmiſſio rerum ad poſteros.

lib. 1. de Inuent. lib. 1. ad Heren.

Hiſtoriæ definitio Tulliana ad finem hunc explicandũ allata.

M 5 infimis

infimis vrget precibus, vt Hiſtoriam rerum ab ſe geſtarum moliatur? cur ergo res dudum præteritas, longéque poſitas addixit Hiſtoriæ? Sed non eſt, quòd hallucinatum putemus in re tam perſpicua virum ſanè accuratum ac nauum. Verùm, niſi vos aliter ſentitis, id, quod dicimus, indicauit Tullius. cùm enim exploratum haberet, Historiam non tàm præſentibus, quàm poſteris ſcribi (quam vocē in laudato à te loco ſæpe vſurpat Lucianus) idcirco metiendam ſibi Hiſtoriam putauit non præſentium viuentiúmque bono, qui certiores fieri aliunde queunt, quàm à narratione ſcriptoris; ſed reſpexit ad conſcientiam poſterorum, quorum potiſſimùm memoriæ ſicut conſultum cupit Hiſtoria; ita eorum habita ratione, ſcitè à Tullio, *Res geſta remota à præſentium recordatione*, definiri potuit. Eſt ergo finis Hiſtoriæ traductio rerum geſtarũ ad conſequentes ætates. Sed præterea ſi quis ab hiſtorico quęrat, cur hæc facta conetur apud poſteritatem litteris propagare; reſpondebit, opinor, ſi odium amorémque in operis ſui molitione procul habeat, id agere, vt aliena per exempla compendio doceat, ac futuris ſeculis proſit. Finis igitur hic alter eſt: nam deprehendendi finis hanc nobis viam monſtrauit author optimus Ariſtoteles. Quare videtis duo eſſe propoſita Hiſtoriam contexenti: ſed poſterioris finis meminit Lucianus, ego vtrumque complexus ſum: vter autem noſtrûm ſapientiùs? Qui neutrum omiſit, ſuſcepit Bencius: quemadmodum & Tullius vtrumque vidit in Hiſtoria, dum eam, vitæ memoriæ, ac magiſtram vitæ nominauit: quorum altero diuturnita

Poſterior finis vtilitas poſterorum ex maiorum exemplis.

li.2.Phyſ.

turnitatem rerum, altero vtilitatem hominum comprehendit. Quamquam me, ne Luciano aſſentiar, illud etiam mouet, quòd ſi ſola finis ſit vtilitas, atque id agat hiſtoricus, vt ea narret, quæ documento eſſe poſſint ac fructui; cur obſecro, non licet ei ſuopte ingenio complura ad ſimilitudinem veri conformare, illuſtriúmque exempla factorum comminiſci, Poëtarum more? exiſteret enim ex huiuſmodi figmentis etiam vtilitas, quam prouenire è Poëtarum carminibus videmus. Aut igitur poëticæ fabulæ interdicendæ non ſunt hiſtoricis, aut alius inueſtigandus eſt finis, cuius causâ interdicantur. Et verò ſi dicamus, Hiſtoriæ munus eſſe, rerum geſtarum famam poſteris tradere, è quarum cognitione quid agendum ſit, quid fugiendum ediſcatur; fingendi libertas adimitur, & quidquid geſtum non eſt, id alienum eſſe ab hiſtorica facultate conficitur.

Non ſola vtilitas finis Hiſtoriæ.

Cur hiſtoricis non licet fingere.

Bene habet, inquit Antonianus: aggredere iam, Murete, dicere de rebus, quibus inniti Hiſtoriæ molem priori loco ſignificaſti. Tunc ille; Expectatis, inquit, opinor, vt exordiar à VERITATE quam eſſe virtuté in Hiſtoria longè maximam conſenſêre omnes: certè Polybius cum regula ac norma comparauit Hiſtoriam. Vt enim regula ex auro argentóque fabrefacta, ſi recta non ſit, ſed enormis ac praua, res eſt vt voles precioſa; at regula nequaquam eſt. ita planè cùm idem ſit verum in Hiſtoria, quod rectum in regula; falſa narratio quamuis omnibus verborum ac ſententiarum luminibus illuſtrata, laudem fortaſſe merebitur nonnullam, ſed cum hac exceptione

Proprium huius proluſionis argumentum.

Veritas Hiſtoriæ virtus maxima.

lib. 12.

Comparatio Hiſtoriæ cum regula.

merebi

merebitur,vt nec eſſe,nec dici queat Hiſtoria.Sed hæc poſita ſunt in medio, notáque omnibus. In illa diligentiùs inquiramus, quæ tum citra, tum vltra modum admitti ſolent aduersùs Hiſtoriæ veritatem. Citra modum eſt is, definitúrque præceptis ſuis, qui inter enarrandum aliqua ſupprimit,ſiue ignoratione rerum, ſiue affectione animi. Atque, vt à Iureconſultis reticentiæ pœna conſtituta eſt iis, qui vitia, ſi quæ inſunt prædio, nominatim emptoribus non produnt; ſic peccat, ac violat narrationis fidem ille, cui lata lex eſt, non ſolùm,NE quid falſi dicere audeat, ſed etiam NE quid veri dicere non audeat. Quo ſanè vitio haud ſcio,an vterque Princeps Hiſtoriæ liber omnino fuerit. nam Thucydides vbi commemorat Antiphontem Rhetorem ſoluendæ Athenienſium Democratiæ authorem extitiſſe; ſilentio tranſmiſit vltrò, illum ſupplicio damnatum, proiectúmque feris laniandum. Sed hoc dederit Græcus ſuæ erga præceptorem pietati. aliquantò turpiùs noſter, qui coniurationem ita deſcripſit, vt actas publicè ab Senatu Ciceroni gratias, illum Patrem Patriæ ſingulari appellatione conſalutatum, illi ſtatuam inauratam Capuæ à Decurionibus ſtatutam, illi (quod antè in toga nemini) ſupplicationem decretam, dolo malo prætermiſerit. Reſiſte hîc tantiſper, inquit Antonianus: Omniáne cenſes hiſtorico narranda? Sanè omnia,reſpondit Muretus, ſiquidem ad opus ſuſceptum pertineant. Quid ſi illa ſint, Bencius addidit, auditu fœda? Narranda nihilominus, inquit Muretus. Hic commotus animo vultúque Bencius; Vide, inquit, Murete, quid ſtatuas: nam

Duplex aduersùs veritatem peccantiũ claſſis.

Qui omittendo peccant.

Thucydidis prætermiſſio. lib. 8. Pelopon.

Salluſtij in prætermittendo culpa grauior.

An omnia hiſtorico narranda. An etiam turpia.

ſi meritò nominauimus Hiſtoriam vitæ magiſtram, ac ſapienter ei finis loco præſcripſimus vtilitatem; qui, rogo, fructus erit in earum memoria rerum propaganda, quas multo ſatius foret obliuione deleri ſempiterna? Non ita tecum cenſuit Dionyſius Græcus Romanarum rerum ſcriptor, qui operis initio diſertè pronunciat, ELIGENDVM eſſe hiſtorico argumentum, quod eximiam aliquam vtilitatem, emolumentúmque lectori ferat: ne, ſi fortè de obſcuris agat malique exempli, & cognitu indignis; cum aliorum pernicie ipſe quoque ſimilis fuiſſe vitæ arguatur. Tu verò ſi ſecùs Murete ſentis, diſſentio ipſe à te palàm, mecúmque ea, quæ eſt præ manibus, Hiſtoriæ veritas diſſentit. Subriſit ad hæc Antonianus; viderat enim Bencium ferri paulo concitatiùs: mox ad Muretum; Et ego te, inquit, aggredior cum Bencio, ſed alia via: neque enim iſtam impunitatem hiſtorici de aliis fœdiſſima quæque narrantis ferre vnquam æquo animo potui. Quid enim? non licet mihi priuatis in ſermonibus in hominem vita iam functũ palàm obloqui, eiúſque occultius aliquantò flagitium euulgare: quia, vt diſputare Theologos audio, FAMÆ decus, ac nominis exiſtimatio etiam mortui hominis immortale bonum eſt: quod bonum ſi quis maledicendo imminutum, aut funditus perditum eat, magna ſe culpa adſtringere, nec antè laxari, quàm honoris iacturam, qua tandem poſſit ratione, compenſet. Ergo alienum ſcelus, quod mihi ſalua honeſtate non licet vel ſemel, atque in vnius aurem inſuſurrare, licebit hiſtorico non ad præſentes modò, aut abſentes, ad quos ea fama numquam

Quale ſeligendum hiſtorico argumentum.

An liceat hiſtorico euulgare aliorum flagitia occulta.

Famæ diminutio.

quam fortaſſe pertingeret, ſed ad conſequentes etiam ætates perpetua cum eius infamia nominis prolatare? Fateor, iſtam ego libertatem non paulo ſeueriore pœna, quàm quæ conſtituta eſt reticentibus aliquid in narratione, coërcendam ſeriò putarem: ſiquidem hi conſultò dum quidpiam tacent, haud ſanè multis nocent: illi dum impunè in hunc modum, atque impensè loquuntur, cæteris quidem non proſunt, quod pugnare cum Hiſtoria iuſtè confecit Bencius, & ſibi aliíſque obſunt quamplurimùm, quod humanis, diuiníſque rebus aduerſari ſatis ego, vt arbitror, perſuaſi. Surrexit hîc enimuerò Muretus (ſtare enim inter dicendum ſæpenumero conſueuerat) & vtrumque contuitus; Næ ego Religioſos hodie gladiatores nactus ſum, qui mihi vtrinque minitentur ictus vel è cælo. Sed, quod in arena fieri ſolet, diuidam & pugnabo: tecúmque priùs Benci. Turpia ſi quæ incidant, aio non omittenda; ſed vide, quid author ſum. Aut hæc flagitia ita coniuncta ſunt cum reliqua ſerie narrationis, vt taceri de illis abſque multarum rerum detrimento nequeat: aut vix aliquem nexum habent, minimúmque rerum trahunt. id ſi poſterius ſit, omittere illa ſcriptorem iubeo. quid enim poſterorum intereſt hæc ſcire, quæ ex vna parte priuatæ quædam, & contemptiſſimæ ſordes ſunt, ex altera ſpurcæ adeò ac fœdæ, vt earum commemoratione chartas, nedum ſcriptorem erubeſcere oportuerit; quod vnum tu, Benci, ac tecum Dionyſius perſuadetis. At ſi prius contingat; nolo illa, quamuis obſcœna, prætereat, ne quo ſcilicet hiatu Hiſtoriam diſtrahat, minúſque commodè

Muretus inter dicendum ſtare ſolitus.

Turpia quando omittẽda hiſtorico.

modè

modè,ac perſpicuè perſequatur ſeriem interciſæ, ac mutilatæ narrationis. Quamquam hîc modum quoque adhibendum puto: vt ſi quæ præter morem impia, impuráque hiſtorico afferenda neceſſariò ſunt, ſatis habeat rei genus aperire, & curſim inde tranſmittere; non autem cunctanter, ac putidè ſingula deſignare, quaſi velit nullam eius particulam impuritatis lectorem præterire. Erat Suetonio deſcribendus alicubi Tiberius nauiter impudicus: audio. erat tanquam turpitudinis illius inuentor ſeuerè notandus: non repugno. dicat ergo, Tiberium præter cætera luxuriæ nomina; noua quædam & ſanè portentoſæ libidinis genera excogitaſſe; ídque ſatis & modeſtiæ ſuæ, & narrationi alienæ rei factum putet. ille tamen facinus fœdum cogitatu, fœdúmque dictu, nudis ac prætextatis verbis ſub aſpectum dedit; an vt digito cõmonſtraret, ac lectores penè pelliceret? Sed venio iam ad te, Antoniane: nam cũ Bencio, vt puto, in gratiam redij. Scio obtrectationis genus eſſe, aliena dedecora in apertum proferre, palámque facere. Sed partitione hîc quoque vtẽdum eſt. Aut enim illa hiſtorico nota ſunt, præterea nemini, aut communicata cum pauciſſimis, aut demum in omnium oculis ac ſermone verſantur. Si poſtremũ dicas, perleuis ſanè, aut etiam nulla infamiæ fit illi acceſſio à narratione ſcriptoris. Si primum, tecũ ſentio libenter, Antoniane, hiſtorico nõ licere arcana aliorum flagitia rarò præſertim profutura diſtrahere, eiſq; inurere perpetuam apud omnes notam. Quamquam, ne hanc libertatem ſcribendi probem in hiſtorico, illud præter honeſtatis cauſam, me magnopere impellit: quòd

Quando nõ omittenda.

Quatenus narranda.

in vita.

Suetonij nota.

Flagitia quatenus cuu ganda.

Si nota ſint omnibus.

Si ſolùm hiſtorico nota.

Curioſitas aliquorum damnãda.

quòd nefas eſſe exiſtimo in aliena curioſiùs inquirere, & quæ in latebris domorum demiſſo velo clam omnibus peraguntur, ea confidenter, inuerecundóque ingenio rimari, atque extrahere inde procaciter in lucem, ac decantandam vulgo fabulam dare; cùm præſertim QVÆ nullo, niſi ſe, teſte narrat hiſtoricus, pronis quidem ea auribus, dubiis tamen, ac ſuſpenſis animis plerumque accipiantur. Quòd ſi, quod erat medium, illa comperta ſint oppidò paucis, ideóque emoritura fortaſſe videantur, niſi Hiſtoriæ vita, teſtimoniúmque ſcriptoris accedat, arbitror ab hiſtorico poſſe litteris impunè mandari, quantacumque dedecoris nota ei, quo de agitur, inuratur. PAR eſt eadem libertate ſcribat hiſtoricus Principum vitas; qua ipſi libertate vixerunt, vt de Suetonio loquitur Hieronymus. Neque enim exiſtimo (dicam hoc aliquantò timidiùs, præſente te, Benci, ſed dicam tamen) non exiſtimo parem eſſe conditionem hominis aliena crimina temerè infenſóve animo detegentis, atque hiſtorici eadem conſultò enarrantis. plus aliquid licet hiſtorico, qui ea nonniſi publico deſcribit bono, VT improbi reformident conſcientiam poſteritatis, & ſaltem famæ metu turpia declinent. At tu, Murete, inquit Antonianus, tecum planè pugnas, niſi fallor. nam vbi facinus omnio ſit ignotum exploratúmque nemini, ſentis hiſtoricum peccare, ſi prodat: fieri quippe iniuriam ei, cui aliquid famæ, illa arcanorum proditione, dematur. quidni idem ſentis, cùm facinus notum eſt quàm pauciſſimis? tunc enim & iis, quos latet, hoc eſt, fermè omnibus, detegitur: & ad

Si flagitia nota ſint paucis.

Libertas dicendi quanta ſit hiſtorico.

ad exteras regiones, ad quas numquam fortaſſe peruentura eſſet fama, tranſmittitur: & poſteri, qui numquam id reſcirent ſine ſcriptoris atteſtatione, docentur. nónne vides, nominis exiſtimationem, non vtique contemnendum noſtræ mortalitatis bonum, apud ignaros (quod tu vetabas magnopere lædi, corrumpíque? Cui Muretus. Video, ſed vti iure ſuo hiſtoricum volo. Quodnam (malum) ius iſtuc cuiuſquam hominum eſt, inquit Antonianus, vt aliis facere iniuriam impunè queat? Ius publici boni, ſubdidit Muretus, cuius cauſâ priuatum vnius commodum deſpicere haud immeritò poteſt. Si ita eſt, inquit Antonianus, euulget igitur hiſtoricus etiam facinus planè arcanum ignotúmque omnibus: tunc enim dixerò, id fieri publici boni gratiâ, quod bonum priuato potius eſſe debet. Et Muretus; Non perſuades, inquit: nam cùm facinus penitus abditum arcanúmque eſt, nullum hiſtorico ius eſt, vt inquirat in alienum crimen, quem ſcriptorem eſſe, non indagatorem voluêre ciuitates atque Reſpublicæ. Quòd ſi temerè inquiſierit, non videtur idcirco quidquam iuris adeptus eſſe in alienam famam. quare eius rei contra fas & æquum narratio ob quamcumque publici boni cauſam ſupprimenda eſt: at vbi in conſcientiam criminis venêre iam alij, ſibi ille imputet, qui deſcribitur, ſi iure ſuo vtatur hiſtoricus, hoc eſt, ſi crimen ad ſe famâ perlatum, ipſe qua accepit fide, litteris conſignet. At vos, interceſſit Bencius, ſubtiliùs vt video iſta limatis, & dum numeratis vitia, quibus aduersùs veritatem peccat hiſtoricus omittendo, nimirùm tranſiliendo pec-

Ius hiſtorici.

Publicum bonum priuato potius.

catis. Quin igitur, quandoquidem ſatis cautũ eſt, NE quid veri hiſtoricus dicere non audeat; alteri iam parti cõſulimus, NE quid falſi dicere audeat?

Poſterior eorum claſſis qui tranſiliut veritatem.

Faciliora ſunt hæc, ad quæ orationem transfers, inquit Muretus, & præcepto prorſus vno totum hoc conſtat, ſi rebus nihil affingatur. Soleo ipſe hiſtoricos comparare cum eo pictorum genere, qui etſi in cætero artificio minùs præſtant, tamen in alicuius aſpectu indiſcreta penè ſimilitudine figurando, atque in ipſa oculorum, ac totius oris ſuauitate propemodùm geminanda mirabiles ſucceſſus habent, operáque conſummant. Polygnotum aiebat Ariſtoteles ſolitum eſſe, quos exprimeret, facere meliores, Dionyſium verò ſimiles. In hac poſteriore claſſe cenſeo hiſtoricorum picturam; vt quem litteris pingunt, & quaſi colorant, veram eius ſpeciem animo capiant, ſuíſque lineamentis illum referant, tanquam per ſe illicò agnoſcendum: nec ſtudeant naturæ vitia artificio corrigere, externarúmque appoſitione rerũ, veluti alienis pigmentis óblitum, ſuopte ingenio conformare. Poëtarũ hoc munus eſt in maius effingere, nec quemquam è ſingulis, ſed hominum ſimulacra generatim, vniuerséque proponere. Quamquam non deſunt hiſtorici, qui Polygnoti, quàm Dionyſij ſimiles eſſe malunt: nec vrceo contenti quem fingendum ſuſceperunt, vt operis ſumma pulchrior atque admirabilior exeat, currente rota amphoram moliuntur: quorum hiſtorias factas iſto vitio mẽdoſiores quoties lego, paucis litteris titulo additis, Iulij Capitolini exemplo, inſcribere ſoleo Mythiſtorias. Id tu verò, inquit Bencius, libello

In Poët.

Quorum pictorum ſimiles ſint hiſtorici.

Mythiſtoriæ.

libello addidiſſes, quem fortè de Arturo Rege conſcriptum nuper vidi, quæ autem illîc non vidi? Accipite hæc è multis pauca. proderit enim ea cognoſcere: vt quemadmodum Antigenidas aiebat, ſuauiùs audiri bonos citharœdos, ſi mali antea cecìniſſent; ita nos huius comparatione ad reliquos hiſtoricos multo iucundiùs accedamus. Transfodit in acie militem Arturus Caliburno illo ſuo (hoc erat gladio nomen) itáque transfodit, vt ferrum pectore acceptum, redditúmque à tergo promineret: quantúmque cuſpis extabat è corpore, tantùm vmbræ iaciebat. Ecce tibi aduolat alius auxilium militi laturus, in Caliburni vmbram incurrit miſer, ſauciatur, nec à ferro, concidit, expirat. incertum (ſcriptor adiungit) referendáne mors fuerit in Caliburnum, cui tanta vis inerat, vt vel eius vmbra perimeret: an in hominis metum, qui ferro non vmbra ictum ſe crederet, atque adeò exanimaretur? id conſtat vmbratili illo vulnere ſeriò concidiſſe. Tunc Antonianus. O acutum candidúmque ſcriptoré! Nugæ ſunt hæc, inquit Bencius, præ iis quæ audietis. Captos in pugna milites Arturus ſtigmatibus in ore conſcribebat, non ferro aut igne, ſed, mira dictu auditúque res, faciem leuiſſimè depalmabat; nam ſi paulo valentiùs tetigiſſet, exoculaſſet homines extemplò, aut edentulos colliſiſſet ad terram: ex eo autem perleui tactu digitorum, relictis altè in ore veſtigiis ad perpetuam rei memoriam, veluti ſtigmaticos ſeruos compunctos notis Threiciis ſibi vindicabat. tanta vis, calórque inerat membris. Sed nihil illuſtrius, quàm quod ei cum Simpulo Gigante ſanè ridi-

Plutar. Demetrio

Arturi res geſtæ.

Caliburnus Arturi.

Colaphi ab Arture inflicti.

Simpuli Gigantis ratio pugnandi.

N 2 culo

Digitized by Google

culo contigit, qui quoties forticulum aliquem rixarúmque cupidum vſquam eſſe terrarum nouerat, per certos nuncios, vt barbam ad ſe quàm primùm mitteret, ſed probè pexam cultrámque poſtulabat; ſi recuſaret, ſingulari certamine prouocatum, vt erat viribus aſtúque ferox, facilè ſuperabat, pugnæ ſumma hæc erat: Victo vitam condonabat, barbam ei tantummodo (hoc enim victoriæ præmio contentus erat) abradebat, texebátque ex ea cilicias villoſáſque veſtes, quibus ſuperbè paludatus, ſibi (vt putabat) gloriæ, cæteris terriculo foret: tantúmque iam prædæ confecerat, vt præter barbas minorum gentium, ſolùm ex iis, quas abſtulerat à Dynaſtis ac Regibus, ſagum militare contextum; barbarum ſanè in morem perpetuò geſtaret. Ergo vbi glorioſus hic Regum expilator Arturi nomen accepit, ſubiit cupido periculum faciendi, miſsíſque de more nunciis, barbam expoſcit: addítque, ſe eam ad conum galeæ, honoris gratiâ, adhibiturum. cùm reſpondiſſet Arturus, venturum ſe, ac repræſentaturum quod poſceret, vt arbitratu ſuo abraderet, quantùm vellet; accurrit extemplò, initáque ſtrenuè pugna, primum Giganti clauam comminuit inter manus, mox eidem prægrande ſaxum attollenti caput tranſuerſo ictu demetit, excutítque à corpore quàm longiſſimè: ille quamquam obtruncatus, & capite diminutus, plenus tamen animæ, ſaxum impetu ſemel concepto proiicit, atque vt erat oculorum ductu deſtitutus, fortè collineat in caput ſuum viuax adhuc & minax, conterítque illud minutatim, ſimul ipſe ad terram latè proſternitur, atque eodem

Barba victoriæ præmium.

Singulare certamen Simpuli cum Arturo.

dem

dem tempore capiti corporíque deficiente vi, ac vita, Gigas vtrobique commoritur. En, Murete, ſatiſne factum vides præceptioni tuæ, NE QVID rebus affingatur? Nimirùm, inquit Muretus, non eſt quòd Thraſones, aut Pyrgopolinicas è Comœdiis acceſſamus vltrà, quando iſtorum abundè iam legimus in Hiſtoria.

Simpuli nex.

At hoc vitij, vt aiebam, facilè deprehendas, atque irrideas. Illud anceps:&, vtrùm faciem virtutis, an vitij referat, pleriſque incertum, ad præſentem tamen diſputationem pertinet. Illa conſilia loquor, & interpretationes, cæteráque rerum geſtarum parerga, quibus nonnumquam hiſtoricus inter narrandum de cauſis euentiſque iudicium interponit. hæc quoniam additamenta eſſe, atque ad exceſſum videntur pertinere, quatenus ſcriptori permittenda ſint, non ſatis liquet. Occupaſti, Murete, præloqui, inquit Bencius, quod erat votum meum: aueo enim hac ſuper re, qua nihil hîc quæri poteſt grauius, quódque difficiliores explicatus habeat, ſcire ſententiã tuam. Quamquam mihi, vt fatear, præiudicata lis eſt: nec quidquam puto faciendum pluris, quàm interiectum ſcriptoris iudicium in Hiſtoria, *à qua ſi quis auferat*, vt loquitur Polybius, *quare, quomodo, quo fine; id ludicrum magis erit, quàm doctrina.* Et verò (dicam enim quod ſentio, quò faciliùs corrigi poſſim) ſi narratione rerum geſtarum ſimplici, atque ad exitum properante contentus eſſe debet hiſtoricus, quid, rogo, intererit Annales inter & Hiſtorias? Annalium ſcriptori ſatis eſt non eſſe mendacem, hiſtorico non eſt ſatis. nam *conſilia primùm*, vt ait Tullius, *deinde*

Indicia & conieċturas an adhibere debeat hiſtoricus.

Quid de iis aliqui ſentiant.

lib.3.Hiſt.

Authoritates pro huiuſmodi iudiciis.

lib.2.de Orat.

acta, poſtea euentus expectantur: & de conſiliis ſignificari quid ſcriptor probet: & in rebus geſtis declarari non ſolùm quid actum, dictúmve ſit, ſed etiam quomodo: & de euentu, vt cauſa explicentur vel caſus, vel ſapientia, vel temeritatis, hominúmque ipſorum non ſolùm res geſta, ſed etiam qui fama excellant, de cuiuſque vita, atque natura. quid poteſt hoc teſtimonio eſſe luculētius? Quòd ſi non tam authoritate, quàm exemplis agendum ſit, deſipiam niſi plenæ ſunt Hiſtoriæ huiuſmodi documentis. Quàm multa & ſalutaria vbique præcepta apud Polybium? Nicetas iudicia non ſolùm libera, ſed etiam opportuna paſſim habet. quid, quòd neque Liuius caruit hac laude? teſtis illa comparatio Alexandri cum Papyrio; vbi quærere libuit; Quinam euētus rebus Romanis futurus fuerat, ſi cum Alexandro bellatum foret? Nam de Cornelio Tacito nihil attinet dicere, quem conſtat eſſe ſeminarium præceptorum. Sed miſſa exempla faciamus. Nónne ratio, & finis Hiſtoriæ id omnino perſuadet? Nam ſi eius conſilium eſt poſteros docere, quid actum ſit, eóſque ad ſumma quæque inuitare per exempla maiorum, per authoramenta laudum, per inſtituta legum, per mores diſciplinámque populorum; non video, qua id ratione præſtare planè poſſit nuda rerum & quaſi fugiens narratio: in quam ſi incurioſus aliquis, animóque abalienato, aut legendi fatigatione languidior incurrat, nullo operæ fructu, præter inanem quandam, puerilémque voluptatem, egregia iſtæc Annalium monumenta præteribit. REMEDIA, vt ait ille, non proſunt niſi immorentur. At ſi in narrando expendantur

Exempla multorum ad hanc rem.

Ratio idē perſuadēs.

Seneca lib. 5. ep. 40.

tur cauſæ, & iudicia loco interponantur : ſi non modò facta recludantur ac dicta, ſed etiam ſenſa, atque arcana conſiliorum; ſiſtent hæc haud ægrè lectorem etiam properantem, in eiúſque animum, quamquam non id à primo agentis, ciuilis vitæ prudentiam, cuius ſe magiſtram profitetur Hiſtoria, facilè inſinuabunt. Atque vt in marginatis librorum paginis appoſitus identidem manus index legentem monet, vt illud animo non indiligente,omiſſóve prætereat : ſic adiectæ hiſtoricorum interpretationes, indicia ſunt ac notæ, quæ vel oſcitantes,aut ſopitos exſuſcitent, eíſque documenti aliquid vltrò ingerant. Atque hæc, Murete, tum virorum illuſtrium teſtimonia, tum exempla ſcriptorum, tum rationum momenta ſicuti me in hanc ſententiam pepulerunt, ita in ea, niſi tu me inde dimoueris, perpetuò continebunt. Tunc Antonianus. Caue,inquit, Murete,quidquam ſtatuas inaudito me;aut enim ipſe fallor,aut nihil eſt, à quo hiſtoricus abſtinere debeat libentiùs, quàm ab huiuſmodi commentationibus. Mitto quòd IN HIS CE iudiciis(vt Ludouicum Caſteluetrium acuto ingenio virum, æſtimatorémque acerrimum ingeniorum ſæpenumero dicentem audiui)mens,ſtudiúmque ſcriptoris exſtat in alterutram partem plerumque flectentis:qua propéſione ſemel detracta, mirum quantùm ob ſuſpicionem ſimulatis aut gratiæ periclitatur Hiſtoriæ fides. Aſſerit Ariſtoteles, (nam authoritate primùm diſputauit Becius)hoc eſſe diſcrimen inter Hiſtoricum & Poëtam,quòd hic, qualis eſſe debuerit Alcibiades, ille qualis omnino fuerit, deſcribat. hac igitur narratione

Quid cõtra hæc iudicia & coniecturas alij ſentiant.

Authoritates aduerſus hæc iudicia hiſtoricorum.

In Poët.

contentus ſit Hiſtoricus: quid cætera conſectatur quibus ad Poëtas tranſitum quærat? Neque verendum erit, ne ſimpliciter, ac nuda narrantibus, Hiſtoriæ perinde ſint, atque Annales. ſatis erit diſcriminis, ſi Annales (quod apud Sempronium veterem ſcriptorem legimus) tantum, modò referant, quid quóque anno geſtum ſit, Hiſtoria etiam addat quo conſilio, ac ratione. hæc verò conſilia ſine interpoſito ſcriptoris iudicio explicari quidni poſſunt? At plenæ ſunt Hiſtoriæ (hoc enim erat alterum) tam ſalutaribus præceptis. nimirùm de Polybio, & Corn. Tacito ſermo eſt: nam T. Liuius comparationem illam non ſine excuſatione auſus eſt aggredi. Et Tacitus quidem (vt omittam Polybium concionali quadam libertate diuertentem à narratione factorum, in conſiliis tamen, ſed apertiùs Taciti ſanè ſimilem) abũdet, vt libet, politicis inſtitutis, intérque ciuiles ſcriptores hodie regnet vnus, atque iſta ſe iactet in aula; mihi certè in numerũ Hiſtoricorum hoc inquam nomine haud veniet. Quid enim? commemorationem rerum geſtarum definimus Hiſtoriam. commemoret igitur res geſtas, non commentationes ſuas, qui Hiſtorici titulum cum dignitate ſuſtineat. hic autem ſcriptor quantùm ſcriptorum eſt opinioſiſſimus, coniecturis ac diuinationibus adeò faciem factorum occupat impedítque, vt oraculorum coniectorem atque interpretem, non rerum geſtarum narratorem agere videatur. Denique Hiſtoriæ finis (nam hoc fuit poſtremum) eſt ille quidem inſtitutio, ac diſciplina poſterorum, ſed quam ipſi non præceptis eruditi, ſed factorum expoſitione allecti ſenſim

Diſcrimẽ inter Annales & Hiſtorias.

In Taciti coniecturas.

Præceptiſne an factis erudiant poſteros Hiſtorici.

ſim hauriant. Nunquid ex eo, quòd prodeſſe volunt Poëtæ,cogendi ſunt,vt relictis identidem figmentis ſuis,extra iocum & fabulam ſalutaria documenta carminibus interponant? & non potiùs,id ſi operis mòliantur,eruditorum conuiciis ſtrenuè vapulabunt? Quare ſi neque alicuius authoritas,neque bonorum exempla ſcriptorum, neque ratio vlla cum hiſce indiciis, & coniecturis facit, neque tu Murete, quocum facere veritas ſolet, ea, vt arbitror complecteris. Tunc ille. Malam,inquit, crucem importunæ iſti Eloquentiæ, quæ me ſecurum animi, compoſitúmque in alteram partem,iam ſuſpenſum,& vtroque trahentem malè perdidit, quaſi in foro diſceptaretis apud Iudicem, adeò me contorto pugnacíque iſto genere dicendi exanimaſtis. Sed ego mulctabo probè vtrumque, ac litem neutri adiudicabo. Et verò dum Philoſophiæ partem diſceptatricem iudicémque morum compono cū Hiſtoria temporum teſte, ac nuncia vetuſtatis; animaduerto idem in vtraque extremū eſſe, finémque vtrique propoſitum inſtitutionem vitæ in hominum ſocietate prudenter ac fortiter agendæ: ſed peruenire ambas video ad hunc finem alia atque alia via,Philoſophiam firmis de virtutum,vitiorúmque natura diſputationibus id extorquere: Hiſtoriam idem compēdio monſtrare per exempla.Et tamen Philoſopho licet exemplis vti: cur ergo Hiſtorico vti præceptis non licebit? licebit ſanè per me, & quando Philoſophum nemo reprehendit, cùm poſt rationum momenta exemplis agit rerum geſtarum; permittamus Hiſtorico maiorum facta narranti, inſerere, ſi libuerit,

Quatenus hæc iudicia & præcepta adhibenda ſint Hiſtorico.

Similitudo Philoſophiæ moralis & Hiſtoriæ.

Diſcrimen inter vtramque.

documenta virtutum. Tamen, quoniam cenſeo id rarenter vſurpandum, atque omninò perparcè;accipite quid me (forſitan & vos mecum) cogit in hanc ſententiam.Principio ſicuti Philoſopho vitio daretur, vbi frequentiùs ad factorum commemorationem confugeret; ita eſt reprehenſione dignus aliqua Hiſtoricus, qui ſæpenumero ad rerum diſquiſitiones, præceptionéſque diuertat: quòd in hac regione Philoſophorum modeſtè ac verecundè verſari debeat tanquam hoſpes. Deinde odioſa plerumque ſunt hæc diuerticula: & rerum geſtarum monumenta alacriter percurrentem ingratè morantur, auocatámque aliò mentem à ſuſceptæ ſemel narrationis ſerie procul arcent non ſine fraude atque indignatione lectoris. Qui accedit ad Hiſtoricũ, ad cognoſcendam antiquitatem accedit,eſt enim ille teſtis antiquitatis; malè igitur occupat iudicis partes is, à quo teſtimonium quæritur, non iudicium. Hiſtoriæ initia, ſunt qui repetant ab incrementis Nili: ferúntque Memphis columnam fuiſſe miræ altitudinis (Niloſcopium dixêre) in qua quantùm Nilus quotannis excreuiſſet inſcribebant, lineæ ductu ſumma eluuionis veſtigia exæquantes: addebántque in ea litteras, quibus ſignificabant, quæ pro ſingulis aquarum incrementis ſecuta mox eſſet annonæ caritas,aut vilitas:tenuítque ea ſcribendi conſuetudo annos complures. Ex quo poſtea factum eſt,vt quoties euagatus per ea loca Nilus recederet;ac mollitos atque oblimatos agros relinqueret ad ſerendum; obſeruarent ſtatim accolæ, quam notam lineatæ columnæ fluuius appetiuiſſet, indéque futuram

Diuerticula ab rerum geſtarum narrationibus ingrata lectori.

Hiſtoriæ initia quæ Nili incrementa notari ſolita.

eo anno rei frumentariæ copiam, inopiámve præcipiebant. Non diſputo quàm aptè ad Hiſtoriæ principia hoc dicatur: illud affirmo, ex hac narratione ſi minùs originem, certè imaginem atque exemplar Hiſtoriæ peti poſſe. Vt enim veteres illi rem ipſam & euentum conſignabant, nec præterea quidquam moniti, quo poſteri ſibi cauerent, adiungebant, ſed cæteri deinceps conſulebant ſibi obſeruatione præteritorum; ita ſanè Hiſtoriam hoc filo, & fine texendam puto. facta, & conſilia tutò ſcribantur: iudicia omninò modicè ferantur: vix autem præceptiones & doctrinarum arcana, data opera, congerantur. hæc lectorum permittenda ſapientiæ, qui ex aliorum factis ſua metientes, ſibi interdum gratius ducent quod eruerint ipſi per ſe, ac ſua ſibi diſquiſitione pepererint. Atque hanc denique Hiſtoriæ legem bonis ſcriptoribus ſanctam ac propriam video Principes quidem certè, Thucydidem loquor apud Græcos, apud nos Salluſtiū, infenſos ſeſe aduersùs hæc additamenta præſtitêre. nimirū ſincerè & continenter enarrant, malúntque tacitè inſtruere, quàm vitæ præcepta luce palam, atque ambitiosè tradere. Quid Xenophon in Græca, & Perſica Hiſtoria? quid Liuius in Romana? quid Curtius, alíique è cohorte illa vetere Hiſtoricorum? quàm rarò interpoſitis commentationibus ſuis lectorem appellant, interpellántque? & tamen efficaciùs in omni vita, certè opportuniùs prudentiam, reliquáſque virtutes docent. Quare ſic ſtatuo, crebriora hæc iudicia, documenta, diuinationes, coniecturas, cæteráque Hiſtoriæ quaſi emblemata, & moras plerūq; lectorum

Quid Hiſtorico narrandū, quid lectori relinquendum.

Veterum exempla Hiſtoricorum apertè narrantium tacitè inſtruētium.

rum

rum aut omnino reſecanda, aut verbo contrahenda, aut obliquè ac diſſimulanter inſinuanda. Et quemadmodum inter Poëtas, de quibus contraria ratione, quàm de Hiſtoricis definire par eſt, quo quiſque plura comminiſcitur, ſuíque plus affert in carmine, eò propiùs Poëtam agit: ita inter Hiſtoricos quo quiſque pauciora conquirit à rerum geſtarum expoſitione diuerticula, ac minùs interponit ſui, eò caſtiùs & cautiùs Hiſtoriam ſcribere exiſtimandus eſt. Atque hoc eſt de Hiſtoricorum iudicio iudicium meum, à quo non modò diſſentiendi, ſed etiam aliò prouocandi liberam vtrique poteſtatem volens libénſque facio. Sed antè (quoniam hoc, quod poſtremo loco diſceptauimus, exemplis illuſtrari à me, vobis non erit opinor ingratum: atque hoc ipſo conſilio libellum hunc mecum abſtuli) accipite quò nugarum me nuper impulerint Card. Hippolyti preces, an imperium? recitare non verebor apud vos, qui ſoletis

Diſcrimē inter Poëtas & Hiſtoricos.

Meas eſſe aliquid putare nugas.

Catul. carm. 1.

Aggreſſus ſum enim induta nobiliorum Hiſtoricorum perſona facinus aliquod (Leonis X. obitum mihi præſcripſit Hippolytus) variè referre; ſtylo ad ſingulorum imitationem conformato. quamquam omiſſis interim cæteris, ne longum faciam, T. Liuium tantummodo producam, & Cor. Tacitum, ſcriptores hoc ipſo, de quo diſputatum eſt, charactere ſanè diſcrepantes. licebit ex his aut ſpecimen capere vtriuſque narrationis, déque meo iudicio periculum facere: aut ſaltem fateri, idem aliter atque aliter poſſe cum laude tractari, ſi quis ad veterum normam

Narratio vnius rei ad Liuianam & Cornelianam rationem conformata.

Digitized by Google

ſeſe exploret. Et Liuianum quidem exemplum hoc eſt.

Per eos dies ſeceſſerat Leo Pontifex in Manlianam villam, cùm victoriæ nuncium, cuius expectatione diu trepidauerat, accepit. Nam Pontificij, Ductore Friderico Mantuæ Principe, fœdus inierant cum Cæſarianis, quorum cohortibus impoſitus erat Ferdinandus Piſcarius, belli ſummam Proſpero Columna adminiſtrante. & iam rerum ſucceſſu læti, erectique in ſpem Mediolani potiundi, eò properè ire pergunt: tantò minùs ceſſandum rati, quòd inaudiſſent Lotrechium vnà cum M. Antonio Columna, cęteriſque Ducibus, qui Sfortianis infenſi Gallico nomini fauebant, Mediolani ſegniùs rem agere: tanta ſecuritate contemptúque hoſtium, vt Lotrechio cum globo nobilium vrbis vias obequitanti, cùm M. Antonius nunciaret, hoſtem ad portas eſſe; riſerit meticuloſam vocem: quòd diceret, pluuio illo die, ac fallente vbique veſtigio nō videri accommodatum iter protrahendis vehiculis, ac cęteris tormentorum impedimentis. Sed Proſperi conſilium, Ferdinandíque virtus cuncta ad victoriam aperuêre: nam tormentis impeditiſſima quamquam via ſtrenuè deportatis, Ferdinandus expedita cum Hiſpanorum manu anteuertit: ac de nocte aggreſſus ſuburbia, potiùs exploraturus hoſtium vires, quàm vlla ſpe rei tum quidem conficiendæ, aggeribus ſuccedit: ac territis ſubita pilarum procella hoſtibus vallum tranſilit, ſubrutáque porta, ac pulſo inde Venetorum præſidio, intra munitiones cum parte copiarum Italicarum irrumpit, Heluetios tumultuaria ope accur

Liuianum exemplū.

Pontificij ac Cæſariani Mediolanum contendentes.

Guicciard. lib. 14. & Onuph. in vita Leonis.

Gallorum ſecuritas.

Iouius in vita Ferdinan.

Suburbia expugnata.

accurrentes proturbat, Ducem obtruncat ipſe in prælio: tanta ſuburbiis trepidatione illata, vt hinc Heluetij amiſſo Duce vagi palantéſque, illinc Veneti effusè fugientes, in vrbem truderent ſeſe, ipséque Veneti exercitus Imperator Triultius in manus Ferdinãdi venerit accepo vulnere. Sub idem tempus cum reliquo exercitu aduolant Proſper, ac Iulius Mediceus Legatus. eadémque vi Fredericus cum infeſto Pontificiorum agmine ad Ticinenſem portam obices moliuntur, ac munimenta tranſmittunt, direptiſque hoſtium caſtris, admittentibus intrò amicis, vrbem momento occupant. Nec Lotrechio in tam inſperata clade, aut mens, aut opportunitas fuit colligendi militem ſomno conſopitum. Et quamquam verſa ad Arcis defenſionem cura, illuc fortiſſimi quique Gallorum accurrerent, ac ſeſe conglobarent ad ſigna, tamen in ſumma rerum deſperatione conſternati omnes, eadem nocte, Comenſi porta effunduntur, vrbémque victoribus relinquunt. Quòd ſi Pontificij, Cæſarianíque inſecuti fuiſſent ad extrema ab tergo carpenda, propè erat, vt Gallicus equitatus ea nocte profligaretur memorabili clade. Nuncium tantæ victoriæ cùm Leo Pontifex de rei euẽtu ſollicitus accepit, incredibilis animum lætitia inceſſit, ſed vt ſunt humanæ res, non ſatis diuturna. Eo ipſo die febri correptus, luce inſequenti in Vrbem relatus eſt. Vbi neglecto primùm morbo, mox deplorato, opinione hominum celeriùs deceſſit. Paucis ante obitum horis cùm nuncius de recuperata Parma ſuperueniſſet, coniectis in cœlum oculis Leo; Bene habet, inquit, quòd antequam morior,

Mediolanum captum.

Leonis repẽtinus morbus.

Eiuſdem mors.

Digitized by Google

motior, Placentiam, ac Parmam ſine vulnere Pontificiæ ditioni reſtitutas tandem video. Vixit annis ſeptem & quadraginta, regnauit octo, & totidem menſibus, dignus qui vitam iuxtà atque Imperium diutiùs prorogaſſet, cùm ob cæteras animi virtutes, tum ob ſingularem munificentiam, ac patrocinium litterarum. Tenuit fama, Leonem nobili aliquo veneno repentè ſublatum: ſeu vulgo ex celeritate mortis, violentiam interpretante, ſeu quodam Principum fato, quaſi eorum nullus ſine aliqua properatæ mortis ſuſpicione extingui poſſit. Et quamquam non deerant, qui obitus cauſam medicis rationibus referrent partim in fiſtulam, ex qua puris plurimùm egerebatur, repentè obſtructam, ac medicamentis irritantibus inuictam: partim in peſtilentes nebulas flante iis diebus Auſtro delatas ad Manlianam è campis circà paluſtribus; tamen multorum animis auelli ea veneni ſuſpicio non potuit, quòd & viſcera ſubita morbi vi præter morem exeſa fraudem arguere viderentur: & Aulicorum nonnullis in vincula coniectis, nihil propius fuerit, quàm vt confeſſio extorqueretur, niſi Iulius Cardinalis Mediceus è caſtris rediens caſtigaſſet inertes querelas, vetuiſſétque huiuſmodi de veneno quæſtiones, quæ, vt aiebat, plerunque exitus inexplicabiles habere ſolēt. Atque hæc ad Liuij; ad Taciti autem exemplar ſuper eodem argumento hæc accipite.

Commē-datio.

Cauſæ mortis variæ.

Romæ ob victoriæ nuncium multus vbique ſermo: cœtus paſſim per fora, per templa viſebantur de obſidione, de pugna, déque occiſorum numero variè differentium: atque VT QVISQVE procax

Eadem narratio ad Cornel. Taciti rationem effi-cta.

procax lingua, ac miſcere cœtus hiſtrionum more doctus, ita propiora veris dicere in vulgus credebatur. Nec ſatis conſtabat penès quem Ducum ſtetiſſet gratia patrati belli: quippe IN VRBE partibus obnoxia, & quæ pro affectu metiatur fidem. Alij enim Legati prudentiam extollebant, cuius ad exercitum acceſſu tunc primùm cuncta in melius verterant. Pars omnia Proſpero tribuebat, quòd occupato celeriter Addua, deportatóque ratibus exercitu, opportunitatem victoriæ corrupiſſet hoſti. Aliis Ferdinandi fortitudo potior habebatur, qui per lubrica viarum eniſus, auſúſque nocturnam oppugnationem, murum ſucceſſerat primus, inter obſtantes ferro ſibi viam patefecerat, Heluetium Ducem manu confoderat, caſtra Venetorum, ipſúmque Triuultium Ductorem ceperat. Sed alij rem aliò trahebant. Plurimùm quidem momenti fuiſſe in traiectu Adduæ, ſed Gallorum moram in eo aditu muniendo nullius celeritati locum reliquiſſe: neque victoriam tam virtute noſtrorum partam, quàm hoſtium temeritate, atque incogitantia, conſciis in Vrbe ciuibus, & Lotrechium ab rerum prouiſu abalienantibus ſpecie ſecuritatis. Quid enim operis fuiſſe, Ferdinandum occupaſſe ſuburbia, aut Pontificios vrbem intraſſe, quos ipſi Gibillinæ factionis principes inuitaſſent expoſito per vrbem lumine, ac recepiſſent demiſſo etiam ponte? niſi fortè magnum quid fuerat cœpiſſe Triuultium inermem ac penulatum, qui ad rei tumultum mula inuectus accurrerat rerum ignarus, ac ſemiſomnus: aut Heluetiis fuga dilapſis, iugulaſſe Ducem imparatum, & ambiguum

Romæ ſermo de victoria diſcors.

Pars laudantium.

Pars deprimentium laudes.

guum pugnandi. Nam quod ferebatur de caſtris Venetorum direptis, prædáque parta; magnificè in ſpeciem dici, re autem vera paucos fuiſſe cumulos nummorum, quos in menſis expoſitos, dum fortè Quæſtores Veneti militibus numerabant in ſtipendium, Hiſpani in tempore potiti ſunt. Nec fuiſſe dubitandum, ſi itum eſſet in ſententiam M. Antonij, & Lotrechius collecta ſuorum manu ad Arcem conſtitiſſet obfirmato animo; quin Cæſarianos ac Pontificios tandem reiecíſſet. Sed Lotrechius ſiue in re trepida præceps, ſiue vt ſolebat, conſilium quamuis egregium quod ipſe non afferret aſpernatus, ſiue nouas inſidias in vrbe veritus, abſceſſit, atque VRBEM amiſit veriùs quàm noſtri ceperint. Hæc, aliáque Romæ agitabantur, vana plerunque, & iis comperta minùs, qui confidentiùs iactabant: ſed tandiu materies in ore vulgi futura, quandiu noua res obiiceretur; more Vrbis, in qua SERMO ſermonem trudit. Nec abfuit diu, cùm ſermones aliò repentè tranſtulit ægri Pontificis in Vrbem reditus: cui cubiculum ſubeunti obuius architectus ligneam ſepulchri effigiem oſtēdit, Henrico Regi deſtinatam, non dubio omine imminentis fati. nam febris neglecta à Medicis turpiter hîc etiam adulantibus, an conſciis & flagitio deſignatis? breui erumpente vi morbi, ſuſpenſis omnium animis, Leonem extinxit, anno Imperij octauo, ætatis quadrageſimo ſeptimo, victurum haud dubiè longiori æuo, niſi, quæ eſt communis hominum querela, medentium acceſſiſſet aut ſecuritas, aut flagitium. Certè Præfectus abaci, qui biduo ante Leonis obitum, ſumpto in pilulis

Lotrechij mores.

Mortis præſagium.

Suſpicio illatæ mortis.

Iouius in vita Leonis, & in vita Ferdinan. Guicciar. lib. 14. Onuph. in vita Leonis.

pharmaco, quo Pontifex vtebatur, repentinò interiit ſuſpicionem fecit. Pluribus tamen authoribus facinus transferebatur in pincernam familiarem & continuum Principis: & vulgò credebatur, quaſi non abhorreret à cætera hominis vita: auxítque famam ſubita eius fuga ſub auroram, vix dum Pontifice extincto; ſed captum à Prætorianis, Iulius Mediceus vbi primùm ad comitia Romam venit è caſtris, ſtatim dimiſit, incertum an alicuius flagitij compertum; an potiùs ne arcanis fruſtrà euulgatis ipſe odia multorum ſubiret, ac priuatis ſuis rationibus officeret? Quin nec illud ſatis conſtitit, prætulerítne corpus veneficij ſigna? nam VT QVIS præſumpta ſuſpicione, aut ab effectu liber, diuerſi interpretabantur. Illud palàm atque in vulgus, Principem obiiſſe excellenti iudicio, varia litteratura, & quod proximum eſt, præſidem litteratorum: ſed liberalem in primis, & qui raro exemplo huius æui preces anteuerteret, vt conſuleret accipientium pudori. quamquam hæc ipſa non perinde omnibus æſtimabantur: quaſi hîc ſubeſſet ingens CVPIDO gloriæ, quæ etiam ſapientibus nouiſſima exuitur.

Elogium Leonis.

Atque hæc ad imitationem Taciti conformata, inquit Muretus. Cæterùm vos (ſi audiſtis hæc libenter, imò vt ex fronte coniicio, quia libenter audiſtis) vtrumque exemplũ committite, atque ex hiſce particulis, ſi quã habent imaginem antiquitatis, de vniuerſa vtriuſque Hiſtoria cõiecturam facite. Cúmque illi incredibili voluptate atque admiratione ſuſpenſi, feciſſe ſe interim de eius ingenio abundè coniecturam affirmarent;

aggre

Digitized by Google

aggredienti neſcio quid ea de re ſtatim Antoniano interceſſit Bencius, veruítque: quòd appetente iam nocte, cælo paulò inclementiore, timeret ille Mureto ſuo. Ergo condicta in ſequentem diem poſteriore diſputatione, quæ ſupererat de verbis Hiſtoriæ, ex hortis illicò diſceſſum eſt.

PROLVSIO III.

MVRETVS;

SIVE

De ratione ſcribendæ Hiſtoriæ Dialogi pars poſterior, quæ ad verba pertinet.

An Hiſtorici cum Poëtis Oratoribúſque ſtylo conueniant: pleriſque Hiſtoricorum ob id examinatis: exemplóque compoſito ad conciones pugnáſque narrandas; ac demum vna eadémque re hiſtoricè, oratoriè, ac poëticè diſcriminis ergo deſcripta.

INTERLOCVTORES

Iidem, qui in priore Dialogi parte.

CONDICTO die redeunt in hortos, intermittente iam æſtu, Antonianus, & Bencius. (Perſequor enim iiſdem diſputatoribus inſtitutum de Hiſtoria Dialogum, Cardinalis Ampliſſime.) Dúmque Muretum præſtolantur cum Hippolyto Cardinali Eſtenſe, neſcio quid otioſiùs domi tranſigentem; occupat Bencius,

cius, rogátque Antonianum, vt (quando per Mureti moram licet) paucis, niſi moleſtum eſt, referat extemporale illud carmen, & carminis vaticinationem, cuius mentionem fecerat apud Hippolytum heſterno die. Annuit ille, ſtatímque ex areola, qua inambulabant, proceras admirati platanos ab ſtirpe ad primos vſque ramos hedera ita conueſtitas, vt ſummæ quidem arbores ſuis frondibus, imæ verò alienis virerent; concedunt in proximum xiſtum, quem gradata hinc buxus & conciſa in plurimas ſpecies, inde Tarentina myrtus variè tonſa, aliæque preſſæ atque retentæ manu arbuſculæ belliſſimè concludebant. In medio fons æſtuabat intra marmoreum cratera, è cuius labro caducus, veli inſtar tenuiſſimi expandebatur demittebatúrque in ſubiectam piſcinam; quam circum ſyphunculi plures expreſſi micabant è ſolo, atque in cratera reciproci miſcebant ſuauiſſimum murmur. Hîc in loculamentis trifolio virétibus molliſſimas nacti ſedes ac puluinos aduerſi conquieſcunt. Tunc Antonianus; Facio, inquit, omninò libenter quod poſtulas, Benci, vt humaniſſimi Principis munificentiam omnibus teſtatam habeam. Res ita ſe habuit. Exceperat Franciſcus Card. Piſanus natalitio, vt cóſueuerat, epulo Cardinalium complures: & ne carmen, appendix conuiuij, deeſſet; aderam ipſe ſuper Heroum menſam fidicinem acturus. Et iam ſingulorum laudes conuiuarum, octonis verſibus Italico rhythmo concluſis, ex re atque ex tempore concinueram, illis demirantibus, in ea ætatula (neque enim duodecimum annum tum expleuerá) volucre, vt aiebant, atque

Locus Dialogi.

Hortorũ fontiſque deſcriptio.

Antonianus fidicinē agens ſuper mēſam.

Extemporale ingenium pueri.

atque extemporale ingenium ; cùm me intuitus Alexander Card. Farneſius ; Age dum , inquit, puer : & , quoniam tam bellè Vatem agis , cape hunc florum faſciculum , eíque munus trade, quem è noſtro hoc ordine fore Pontificem Max. arbitraris. accipio , ſingulorum ora contemplor, ſuſpenſíſque in te vel ludicra Patribus,ad Io. Angelum Card. Mediceum rectà feror , flores futuri omen Imperij prompto prius carmine in manus trado. Enimuerò Mediceus , quamuis ea deſignatione tacitè omen acciperet , gauderétque in ſinu ; palàm tamen rubore ſuffuſus amicè conqueri cœpit,quòd irridendi ſui gratiâ ex compoſito rem tranſegiſſet Alexander , méque adornatum cum verſibus iam diu domi factis illuc opportunè compuliſſet. Id Alexander ſeriò pernegabat : ſed cùm neutiquam proficeret ; Quin tu, inquit , periculum per te facis , pueróque argumentum tuopte ingenio præſcribis ? quod ille ſi pro re nata,præſenti verſu commétabitur,coniecturam,credo,capies , nullum tibi à me fucum hodie factum. Quid multa ? placet ea conditio ; dúmque aliquid ſecum animo verſat Mediceus, fortè horologium,quod inibi erat prealto impoſitum pegmati , horarum ſignum excluſit. Ergo optimum factu viſum, ſi ea ſuper horarum mole aliquid ipſe ſubitario carmine comminiſcerer. Tunc ego ſubſiſto pauliſper , fidiculam præcentione aliqua percurro,ſic incipio.

Vaticinatio futuri Principatus.

Horologij deſcriptio.

HÆC,quæ metitur vocalis tempora moles,
Cum cœlo tacitum,credite,fœdus habet.
Nam cælo Sol quidquid agit noctúve diúve,
Inſcriptum nobis machina fronte refert.

Artis opus mira. Ad terram reuolubile plumbum
Nititur,& ſpiris throclea verſat onus.
Pondere ab hoc motus: nam dum vi vertitur axis,
Dentatas cogit mordicus ire rotas:
Morſu illo implicitos, obuersóſque orbibus orbes
Pendula ſuſpenſo examine libra mouet.
Æneus hinc monitor turri ſonat,& ſimul horas
Mobilis inſcripto lingula in orbe notat.
Diuidit hic Index vitam; totámque minutim
Concidit, ſolidum dilacerátque diem.
At vos, Heroës, quorum metimur ab ore,
Et regimus veſtro tempora noſtra ſono,
Ad Cardinales conuiuas. *Diſcite non dare poſcenti reſponſa, priuſquàm*
Multa agitet ſecum mens operoſa diu:
Diſcite non vllam ſine pondere reddere vocem:
Diſcite (ne multis) ore manúque loqui.

Finieram, cùm exceptus eo, quem mihi ætas conciliauerat, plauſu: atque aureo adhæc torque donatus à Card. Tridentino ob rem ex eius animi ſententia geſtam, è conuiuio dimiſſus ſum; relicta in omnium animis opinione, non ſine aliquo cæleſti afflatu eo die vaticinationem puero excidiſſe. Et ſanè ſublato paucis pòſt annis Mediceo ad Pontificatus Imperium, felix euentus non modò mihi ſummi Principis gratiam, ſed etiam Poëtarum nationi laudem aſſeruit vaticinandi. Pius IV. Pont. Max.

Verùm hæc dum auditore Bencio narrat Antonianus; ecce tibi Muretus, qui poſt exedram myrto conſtratam aliquandiu latuerat, dat in conſpectum repentè ſe: &, Itáne verò, inquit, abſente me Senatus Principe, vos minoris

ſubſellij

ſubſellij Patres ſenaculum ſoli ſolum celebraſtis? Imò verò, excipit Bencius, ſi pergis argutari, nos ex te multam pignúſve capiemus, quòd Curiam in tempore non intraueris. Sed mihi crede, moram iſtam ac deſiderium tui numquam ego quidem meliùs, quàm Antoniani oratione lenire potuiſſem. Age iam, atque hoc, quem relictum tibi vides, medio puluino conſide nobiſcum vnà, & interpoſitam diſputationem, quod bene vertat, aggredere.

Tunc is nihil vltrà cunctatus; Hiſtoriæ, inquit, exædificationem conſtare diximus & rebus, & verbis. illæ heſterna quæſtione definitæ, hæc hodie ſuperſunt, ſuúſque character ac nota ſcriptoribus Hiſtoriæ reddenda eſt. Et quamquam non me fugit, aliam eſſe legem præſcribendam Hiſtoriis, aliam Hiſtoriarum particulis, annalibus, commentariis, faſtis, ephemeridis, indigitamentis, tabulis, breuiariis; tamen facilè patiar in præſentia, nihil horum præcipuè, ſed omnia perinde conſtitui: non enim Hiſtoriæ nunc inter ſe membra formáſque conſideramus, ſed Hiſtoriam à Poëtica atque Oratoria ſeparandam ſuſcepimus. Et verò ita ſeparanda eſt, vt non minore interuallo, & (vt Lucianus aiebat) Iſthmo etiam maiore, diſtet illius ſermo ab Oratorum, Poëtarúmque lingua, quàm in rebus enarrandis diſcrepare inter ſe priore diſputatione confecimus. Cuduntur in eadem quidem veluti officina verba omnia ſiue hiſtorica, ſiue oratoria, ſiue poëtica, vnúmque in locum & cumulum promiſcuè congeruntur; non tamen promiſcuè vſurpanda, atque è cumu-

Propoſitum in hac proluſione.

Hiſtoriarum ſpecies.

Stylus hiſtoricus à poëtico & oratorio ſeparandus.

In opuſc. quomodo ſit ſcrib. Hiſtor.

Officina verborum vna.

lo, pro vt quæque ſors obtulerit, eximenda ſunt. id quod factitari interdum non ſine riſu videmus à nonnullis, qui NVSQVAM niſi inter epulas elegantiam norunt. quaſi enim ex armamentario haſtas ac tela in repentino tumultu rapiant, ſic ad verborum auxilia, vt quæque in promptu fuerint, ſcriptores ſubitarij confugiunt. Hic Antonianus. Nimirùm, inquit, religioſiùs aliquantò ac ſeueriùs exordiris, vt video, Murete. An tu ſcriptores tam longinqua inter ſe regione patriáque ſeiungis ac diſparas, vt in alterius quemque lingua hoſpitem ac ſurdum putes? Quaſi verò neſcias, Antoniane, Bencius ſubdit, M. Antonium qui magnum ab Hiſtoricorum ſermone fructum capiebat ad Eloquentiam, dixiſſe apud Tullium ſe omninò Poëtas non attingere, quòd aliena quadam lingua locuti viderentur. Sed perge porrò, Murete, & condoce, qua tandem ratione ex eo verborum aceruo, atque congerie aptæ cuique ſcriptori voces eligendæ ſint. Nam ſi, quod vſu venit legulis & coactoribus litterarum, id accideret Hiſtoricis, bellè res ſe haberet. illi enim in ingenti teſſerularum cumulo typos ex ſua quemque nota facilè internôſcunt, ac ſeparant in arculas: ex quo fit, vt diſcreta loculis elementa cùm opus eſt, committant componántque celeritate mirabili. hîc autem quam tu, rogo, notam, quem characterem vocibus inuſtum vides, vt in earum elegantia & commiſſione tuti eſſe poſſimus? Video, inquit Muretus, ac verbo dicam. FINIS, qui ſingulis ſcriptoribus propè ac propriè præfinitur, ſi probè inſpiciatur, hic rectà ducet vnumquemque ad ea ſecernenda è mul

Quomodo inde verba extrahenda.

lib. 2. de Orat.

Typorum verborúmque comparatio.

Ex fine delectus verborum.

Digitized by Google

è multis verba, quæ in rem ſuam futura ſint. Oratori propoſitum eſt (vt interim hoſce fines qualicumque ratione ſeparemus) quod eſt perſuaſibile, Poëtæ admirabile, Hiſtorico verum. Exploret igitur, ac ſeparet vnuſquiſque ſibi ea præſidia verborum, quæ perſuaſionem, admirationémve, aut veritatem in loco iuuent. Iuuat perſuaſionem (quod ad dictionem quidem pertinet) acris, & pugnax oratio, exaggerata, magnifica, incitata, quæque non ſine palæſtra ac nitore plagam faciat. Admirationem ac plauſum excitat pulchritudo quædam, & lætitia dictionis, granditas & pompa verborum, peregrinitas vocum; modulatio numerorum, nihil non oblitum pigmentis, commentationibúſque conditum, omnia fama & vero maiora. At veritatem ſimplex æquabilíſque decet oratio, nihílque magis cõmendat vera dicentem, quàm ſinceritas elocutionis. Quare condonet Hiſtoricus exaggerata Oratori verba atque flexanima, Poëtæ peregrina & numeroſa, ſincera verò atque dilucida eximat ſibi. Atque hinc eſt, quòd Lucianus in libello de præceptis Hiſtoriæ, cùm ei finem ſtatuiſſet vtilitatem, quæ ex ſola veritate conciliatur, addidit; *Verbis quidem hiſtoricis vnum eſſe propoſitum, vt planè ac ſimpliciter enarrent, & quàm clariſſimè rem, vti eſt, ob oculos ponant.* Adde Luciano Phalereum, ſubdidit Bencius, ſcriptorem Luciano non paulo meliorem: qui dum periodum hiſtoricam ab aliis ſeiungit, atque definit. Quæ neque circumducta in orbem, neque remiſſa vehementer ſit: ſed in medio vtriuſque conſiſtat, hæc adiungit; *Vt neque oratoria videri poſſit & aliena à fide pro-*

Quæ verba ad Oratoris finem apta.

Quæ apta ad finem Poëtæ,

Quæ ad Hiſtorici finem.

De elocut.

pter circumductionem, & honeſtatem habeat, & hiſtoricum ex ſimplicitate. Addite; excepit Antonianus, antiquiorem vtroque Tragicum Poëtam, cuius illa vox eſt apud Senecam in epiſtolis, VERITATIS orationem ſimplicem & concolorem eſſe. Tum verò Muretus; Quoniam, inquit, ſuffragiis mirè conſentimus, placétne Senatuſconſultum fieri in hæc verba? BONVM factum, vt Hiſtorici non ambitioſo & circumlato, ſed ſincero placidéque fluenti genere orationis ſcribant. qui ſecus fecerint, malam famam vltimi ſupplicij loco ſubeunto. Cùm placere reſpondiſſet Bencius; interceſſit Antonianus, negauítque ſe ſcribendo adfuturum, donec planiùs aliquantò perciperet eam notæ ſinceritatem ſimplicitatémque, quæ ſibi quidem magnopere probaretur, nonnulla tamen aduersùm eſſe, quibus expeditis libentiſſimè ſe in Mureti ſententiam conceſſurum. Cui Muretus; Ius & æquum poſtulas, inquit. Et quamquam Phalereus (cuius teſtimonio tu me, Benci, modò interuertiſti) dum periodum hiſtoricam, inter circumductam & remiſſam, quaſi mediam, & in vtriuſque confinio ſuſpendit, rem totam gemino indicauit verbo; nos tamen, quando ita videtur, liberaliùs expendamus.

lib. 6. ep.

Hiſtorici oratio quæ.

Periodus hiſtorica.

Character hiſtorico præſcribitur inter ſublimem, atque humi ſerpentem: ſcopulus vterque ſi cautè videtur, nauigatur in portu. Et verò, vt hinc exordiar, quid magis obeſt ſeria narranti, quàm oratio quæſitis infucata verbis & modulis numerorum; quorum vitio tolli funditus veritatem & fidem faber ipſe numerorum Tullius

Partitio diſputationis.

Orationis ſublimitas & pompa non apta Hiſtorico.

affis

affirmare non dubitauit? quid lectori ſuſpectum eſt magis, quàm hominis artificium verba verbis ſollicitè concinnantis, iiſque conſuendis miſerè intabeſcêtis? vt ſanè (quòd ait in Rhetoricis Ariſtoteles) non minùs caueant auditores ſibi, nec minùs affecti ſint contra huiuſmodi inſidias compoſitæ orationis, quàm aduersùs permiſta & confuſa vina ſuſpenſo infenſóque ſolent animo eſſe compotores. HISTORICORVM oratio non ſeſe lectori venditet obtrudátque, ſed res geſtas continenti narratione proferat, ipſa ſe ſubtrahat. Atque ego quidem oleo ſimillimam appellare ſoleo hiſtoricam dictionem: ſicuti enim huius liquoris prima laus eſt, ſi non ipſe palato ſapiat, ſed efficiat vt ſapiant epulæ, quæ illo condiuntur: hinc cùm oleum commendamus, vulgò dicimus, ipſum guſtatu nihil ſentiri. Ita mea quidem ſententia hiſtoricus ſermo tunc prima dignus eſt laude, cùm placidè rebus affuſus ſic eas lenitate condit, conditáſque defert in animum ſine ſenſu, vt placeat quidquid in Hiſtoria legitur; at quam ob rem placeat vix intelligatur. contrà quiſquis Hiſtoricorum, rebus haud magna cum cura temperatis, totus in eo eſt, vt concinna elaboratáque ad plauſum oratione, ipſe concinnitatis artifex legatur, hic oleum & operam perdit. nam rerum ſerie incurioſè oſcitantérque pertractata dum lectorem transfert ad eam verborum pompam, ac miracula ſublimis exploratæque ad numerum dictionis; interim cognitione factorum, quibus ad animum admouendis inſiſtendum erat, quique eſt fructus Hiſtoriæ maximus, illum penè defraudat. Definit, vt heſterna diſputatione

Artificiū dictionis ſuſpectum lectori.

lib. 3. Oratio compoſita & vina permiſta.

Comparatio dictionis hiſtoricæ cum oleo.

Vitium aliquorū Hiſtoricorum.

lib. 1. de Inuent. lib. 1. ad Her.

ne dicebamus, Hiſtoriam M. Tullius, *Rem geſtam à noſtra ætatis memoria remotam.* Atqui Hiſtoria res geſta ipſa non eſt, ſed explicatio rei geſtæ. quid ergo? num adeò conſpicua in re aberraſſe virum artis ſuæ apprimè gnarum putandum eſt, an potiùs tacitè docuiſſe, ita conſcribendam eſſe Hiſtoriam, vt lector nullo elocutionis illicio abſtractus à rebus, nulláque retentus mora verborum, imò charactere ipſo dicendi propemodùm non animaduerſo, ac ſurda ſtyli voluptate prætervectus, non tam ad rerum commemorationem acceſſiſſe, quàm rebus intereſſe videatur? Qua quidem laude ſi non primus, certè in primis mihi eſt Suetonius TRANQVILLVS, adeò tranquillè & æqualiter fluit, rebúſque vnicè addictus orationis ornamenta non negligens, ſed ſecurus præterit, & tamen hunc ipſum ornatum veluti vmbram non id agens trahit. Criſpus autem SALLVSTIVS, ſi pauca excipias verba, quæ partim nouauit ipſe, partim ex alieno ſeculo, ac potiſſimùm ex Catonis originibus, vt aiebat Auguſtus, inuidiosè decerpſit; cęterū quā procul agit à fuco & copia orationis totáq; ſupellectile oratoria? qui genere dicēdi breuiſſimo aptiſſimóque dominari omnium teſtificatione temporū dictus eſt. Nam de C. CÆSARE nihil attinet dicere: de quo quoties cogito, toties illud venit in mētem, quod de Romanis vulgò ferebatur; Ciui Romano Latinè loquenti non minùs turpe eſſe rem quamque ſuo non demonſtrare vocabulo, quàm hominem non ſuo nomine appellare. At Q. CVRTIO, quamquam iis virtutibus exornato, quibus conſtat aut heroicis eum temporibus vixiſſe, aut

Suetonij laus.

Salluſtij laus. Sueton. in vita.

Cæſaris laus.

Q. Curtij laus cum exceptione.

di

dignum fuiſſe qui viueret; non defuêre,qui obiicerent quæſiti interdum medicamenta candoris, & numerorum vſum paulo intemperantiorem. cui ſanè ſtudio,quàm metuo, Benci, ne Maffeius tuus plus nimio indulgeat. communicauit ille mecum paucis antè diebus, an menſibus, particulas aliquot Hiſtoriæ, quam molitur,rerum Indicarum:demiratus ſum florem ac numeros orationis: dixi, ſcriptorem mihi videri non huius æui, ſed è veteri illo ordine & quidem patricio Hiſtoricorum:nihil vſpiam incultum neglectúmque,concinna & perfecta ſanè omnia? niſi fortè eò peccaret, quòd nihil peccaret:nam & ingeniũ ſcriptoris anxium apparebat interdum, & dictio videbatur exquiſita ad ſonum, eúmque ſimili modulatione crebrò fuſum. quare monui (nam & ego verum dicere aſſueui,& ille libenter audire)vt orationis culturam ſæpiùs libentiúſque diſſimularet,nec verba ita traiiceret quaſi quædam complementa numerorum: cæterùm intelligeret,ſi rem ad calcem eo quo cœperat tenore deducere, ſe facilè ſcriptoribus huius ſeculi palmam,me iudice, prærepturum. Hîc Bencius, qui ægriùs aliquantò tulerat, ſtudiorum ac vitæ ſocium cum ea exceptione laudatum; Ego verò, inquit, pro Maffeio habeo interim aduersùm te gratiam,Murete, nec dubito quin ille cautionem abs te æqui boníque conſuluerit:neque enim vlli patientiùs reprehenduntur, quàm qui maximè laudari merentur. Sed quid facias? NVLLVM ſine venia placuit vnquam ingenium. tamen dicam hoc pro humanitate tua confidentiùs;Durus es erga Hiſtoriam, quam ornamentis ſuis vſque-

Maffei laus.

Cum exceptione.

qua

Propugnatio Maffei. Pro ornatu & pompa dictionis historicæ. Ciceronis teſtimonium.

quaque ſpolias. Sic ſum, inquit Muretus: ſpoliatam decet eſſe veritatem. VELARE Poëtarum eſt. Et tamen, occurrit Bencius, Poëtam non agit in Oratore Tullius, dum *placere*, ait, *in Hiſtoria atque epidictico genere dici Iſocrateo Theopompeóque more, vt tanquam in orbe incluſa currat oratio quoaduſque inſiſtat in ſingulis perfectis abſolutiſque ſententiis*. neque aliter antè in eodem Oratore ſtatuit: dum *finitimam eſſe* dicit *Hiſtoriam eorum orationi, qui verba ita diſponunt, vt pictores varietatem colorum, quíque paria paribus, aduerſa contrariis, ſæpiſſiméque ſimiliter extrema definiunt*. Quid? apud Liuium quàm multa Poëtarum more ac modo dicuntur? *Inde equitum certamen erat: Hæc vbi dicta dedit, ſtringit gladium, cuneóque* (audiſti verſum hexametrum? *facto per medios vadit hoſtes: Iámque dies conſumptus erat: Multa iam edita cæde ſeneſcit pugna*; atque alia eiuſmodi non ratò. Alpium deſcriptione quid grandius, atque

lib. 1. Dec. 3. Alpiũ deſcriptio.

Alpibus penè ſublimius? *Ex propinquo viſa montium altitudo niuéſque cælo propè immiſtæ, tecta informia impoſita rupibus, pecora iumentáque torrida frigore, homines intonſi & inculti, animalia inanimáque omnia rigentia gelu, cætera viſu quàm dictu fœdiora terrorem renouauêre. erigentibus in primos agmen cliuos apparuerunt imminentes tumulos inſidentes montani, qui ſi valles occultiores inſediſſent, cohorti in pugnam repentè, ingentem fugam ſtragémque dediſſent*. Audis hæc verò, Murete, & ſimplicitatem illam tuam in Hiſtoria requiris? Audio hæc

Liuij & Salluſtij comparatio.

enimuerò, inquit, nec ſententiam muto: quia ſimul audio, propterea Liuio priorem habitum eſſe Salluſtium, quòd ille paulo inflaret vehemen

mentiùs, & oratione minùs caſtigata quàm Hiſtoriæ poſtulet authoritas, effluere interdum & luxuriare videatur, cùm tamen Salluſtium ſcriptorem ſeriæ ſeueræque orationis, ac proprietatis ſeruantiſſimum antiquitas appellauerit. Nec tu me teſtimonio Ciceronis abſterres. Exornandam ille quidem cenſuit Hiſtoriam epidictico etiam more, ſed *cùm pugna* (ſic enim loquitur) *aut regio deſcribitur* (in quo minùs fortaſſe peccauerit Liuius deſcribens Alpium regionem) *aut cùm conciones interponuntur & hortationes, in quibus tamen tracta quædam & fluens expetitur, non hæc contorta & acris oratio.* Audis, opinor, Benci, ac planè intelligis, quo loco, & quatenus per Ciceronem liceat, dicendo vt ſeſe attollat Hiſtoricus. Prælia locorum interdum ſitus ſæpiùs ardor dimicantium copiarum, ſæpiſſimè verò Ducum adhortationes, quippe quæ Poëtarum è ſchola plerunque transferuntur, canorum aliquid in Hiſtoria poſcunt ac tubam.. in cæteris autem partibus eodem tenore, hoc eſt, temperatè caſtéque, nec ſine elegantia (quæ tamen rebus tacitè inſeruiat, non contumaciter officiat) narrandum egò quidem ſentio, nec diſſentire Tullium, aut quemquam dicendi Magiſtrum puto. Hîc Antonianus ad Muretum conuerſus; Bene habet, inquit: liberaſti me magno metu, dum ad extremum confeciſti, non eſſe ab re Hiſtoriæ, conciones & pugnas complecti grandiore ſtylo. atque huc te vt deducerem, ſpectabat illa demum interceſſio mea: attuleram enim ipſe id, quod heſterna nihil die, ſicuti etiam Bencio, recitandum hodie præſcripſiſti; ſed cùm audirem, Hiſtoriam à te ſpoliari glo

A. Gell. lib. 17. c. 18.

Quando ornari ſe diligentiùs patitur Hiſtoria.

Prælia potiſſimùm & conciones quomodo ſcribenda.

glorioſis hiſce nominibus, verebar ne, ſi quid lucubrationum mearum,te mihi non conciliato, proferrem; reas ſtatim ambitus ſine vlla ſpe veniæ pronunciaretis, itaque decreueram hac ſuper re verba in ſenatu facere omninò nulla, ſed veteri forma, In alium diem: Iam verò quandoquidem Hiſtorico ſuos etiam lacertos ac toros cùm opus eſt, accommodas; vtar poteſtate à te facta, & æquiore animo referam aliquid Hiſtoriæ, quam Pij V. Principis noſtri iuſſu aggreſſus ſum de nauali prælio paulo antè ſumma huius ſeculi felicitate commiſſo;idque etiam libentiùs referam,vt te,Benci, ad ſymbolum quoque tuum in commune deferendum, exemplo compellam meo. Eius narrationis particula hæc eſt, nam decerpens hinc atque hinc aliquid, non continenti rerum ſerie ſcribo.

Conatus & adumbratio pugnæ concionïſque hiſtoricè ſcribendę.

Nauale certamen.

Pugnæ principium ab ſiniſtro cornu factum: præerat Auguſtinus Barbaricvs conſilio æquè ac manu promptus; quem idcirco obtinere eum locum iuſſerat Aſcanius Cornevs vniuerſæ claſſis inſtruendæ Magiſter, vt aduersùs ferociam Mehemetis Alexandriæ Proregis, qui dextrum cornu promouebat, virum opponeret impigrum ac fortem. Et res ſuccedebat ex ſententia; nam Bragadinæ Quinqueremes duæ inuſitata magnitudine, & duplici grandium tormentorum verſu formidabiles ante cornu paulùm progreſſæ ſe in hoſtium claſſem induerant primæ, atque exploſis à fronte, à tergo, à latere tormentis, multis momento perforatis dilaceratíſque Othomanorũ nauigiis,trepidare primùm, mox etiam inclinare dexterum cornu cœpit.

Quinqueremium impetus & pugna.

Enim

Digitized by Google

Enimuerò Mehemetes ex dedecore in rabiem actus; Hæccine, aiebat ad ſuos, illa pugna eſt quam poſcebatis, ante prælium feroces, in ipſo diſcrimine ignaui? Ac ſimul vociferans, ſimul acinace in timidiſſimum quemque irruens trepidationem ſiſtere adnitebatur. Sed fruſtra omnia: cùm nihil à Quinqueremibus intermitteretur, ſed repetita ingruentium vi globorum paſſim perterebratis nauium lateribus, ingens ederetur claſſiariorum ac remigum ſtrages. Et verò atrox ſpectaculum fuit infecta ſanguine maria contueri, mutilas ac vulneratas vbique naues, fluitantes malos, remóſque iuxtà ac informia cæſorum cadauera, & trunca animæque adhuc plena complurium membra per vndas miſerè colluctantium. Nimirùm vbi exutum ſe magna ſuorum parte vidit Mehemetes, ex deſperatione conſilium nactus, cum aliquot roſtratis nauibus proripit ſeſe ex illo Quinqueremium occurſu, & littus adradens ad Acheloi fauces curſum dirigit tanta celeritate, vt crederetur fuga compulſus in proximas Syrtes impacturus. Sed homo gnarus loci, cùm ſciret eam littoris oram præalto eſſe mari & nauium patiente, ſecurus illac adnauigans, improuisò Barbaricum à tergo aggreditur, qui fraude ſerò animaduerſa, dum iubet cornu obuertere, inconditis repentè clamoribus in latera aliæ rurſus, atque aliæ Othomannicæ triremes incurrunt, & vndique infeſtæ circumſiſtunt. Obſidetur Prætoria à quinque hoſtium triremibus, pugnatur extremis vtrimque viribus, nec vſquam in tota acie atrocioribus animis. Et iam Mehemetes militum numero atque aſtu

Mehemetis furor.

Clades à Quinqueremibus.

Aſtus Mehemetis.

Fam. Strada. P potior,

Digitized by Google

potior, cum expedita ſuorum manu exſcenſione tandem facta, per foros ad Prætoriæ vſque malum intulerat ſeſe, cùm Barbaricus; Itáne verò, inquit, Commilitones? primi hoſtem diſiecimus, noſtríque interea ſocij inchoatam per nos victoriam tota perſequuntur acie, nos hic indefenſi, inulti, pecorum more contrucidamur? Et patiemur hæc ſigna, naues, noſtra hæc corpora inter Othomannica ſpolia in Thraciam captiua deportari? patiemur ſociis in patriam redeuntibus narrari tanta cum Veneti nominis ignominia, ex vniuerſa claſſe vnum Barbarici cornu Turcarum prædæ ceſſiſſe? Quin potiùs, quando in eum deuenimus rerum articulum, vt VEL hauriendus, vel dandus ſit ſanguis, agite, vt eſtis viri, aduocate quantùm eſt virium in dexteras paulo antè victrices, denſatóque cuneo hoſtes temerè affuſos inuadite ac propulſate. ipſe quamquam id ætatis, id virium, primus in hoſtem pergo; aderit mihi pugnanti, vt ſpero, ſummus è cælo Imperator Deus, cuius causâ pugnatur. Quòd ſi fortè ei ſit cordi, meo ſanguine ac vita repræſentare ſalutem veſtram, en caput hoc in omnem aleam volens libénſque deuoueo. Vix ea, cùm ipſe abrepto clypeo è militis manu, ſtrictóque ferro præcurrere in hoſtem cœpit: valuítque adeò apud militem Ducis oratio, & oratione melius exemplum, vt renouato ſumma virium contentione prælio, hoſtémque ferociter aggreſſi, alios ferro cominùs iugularent, miſſilibus transfigerent alios, alios ſcutorum occurſu in mare proturbarent, donec ad extremum exacto per ſummam fortitudinem Mehemete, perfuncta

Concio Barbarici.

Exempli vis.

Cædes hoſtium.

ctam periculo Prætoriam obtinerent. Tenuit ea pugna horæ circiter ſpatium. Sed in ipſo ardore dum Barbaricus nullam omittit partem Ducis ac bellatoris,imperaturus neſcio quid in rem præſentem;poſtquam animaduertit,vocem obiecta clypei non exaudiri ; detegit faciem, ſtatímque inter volantia ex aduerſo tela transfigitur,adactóque intra oculum lethali ferro, interclusa illicò voce concidit exanimis: atque è pugna ſublatus,paulo pòſt nihil intermittēte doloris vi,certior factus,penes iam noſtros ſtetiſſe victoriam; fato conceſſit. Vir planè memorabilis cùm ob cæteras laudes, oris maieſtatem, linguæ facundiam,animi fortitudinem;tum potiſſimùm eo nomine poſteritati commēdandus, quòd ſubortis inter fœderatos non ſemel grauiſſimis diſcordiis;vnus in eo totius Europæ flore repertus eſt omnium arbiter,qui raro exemplo, Chriſtianæ rei dignitatem priuata vtilitate inaníque patriæ nomine potiorem perpetuò haberet. Hæc vbi abſoluit Antonianus,rogare vtrumque enixè inſtitit,vt quorum iuſſu illa fecerat,eorum caſtigatione ſibi perficere liceret:ſed vtroque,ſiue ex animi ſententia, ſiue gratiæ aliquid darent, mirum in modum collaudante omnia,addidit Bencius,tum demum à ſe percipi,cur Hiſtoriam M. Cicero rem geſtam vocaret; adeò ſibi viſus erat non tam narrantem audire, quàm pugnantes in acie ſpectare. Quamobrem amens ſim,inquit, ſi cum vino, quod aiunt, cane meum ipſe praue imperitéque depictum compoſuero. adde tu potiùs,amabo te Murete, quæ ſuperſunt ex Hiſtoriæ præceptis: ego ſi audiar ſub finem, ab Antonia

Mors Barbarici.

Præconiū eiuſdem.

toniano ſcilicet quàm remotiſſimus, abundè eſt. Tunc Muretus; Addo, inquit, te tamen ſponſione non libero.

Nauigare diximus Hiſtoricum inter geminos ſcopulos, quorum iam alterum euitauimus: ſed ne

Hor. in Poët.

In vitium ducat culpa fuga ſi caret arte,

monſtrandus eſt alter; qui vt eſt aſpectu inamabili ac triſti, facilè abalienaret omnes, niſi aliqui reperirentur, qui hanc ipſam orationis mœſtitiam amarent. Infractum dicendi genus ex induſtria, diſſipatum, ſalebroſum, amputatum, & vbi minimè expectes, relicturum; hiſtorico muneri arbitror perſanè incommodum. Nam ſi promouendus eſt continẽter in Hiſtoria lector, atq; abſtrahendus vndecumque, modò medias inter res quàm minimo laboris traducatur; quo id modo præſtet Hiſtoricus oratione offendẽre velut inter ſaxa & reluctante, aſpera, hiatibus interrupta, afferente legentibus obicem ſubinde ac moram? Equidem ipſe impedito & calculoſo itinere non propero. quoties autem inter legendum offendo iſtas verborum ſententiarúmque ſalebras, & tanquam ferreos murices humi ſparſos, eluctor ſanè vt poſſum inter eos aculeos; at inde perfunctus vix tempero, quin malè ſcriptoris infelicitati dicã, qui me iis ſẽticetis ne quidquam induerit. At hæc loquendi ratio, ſubiecit Bencius, propior videtur ſimplicitati, ad cuius normam tu paulo antè Hiſtoriam exigebas. certè ea res indicat nõ integratam negligẽtiam hominis de re magis quàm de oratione laborantis. Atque vt nonnullæ ædium ſacratarum rudes attritæ

Incultum aſperúmque dicẽdi genus an aptum Hiſtorico.

Salebroſa oratio legentium mora.

Quid laudis aliqui tribuant huic generi orationis.

tritæque ac vetuſtate propemodùm corruptæ religioſiùs interdum coluntur, quàm quæ magnifico ſunt opere atque eleganti; ſic illa incurioſa ſermonis ſtructura ſæpenumero maiorem habet venerationem ac fidem. Cui ſubridens Muretus; Nimirùm, inquit, matertera etiam mea aduersùs Principem ſtomachabatur olim, quòd ſacellum neſcio quod malè materiatum ac ruinoſum refeciſſet inaurato albario, ſectóq; ac perpolito marmore. aiebat enim excidiſſe ſibi ab animo omnem eius loci Religionem. Sed non omnis verborum indiligentia atque ceſſatio ſinceritati conducit orationis. quamquam hæc non tam indiligentia eſt, quàm ignoratio: ignoratione porrò ſtultè nimis colligitur opinio veritatis. Ego verò, excepit Antonianus, Cor. TACITI (nam hic monſtrari digito ſolet) dictionem illam ex horrido comptam, interciſam, & ad expectatum raró cadentem non arbitror ignoratione ac temerè prolatam, ſed conſultò ac ſtudio laudis, quam ſe adepturum ex eo dicendi genere putauit. Egregiam verò laudem prædicas; inquit Bencius. An quiſquam eſt aure vſque adeò agreſti, vt ſe iſtius lectione fraudatum non intelligat? Sperauit, credo, TACITVS, ſe gratiam initurum apud lectorem, ſi ſuſpicioſis eum intimiſque ſententiis ſuſpenſum haberet identidem, atque à narrationis Hiſtoricæ curſu ſtrenuè moraretur. Nam quid ego de numeris loquor? quos, ſi quis inter legendum aurem ſuam interroget, numquam iſtic ſentiet: niſi fortè amet muſicam duriuſculam, delectetúrque percuſſionum modis, qui non tam deſinant, quàm cadant præter ſpem &

Veteris ac ruinoſi templi cũ rudi oratione cõparatio.

De Corn. Taciti ſtylo.

Aduerſùs eum tanquam obſcurum.

Et durum.

Et liberũ poëticúmque. & modum. Quî potes, blandè ſuſcepit Antonianus, poëticos numeros in eo deſiderare, qui Annales ſuos ab integro hexametro eſt exorſus? *Vrbem Romam à principio Reges habuêre.* Nempe, reſpondit illicò Becius, tam numeroſa ſunt cætera, quàm iſte cadit hexameter numeroſè. Et tamẽ hîc idem ſcriptor infenſus adeò concinnitati ac numeris Poëtarum, ita ſe interdum in Poëtarum familiaritatẽ inſinuat, vt non quę apud illos vſitata atque cõmunia, ſed quæ rara & extremæ cuiuſdã licentiæ ſunt, ea confidenter, atque etiam intẽperanter vſurpet. Mitto illa, *Occultus odij, ferox ſcelerũ, ingens animi, pecunia modicus, ambiguus pudoris, maris potens, oblata occaſionis properus, turbidus conſilij, in obſcuro lucis, multo iam noctis, cuncta camporum, ſpirantẽ ac vita manifeſtã aduertẽrũt, quoquo facinore properus clareſcere*; atq; alia his nõ ſanè modeſtiora, quæ apud cõfidentiſſimos quoſque Poëtarum quàm apud Tacitũ rariora ſunt. Quid illa? nónne Poëtarũ libertate dicuntur? *Præmiſſo Cæcina, vt occulta ſaltuũ ſcrutaretur, pontéſque & aggeres humido paludũ & fallentibus cãpis imponeret; incedũt mœſtos locos, viſúſque ac memoria deformes.* Aut illa? *Nox per diuerſa, inquies, cùm barbari feſtis epulis, læto cãtu, aut truci ſonore ſubiecta valliũ ac reſultantis ſaltus complerent.* Illa verò mera ſunt Pœſis: *Sceuinus promptum vagina pugionem vetuſtate obtuſum increpans, aſperari ſaxo, & mucronem ardeſcere iuſſit.* Addite quoque illa eiuſdẽ notæ; *Meſſallina non aliàs ſolutior luxu, adulto autumno, ſimulacrum vindemiæ per domũ celebrabat: vrgeri prœla, fluere lacus, & fœminæ pellibus accinctæ aſſultabant vt ſacrificantes & inſanientes Bacchæ: ipſa crine fluxo thyrſum quatiens, iuxtáque*

Exempla dictionis poëticæ apud Tacitum.

lib. 1. Annal.

lib. 1. Annal.

lib. 15. Annal.

lib. 11. Annal.

táque Silius hedera vinctis gerere cothurnos,iacere caput,ſtrepente circùm procaci choro. Nónne hic,rogo, character ille ipſe eſt, quem Poëtæ ſuum prædicant eóque arceri ab ſe alios ſcriptores gloriátur? Vt ſanè TACITVS dū ex vna parte orationem infringit ac diſſipat,abhorrétq; ab ea,quā à Poëtis habemus,ſuauitate ſermonis: ex altera dū paulo familiariùs cū Poëtis facit, eorúmq; dicēdi peregrinitatē indiſcreto propemodùm ſtylo trāsfundit in Hiſtoriā è duobus ſcopulis,quos tu,Murete cauēdos paulo antè deſignaſti,neutrū prorſus euitaſſe,mea quidē ſententia,videatur. Et tamen non deſunt, qui hūc ſcriptorem hac etiā dicendi laude magnifaciant tanto ſtudio,vt eum vel Cæſari, Saluſtióque ſi minùs præferant, certè nō poſthabeāt.Non id opinor,ſuſcepit Antonianus, laudatur in Corneliano ſtylo,ſed acumen cōtractæ dictionis & ſubiti quidam ictus ſententiarū,in quibus PLVS intelligendū plerúnque quàm legendū ſit. Et verò vnius aut alterius verbi quaſi ductu ſententiam finire, atque audientiū animis ea etiā ſubiicere quæ non audiūt,artis eſſe atque ingenij laudem arbitror non vulgarē. Nam ſi EXTREMA corporum pingere,& verſuras oſtendere deſinentiū membrorum,rarū in ſucceſſu artis inuenitur, vt pingendi artifices affirmant. ambire enim ſe debet extremitas ipſa,& ſic deſinere,vt promittat alia poſt ſe,oſtēdátque etiā quæ occultat;cur,obſecro te,orationē ingenioſè ita cōformare,vt poſt eius finem aliquid etiam legatur,non dicemus ad artificij ac ſtyli præſtātiam pertinere?Neque hæc eò dico, Benci,quò omnia Cornelianæ dictionis tueri velim.cætera eius quæ dicis vitia nihil mo-

Quid in Tacito commendandum videatur.

Acumina contractæ dictionis.

Picturæ & orationis comparatio.

ror (quamquã ego non tam vitia hominis appello, quàm temporis. NECESSE erat ea tum ſcribi, cùm non niſi ea legerentur) ſed ea nihil purgo, vno verbo ad lectorẽ prouoco, à quo cùm videam aliorum volumina interdũ & quoquo modo lectitari, hanc vnius Hiſtoriã intentè ac ſeriò legi, litẽ mihi videor peroraſſe. Tunc Muretus; Satius erat, inquit, ex Platonis lege de re generatim præcipere non declinare ad hominum ſingulos. ſed quoniam huc quoque me altercando deduxiſtis, accipite hac ſuper re ſententiam meam. Apertum dicendi genus, & cum lenitate quadam æquabili profluens, nemo adhuc, quod ſciam, magnopere ſuſpexit in Tacito. quam ille dictionis formam ſine deſperatione reformidauerit, ſiue iudicio, quod propius eſt vero, refugerit; certè aſperitatis aliquid, tenebrarúmque interdum non euitauit; non eas quidem tenebras loquor, quas in hoc ſcriptore vident aliqui ex eo genere hominũ, qui quod vitio fit ſuo, penès alios ſtatuunt culpam: haud abſimiles amico vtriuſque noſtrûm, Antoniane, qui quò ſurdior in dies fit, eò miratur queritúrque magis, quòd inualuerit inter homines hoc tempore conſuetudo ſubmiſſiùs quotidie loquendi. Sed in Tacito aliquid reſidere culpæ non propterea negauerim. nam nimio illo ſemel adamatæ locutionis ſtudio, ſenſa ſuſpenſione vocum obſcurauit aliubi, aliubi orationem interſiſtentem & claudicantem ægrè promouit, numeros aliubi concidit, delumbauítque ſententias. hæc autem tantò minùs commendationis afferunt ſcriptori, quantò lectori plus afferunt cunctationis atque moleſtiæ. Tractã fluentémque

Temporis vitia.

Iudicium de Taciti ſtylo.

Propriorũ vitiorum culpa in alios trãſfuſa.

ora

orationem aſſignauit Hiſtorico M.Tullius, vt ſupra dicebam; Hiſtoriam currere debere ac ferri, ideóque minùs ei conuenire interſiſtentes clauſulas apertè docuit Quintilianus: probauit Phalereus hiſtoricam periodum neque ambitu circumductam operoſiùs, neque remiſſam negligentius: Lucianus inter numeroſam fractámque conſtituit: in ipſo Thucydide orbē orationis deſiderauit M. Tullius; nos elocutionem in Tacito diſſolutam cultámque laudabimus? Licuit hoc quidem Hiſtoriæ veteri, in qua vt erat rudior, nemo, Tullio teſte, aliud quæſiuit ornamenti genus, quàm vt mendax non eſſet. at verò nouam, vt idem affirmat, ornatam omnes volumus, diſſimulanter tamen ac decenter, in eáque etſi non numeros, numeroſi tamen aliquid amamus, prouehit enim continenter lectorem æquabilis ille curſus ac volubilitas orationis eúmque ſecū tacitè rapit ad nouam ſubinde factorum cognitionem, quorum fructu metiendam vnicè putamus Hiſtoriam. Illa verò dictionis acumina paulo ſecretiora; veluti ſenſa myſteriorum, totúmque illud artificium multa paucis complectendi, dicendíque etiam illa quæ non dicuntur, quamquam & ingenij, & prudentiæ laudem habēt, ego tamen, quod ſpectat ad hanc diſputationem, ſi laudarem in Hiſtoria, iniuriam facerem M. Tullio, qui in ipſo Thucydide non probauit ſentētias eiuſmodi, vt ille loquitur, conciſas nec ſatis apertas, quæque contractione ſua officiant, ac nimio acumine. Sint illa vt libet ingenioſa, ſint politicà atque huius temporis; obſcura certè ſunt: atqui dictum eſt vetus, EGREGIAM muſicam, quæ ſit

lib.9.c.4.

In Orat.

Veteris Hiſtoriæ lex.

Acumina ſententiarum ſecretiora haud valdè probanda in Hiſtoria.

In Bruto.

abſcondita, eam eſſe nulli rei. Quid, quòd hæc ipſa dum tenui & ambigua luce præteruolant, hærentem conaniémque lectoris animum fatigant; eundem dum percipiuntur, & admirationem ſui pariunt, non ſine aliqua Hiſtoriæ mora, transferunt ad ingenium ſcriptoris ſuſpiciendũ? Vt ſanè ſiue ignorata, ſiue cognita, ſemper legentis auiditatem à curſu rerum geſtarum nonnihil interpellét. Sed nos leuiſſima iam, vt video, conſectamur, perfuncti paulo grauioribus, ex iis quæ diſquirenda erant hodie de verbis Hiſtoriæ. Hæc ſi addantur ad ea quæ de rebus heſterno die definiuimus, abſoluta videri poterit de ſtylo hiſtorico diſputatio, quam communi ope atque opera diſceptauimus; ſi tu tamen, Benci, vti pollicitus es, addideris ſupremam manum. Tunc ille; Faciam, inquit, quando nullum mihi effugium ex hoc, quò me compuliſtis, angulo relictum video, & quomodo peccetur aduerſùs præceptiones tuas, neque enim expectare vos aliud à me iubeo, oſtendam luculenter exemplo meo. Facinus certè in medium afferam dignum annalibus, quod nuper eſt auditum poſt expugnationem Cypri, ſtragémque Nicoſiæ factã ab Othomannica claſſe. id, vt tu, Murete imperaſti, tum Hiſtoricorum, tum Oratorũ, tum Poëtarum tripartito ſtylo complexus ſum. Accipite igitur hæc primùm ad hiſtoriæ fidem ac normam loquendi.

Facinus memorabile poſt expugnationem Cypri.

Hiſtoricè narratum.

Expugnata iam Nicoſia, vrbe totius Cypri opulentiſſima & ſexaginta hominum millibus frequente, Muſtaphus rerum ſucceſſu ferox, vrbis reliquias prædabundo militi donat. Deſiderati dicuntur in ea cæde veriùs quàm pugna ſu-

prà

pra quindecim millia Cypriorum, capti ad viginti millia. Præciſum Danduli Prætoris Inſulæ caput Salaminam, muneris loco, mittitur ad Vrbis Præfectum. Ex manubiis atque omni præda Muſtapho pretioſa quæque ſeruantur: ille nauigia duo, & ingentem Myoparonem ſpoliis onerat. in primis verò egregios forma pueros, puellásque tota ferè Inſula conquiſitas Myoparoni imponit, tradítque omnia quadringentis prætorianis militibus Selimo Imperatori cōportanda: ſiue vt eſſent argumentum victoriæ, ſiue vt eo lenimento ſibi conciliaret ambiguum Principis animum. Vehebatur eo Myoparone inter captiuas Cypria puella nobilis, quæ ſecum reputans, quid eueniſſet patriꝗ ac ſuis, quid ſibi in Selimi poteſtate euenturum eſſet; magnum quid animo agitare cœpit. Et iam è portu ad duo milliaria proceſſerant, cùm milite nitratum puluerem extrahente ad vſum tormentorum, interuenit inibi puella cum lumine. Enimuerò nacta patrandi facinoris opportunitatem, ardente in animo flamma, reſpectans modò patriam, modò cælum, propiùs repentè proſilit, ac deliberata morte ferocior, ingenti ſanè auſu intra ca receptacula ignem iacit. Emicuit illicò feralis flamma, magnóque fragore auulſa à ſedibus ſuis tabulata, atque in altum excuſſa, rapuêre ſimul eadem vi ſemiuſta hominum corpora: permiſtáque & conglobata omnia in aquam decidêre miſerabili ſonitu. cæteri aut colliſi inuicem & conſauciati, aut incenſi excepti que vndis expirauêre. Nec ſe intra Myoparonem continuit clades, fragmentis hominum tabulatúmque ex alto la-

Cæſorum captiuorúmque numerus.

Captiui & ſpolia Bizantium directa.

Cypria vna ex captiuis puellis.

Eius facinus.

Incēdium nauigiorū atque hominum clades.

, tè

tè decidentibus corripuit ignis proxima nauigia, horæque vnius ſpatio, quantùm erat toto Regno conquiſitum prædæ hominúmque, quatuor exceptis, ex quibus rei ſeries dein cognita, in oculis Inſulæ, Muſtapho ipſo inſpectante conſumptum eſt. Sic vna captiuarum ſiue hoſtium odio, ſiue amore pudicitiæ, præſenti certè conſilio, eadem opera & barbari Ducis ambitionem fregit, & ſe ſuóſque ſubtraxit ſeruituti, atque dedecori. Hæc narrata ad Hiſtoriæ legem. addo nunc eadem Oratorum more conformata.

Idem Oratoriè repetitũ.

Intulerat iam ſeſe in Vrbem Othomannicus exercitus & ſuopte ingenio ferox, & victoriæ licentia, conceptáque populationis ingenti ſpe furens ac præceps, cùm ad illatam Chriſtianæ rei cladem omnium maximam, ne quid miſeriarum deeſſet vltrà, Muſtaphi Ducis indulgentia, ſubiiciuntur ciuium bona militum prædæ atque libidini. Diripiebatur Vrbs Inſulæ caput, in quam Regni opes atque arma confluxerant: deliciarum ſedes, & quondam hoſpitium gratiarum, voluptuaria ac beata hominũ natio, immani hoſtium truculentiſſimorum furore ac rabie cædebatur: fluebat per fora ac vias cadaueribus oppletas interfectorum ſanguis: non ætati, non generi parcebatur: &, quod ſine cõmiſeratione dici nequit, aræ paſſim ac templa, Cælitúmque imagines indignis ſanè modis polluebantur: matronæ nobiles puellæq; ac ſacræ Deo virgines è gynæceis ac penetralibus ad omnem barbarorum libidinem fœdiſſimè rapiebantur: ciuium fortunæ, templorum ſupellex, captiuorum corpora, ſacra profanáque omnia, rapina, cæde, ludibrio diſtrahebãtur,

Depopulatio Vrbis.

tur,conculcabantur,violabantur. Muſtaphus ad augendum iis,qui ſupererant, ciuibus terrorem, circumduci per Vrbem ſuperbè iubet Danduli Prætoris caput, mox ad Salaminæ Præfectum deportari. Ipſe interea quantùm erat tota vrbe ac Regno gemmarum,quantùm auri argentíque cùm cælati,tum rudis, veſtem præterea opere vario, ac ſigna complura; demum præcipuos quoſque captiuorum,& præſtãtium forma puellarum puerorúmque greges duabus onerariis ac Myoparoni impoſita Selimo Imperatori Bizantium dono glorioſè mittit. Vix ſoluerant è portu nauigia ſpoliis onuſta, cùm in magna captiuorum lamentatione,ac fœminarum in primis ciulatu reſpicientium ſubinde patriam,vltimúmque ſalutantium;vna puellarum reperta eſt,quæ forti animo ac ſtante vultu facinus eſt aggreſſa omnium ſeculorum memoria prædicandum. Hæc, vt erat integritatis amantiſſima, id vnum timebat ſcilicet,id vnicè Deum rogabat, vt periclitanti pudicitiæ opem ferret,confirmaret ſibi eam mentem quam dederat ad eam diem, auferret à ſe corrumperétque, ſi quid erat formæ, cuius gratiâ peruersè amabatur, aut ſaltem vitam auferret ac ſpiritum, quo ſpoliari potiùs quàm pudore non cupiebat modò, ſed etiam ardentiſſimè flagitabat. Et verò auditæ preces: nam dum claſſiarius ollas ſulphurati pulueris ex vſu procurat, fortè illâc virgo præteriit accenſa face, ſtatímque ſuccendi ſibi animum ſenſit immiſſa è cælo flamma: neque enim aliunde crediderim conflagraſſe tam generoſum pectus. Vidit dari iam ſibi mentem ac locum, quo rem

Muſtaphi ſæuities.

Eiuſdem rapacitas.

Cypria puella.

Eius ad Deum preces.

Oblata facinoris opportunitas.

mo

Digitized by Google

momento transfigeret, iaceret extremam omnium aleam, séque ſemel ab infami iugo ac meretricio dedecore, quod infra nihil ei accidere poterat, vindicaret. Ergo propior militi facta nihil tale cogitanti, ad ea loculamenta manu clàm ſtrenuéque admota (ô fortitudinem puellæ inauditam! ô manum! ô mentem!) medio nigri pulueris aceruo ſubiicit facem. Enimuerò, flamma celeriter concepta, omnia terro ſimul incendio conflagrarunt, ſimul ingenti tonitru diſſiliente nauigio, alij veluti è tormentis muralibus in altum ſublati, alij aut vapore præfocati, aut igne combuſti, tabulíſve vnà fumantibus impliciti, in aquis perquàm miſeris modis extincti ſunt. Demum trãſmiſſo pariter igne in proximas onerarias, graſſante incendio per tabulata pice adipéque illita, ingentes illæ machinæ laxatis compagibus, ac diſtractis toto æquore fragmẽtis conciderunt. Atque in hunc modum opes tot annorum ſpatio collectæ, ac Cypriæ flos nobilitatis, proſpectantibus è Nicoſiẽſe littore ciuibus, ſtragémque ſuorum tanquam in ſcena lamentantibus, voraci inter vndas incendio celerrimè deflagrarunt. Et tu quidem, puella nobilis, vlta patriæ ruinam, vlta tuorum necem, reſtinxiſti ea flamma tot faces libidinis, interceſſiſti captiuorum ſeruituti, obtuiſti hoſtium auaritiam, præconiúmque victoriæ, exemplum denique defenſæ fortiter pudicitiæ poſteris reliquiſti. Hæc ab Oratoribus; à Poëtis eadem poſtremò accipite in hunc modum.

Præſens animus puellæ.

Strages conflagrãtium nauium hominũque.

Puellæ prçconiũ.

Poëtica narratio eiuſdem rei.

POSTQVAM res Cypri, ſedémq; euertere Regni
Odryſiæ potuêre acies, cecidítque ſuperba

Nice

Nicoſia, atque omnis mœret Cythereia tellus;
Muſtaphus bello victor truculentiùs ardet
Attollitque animos, ciuéſque vrbémque remittit
Militis arbitrio, & prædam poſcentibus addit.
Inuadunt vrbem, & quidquid modò cœca nocendi
Præteriit rabies, ſubitaque inſania cædis, Præda & ſtrages.
Hoc inhians præda repetit furioſa cupido.
Et ſtrages non pugna fuit. pars altera ferro,
Altera pars iugulis agit. Implacabilis ipſe
Signa mouet Ductor, ſectúmque ante ora ſuorum
Prætoris caput oſtentat: ſimul agmina circum Muſtaphi furor.
It vagus, attonitámque replet terroribus vrbem.
Non ita ſanguineum quaſſat Bellona flagellum
Ægidis obiectu, ſi quando in prælia Mauors
Biſtonas immittit, cogitque aſſurgere valles
Oſſibus albentes, & euntes ſanguine campos.
At ſpoliis, quacũque (Ducem namque illa remordet Præda nauibus impoſita.
Cura magis) tota rapuêre è diuite Cypro,
Tres onerant latas pretioſa merce carinas.
Veſtes argento intextas, defoſſa talenta
Infecti factique auri, ſigna aſpera gemmis,
Cateráſque auro ſolidos, captiuáque Regni
Agmina nobilium, pueros atque ore puellas
Ingenuo, multo vigilandam milite prædam
Nauibus imponunt. IPSE HÆC monumenta triumphi
Threïcio mittit Muſtaphus dona Tyranno.
Iámque relinquebant portum, ventóque ſecundo
Odryſias vexilla dabant errantia lunas.
Aufugiunt puppes, retróque remurmurat vnda
Icta ſalo, humentíque albeſcunt æquora ſulco.
Littore ſtant longo matres, & rapta per vndas Matrum querimonia & anceps cura.
Pignora chara vident: nec quid ſoluentibus optent

In

Inueniunt. quid enim prodeſt per cærula curſum
Poſcere felicem, ventóſque orare ferentes?
Scilicet vt faciles contingere mœnia Thracum
Detur, & immiti longum ſeruire Tyranno.
Naufragium, Cauróſque truces, finémque malorum
Orarent potius; refugit tamen iſta parentum
Mollis amor teneróque micans in pectore ſenſus.
Suſpenſis igitur votis, ſine fine querelas,
Quod ſupereſt, fundunt, & quæſtu littora complent.
Nec minùs ingenti ſulcata per æquora luctu
Reſponſant naues, & fœmineo vlulatu
Myoparonis deſcriptio. *Cuncta ſonant, repetúntque incerta littora voces.*
Illa, quæ geminas inter ſublimior alto
Innabat puppis, veliſque capacibus omnem
Hauribat Boream, & magna ſe mole ferebat;
Fortè vehebatur præſtanti corpore Virgo
Cypria: plorantes hæc inter ſola puellas
Sicca genas, alto facinus ſub corde premebat.
Cypriæ ſocias puellas conſolantis oratio. *Nec tacuit; portu nam vix egreſſa, dolentes*
Affari, & dictis lenire ita cœpit amicis.
Quid iuuat, ô ſociæ, crinémque & pectora palmis
Dilacerare modis non proficientibus? aut me
Credula ſpes fallit, grande aut aliquid canit intus
Inſidens animo Numen. Sequar omnia tanta.
Quidquid id eſt, certè magnum eſt, quod tendere dudum
Mens agitat mihi, nec ſegni contenta querela eſt.
Talia conanti ſimilis, ſimiliſque furenti
Cypria, ſed miſeris non exaudita canebat.
Receptaculum ſulphurei pulueris. *Eſt locus extremis ſubducta in parte carinis,*
Quo grandes ex ære globos, & pulueris ollas
Sulphurei, plumbique moras tabulata coërcent.
Hic miles dum nitra manu liuentia tractat,

Affuit

Aſſuit & Virgo,ſubitóque in pectore flammæ
Exarsêre noua,ſecúmque; En,inquit,apertus
Libertati aditus.faciam quod Numine dextro
Iamdudum meditor: miſero via nulla pudori
Iam ſupereſt, turpes niſi flamma abſumere flammas,
Et niuibus ſperare meis incendia. Quantùm
Heu peragam ſtragis,ſtrages ſuper ipſa futura!
Sed peragam:SIC igne iuuat ſuccendere pectus.
At vos ô flammæ,vicina pabula morti,
Accipite hanc animam,méque his arcete periclis,
Et ſceleris puram,donec licet,addite cœlo.
Interea extinxiſſe nefas laudabor,& hoſti
Prædam auertiſſe,& cineres ſatiaſſe meorum.
Sic memorat,fatóque inſtante ferocior odit
Iam lucem,dextráque facem,quam fortè gerebat,
Suſtulit accenſam, Diuiſque in vota vocatis,
Reſtitit ancipitis ſimilis,dein concita rurſum,
Quid ceſſas anime, increpitat, quando I P S A vocat res?
Ah pereat mecum, mihi ſi quid amabile forma eſt:
Atque Helena ſaltem,caſta flagret æquore Cyprus!
Nec plura his, iaculata facem ſtetit.Ilicet arſit
Extemplò fulgur, tonitrúque exterrita pinus
Euomuit flammarum vndas, & fragmina cœlo
Suſtulit auulſa diſiecta mole carinæ.
Nec tantùm, ruptis quoties fornacibus Ætna
Horrendum ſonat, accenſas liquefacta per auras
Saxa volant,piceúſque ambuſtæ nimbus arenæ
Pellitur,atque imo diſcluditur Inſula fundo:
Horrifico quantùm tabulata excuſſa fragore
Aëre diſſiliunt, trunciſque cadauera membris,
Seminecéſque artus,& grandes orbe molares,

Cypriæ deliberãtis conſilium.

Morituræ oratio.

Facinoris aggreſſio.

Incendiũ.

Strages.

Flagrantéſque trabes nube euoluuntur eadem,
Et cœlo confuſa gemunt, magno inde ſonore
Præcipitant, pelagus ſtridenti extinguit in vnda.
Incendij & ſtragis incrementa. *Nec verò ſtetit hîc ſtrages, ſed tempore eodem*
Africus incumbens pelago tædáſque volantes,
Præcipitéſque globos, & ſaxa reciproca longè
Detulit, & ſocias ſubeuntes pone carinas
Inuoluit flammis: illa piceo vnguine pingues
Accipiunt inimicum ignem, ſimilíque fatiſcunt
Clade ambæ. Furit immiſſis Vulcanus habenis
Tranſtra per, & liquidis manantia robora ceris,
Auulſáſque trabes diſterminat æquore toto,
Triſtes relliquias. Fluitat captiua ſupellex.
Scuta virûm, galeæque, & Cypria gaza per vndas,
Signáque rapta Ducũ, transfixáque pectora remis,
Et ſingultantes extis fumantibus artus.
Quin etiam extincti paſſim ſuper æquore piſces
Ex illo viſi tabulæque in gurgite vaſto
Innantes, & adhuc incendia ſola ferentes.
Multa quoque ad terras ſemiuſtis corpora formis
Matrum dolor. *Venerunt, æſtus eiectamenta furentis,*
Impleruntque ſinus deſertò in littore matrum:
Quæ dubios artus, incertáque membra legentes
Sed charas tamen exuuias, vos térque quatérque
Inuidêre, quibus cum libertate cadente
Contigit oppetere, & patria ſupereſſe negatum eſt.
Tu verò ante alias fortunatiſſima Virgo,
Quæ dudum ingratis latuiſti ignota ſub vndis,
Tempore iam ex iſto, ſi quid mea carmina poſſunt,
Emerges me Vate, tuúmque in ſecula nomen
CYPRIA defenſi dabit argumenta pudoris:
Et priſcas inter numeraberis Heroinas.

Sic Bencius: víxque deſierat, cùm Muretus, qui

vnà

vnà cum Antoniano defixus aptúſque ex ore dicentis audierat, illicò hominem complexus; Macte, inquit, iſta tam multiplici virtute; atque ore trilingui. iam verò ego quoque mihi ſumo tuis quæſitam meritis ſuperbiam, iubeóque meo inſcribi elogio, MVRETVM præceptorem Bencij. ac ſimul exurgens; Dimittamus, inquit, Senatum: pudet enim non ſilere poſt tam canoras Muſas. Atque hæc ſunt, Auditores, quæ de nota & charactere Hiſtorico quaſi à nobili Triumuiratu pertractata, mihíque à Bencio tradita, Dialogi fide dicenda propoſui. Quibus aliquando abſolutis, vt tum quidem Muretus ſuos, ſic ego nunc meos dimitto veteri forma, NEMO VOS tenet.

Q 2 PRO

Digitized by Google

PROLVSIO QVARTA.

Forma legendæ, ſcribendæque Hiſtoriæ ex Tito Liuio petita.

SIVE

Ciuilis inſtitutio, & Politica præcepta ad omnem vitam cùm in pace, tum in bello temperandam, ex narrationibus rerum geſtarum, quæ vna Liuiana Decade continentur, expreſſa.

QVÆ ſuper hiſtorica dictione de Bencio præceptore meo apud Hippolytum Card. Eſtenſem Tyburi agente didici, & duobus continenter annis, in hiſce repetitionibus litterarum cum Auditoribus communicaui (Cardinales Ampliſſimi, tam ſecunda omnium admurmuratione plauſúque ſunt excepta, quæ veſtræ tum humanitatis in me, tum ſtudij aduersùs Muretum, Antonianum, Bencium, magna illa nomina laus eſt; vt exiſtimauerim, amplius ea de re pronunciari poſſe, atque in ſpem venerim fore, vt etiam extra ſcenam atque Dialogum, meóque propoſita nomine non vtique vulgò diſplicerent illa, quæ addimenta forent eorum, quæ alienis dicta nominibus ipſa ſe vobis tantopere probauiſſent. Ad opus animum adieci aggreſſione ſpecioſum, ſed exitu tardum atque anceps. Nam tertio abhinc anno, dum

Occaſio huiusproluſionis.

accura

accuratè de Hiſtoria dicerem ex hoc loco, & hiſtoricos vocarem, quod aiunt, ad calculos; oſtendi Corn. Tacitum nulla mihi gratia odióve nominatum, animaduerſionibus præceptíſque inter narrandum ſæpiùs aliquantò, quàm hiſtoricum deceat, interſiſtere: ac propiùs interdum accedere ad politicum præceptorem, quàm ad ſcriptorem Hiſtoriæ. Et vera audire tum ſe fatebantur, opinor, omnes: nam etſi ad Hiſtoriam vitæ magiſtram pertinet vitam inſtruere; id tamen continenti rerum geſtarum narratione facit, non crebra apertáque ſubiectione conſiliorum. dum verò commemoratione factorum clàm docet, non minùs vitam inſtruit, quàm ſi præceptionum parerga ad ſingula palàm exempla quamuis acutè ſubiiceret. Quo nomine T. Liuium animaduerſionum parciſſimum tanti ego quidem facio, tantúmque habere momenti prædico ad hæc priuatæ vtilitatis compendia, in quibus hoc tempore ingenioſi ſumus ſupra omnem antiquitatem; vt eum Corn. Tacito politicæ calliditatis magiſtro non ſanè poſthabeam in ea ipſa ciuilis doctrinæ ſchola, vbi ille Regnorum arbiter, multorum ſententia, dominatur. Quæ fuit cauſa, vt magnum quid animo conciperem, conſiliúmque inirem, Liuium cum Tacito committendi: vt periculum facerem, vter eorum plura ad ciuilem doctrinam præcepta mortalibus ſuppeditaret. Imò auſus ſum etiam ſperare, oſtenſurum me, vix vllum eſſe paulo callidius conſilium arcanúmve Imperij (quorum hodie poſſeſſio penès Tacitum eſt) quod è Liuiana Hiſtoria elici abundè non poſſit. Verùm dum

Tacitus politicus præceptor.

Munus Hiſtoriæ.

T. Liuij commendatio.

An Liuius poſthabẽdus ſit Tacito in ciuili doctrina.

Q 3 rem

rem ſpei plenus aggredior, ac magnos inter ſeſe ſcriptores conferre incipio;ecce mihi diuturnioris operæ atque otij ægrè molem promouenti alia interim res ab ea quam cudebam, naſcitur inter manus. Nimirùm ita vſu venit in rerum difficilium tractatione. Qui auri confecturæ (Alchimiam Arabicè nominamus) hoc tempore ſtudent fumoſi homines ac deuota igni capita, quamuis auri comparandi quam cupiunt artem nuſquam adinueniant, multa tamen eadem opera condiſcunt, ac ſæpenumero mira naturæ arcana in lucem proferunt. Sic olim argentum, quod viuit micátque perpetuò, conflandi auri occaſione repertum potiùs quàm inuentum ferunt: ſic hodie rationem gemmas emaculandi, aërem in niues cogendi, aquam pro oleo ad lumen vſurpandi, aliáque complura haud prorſus auro inferiora didicêre nonnulli, dum vnicè aurum quærunt. quare operam non ij perdunt, qui defraudati licèt auro, in hæc tamen admiranda plerunque diuertunt. Ita in hac comparatione ſcriptorum quam animo agitabam, euenit mihi: qui etſi nondum planè tetigi quod auebam, proximo tamen in gradu ſteti: nec interim operam luſi, dum eò me ſors impulit, quò vela, non vota dirigebam. Quid hoc ſit, verbo ſemel expedio. Aio è T. Liuio tantùm doctrinæ ciuilis addiſci, modò lectorem habeat ingenio non omninò agreſti aut deerrante, vt vel ex vna librorum eius Decade non dubitem quin vita penè omnis intimis prudentiæ conſiliis informari poſſit. Primum eiuſdem volumen (hanc enim hodie decuriam veſtro, Auditores, ſuffragio

Alchimia.

Mira ex Alchimiæ ſtudio.

Summa orationis.

gio prærogatiuam nomino) quid niſi arma & bella cómplectitur? & tamen ſi oſtendero hauriri ex eo(nam de cæteris Liuianæ Hiſtoriæ libris ſilendum mihi decreui) penitiſſima quæque Imperij iura,ſtatúmque ciuitatis in re cùm bellica, tum pacata conſtitui; lineamenta profectò ducam eius operis, quod nunc ordior, aliquando ad exitum perducam: ac ſimul Rhetoribus meis Annales veterum euoluentibus præibo, quídque ex huiuſmodi litterarum monumentis in rem ſuam transferre debeant, hodierna proluſione monſtrabo. Adeſte igitur, Auditores: & dum è Liuianis exemplis ciuilia hæc præcepta concinno,ſtylúmque propterea pluſculis ſententiis exacuo & euibro;quid deceat eum,qui ad Hiſtoriam ſcribendam, quídve eum, qui ad legendam accedat,attentè vt facitis, pro veſtra, quam toties ſum expertus,humanitate cognoſcite.

Fructus ex hac proluſione.

Stylus eiuſdem.

Initium mihi operis ſit cura fundandæ ciuitatis, quam diuturnam fore putabo ſi ORDINANDÆ REI IMPERIVM penès vnum ſit, atque apud eundem aliquandiu cõſiſtat,mox ęquato imperio cum pluribus adminiſtratio multo commodiùs communicabitur conſtituta re, quàm ſtatim ab ortu. Sic Romana res cœpit, ſic eadem creuit:quam à principio Romulus & conſecuti ab eo Reges habuêre atque obtinuêre tandiu, donec eam legibus armíſque fundarunt ac ſtabilierunt: tum verò adultam firmatámque ac veluti compotem ſui Iunius BRVTVS opportunè libertate donauit. Et ſanè quid futurum eſſet, ſi conuenarum plebs transfuga plerunque è ſuis populis dum cogitur vnum in locum, impunita-

Monitũ 1.

Quomodo ordinanda rerũ initia.

Liu.lib.1.

Liu.lib.2.

tem dicendi agendíque illicò nacta, libertatis ſpecie ſerere inter ſe certamina atque diſcordias, ſoluta Regio metu inciperet priùs quàm pignora coniugum liberorúmque, & CHARITAS, ſoli cui longo tempore aſſueſcitur, animos conciliaret? ageretur diſſiparetúrque ciuilibus immaturè diſſidiis ea fortuita hominum ſocietas, quam vnius imperium continere validiùs patriæque addicere potuiſſet. Videlicet SVA' QVOQVE vrbibus eſt pueritia, quam præſtat metu regere, quàm intempeſtiua libertate corrumpere. Accedit quòd plurium dominatus (quæ forma eſt liberæ ciuitatis) quantùm vrbi prodeſt conſeruandæ, tantùm inſtituendæ obeſt. quo enim minùs idonea eſt condendis legibus multitudo ob animorum arbitria variantium, alióque atque aliò (vt ſunt humana) trahentium: eò eſt accommodatior eiſdem ſemel conditis diutiùs retinendis ob eadem voluntatum diſſidia, quibus ne antiquetur aliquid, facilè dum diſſidetur, euincitur.

Vnius imperium quid commodi habeat.

Plurium dominatus quid commodi non habeat.

Sed accipite interea aptum ex eo, quod diximus, atque in loco conſilium. QVISQVIS AVT VRBEM condit, aut certorum hominum ſocietatem inſtituit, aut nouum aliqua ratione principatum dominationémque molitur; plus ſpei repoſitum ſibi putet in exteris lõgéque poſitis gentibus, quàm in vicina Principum ope. Nam NOVA omnis potentia finitimis Principibus plerunque ingrata eſt. Fundanti oppidum Æneæ, quod ab nomine vxoris Lauinium appellauit, Rutulorum Rex, cui pacta Lauinia ante aduentum Æneæ fuerat, prælatum ſibi aduenam ægrè patiens, bellum intulit: ſed victus eo certamine

Monitũ 2. In rerum cõditione publicarũ quæ ratio finitimorum, quæ externorũ habenda.

Liu. lib. 1.

ad

ad florentes Etruſcorum opes, Mezentiumque eorum Ducem confugit. Mezentius nulla priuata iniuria Troianis offenſus, ſed iam inde ab initio minimè lætus nouæ origine vrbis, ratus non ſatis tutum eſſe accolis rem Troianam creſcere; haud grauatè ſocia arma Rutulis iunxit, validóque exercitu Æneam inuaſit. Nec Romulus in Romana re, quàm Æneas in Lauinienſi felicior fuit. Legatos circa vicinas gentes Romulus miſerat, qui ſocietatem connubiúmque nouo populo peterent: nuſquam benignè legatio audita eſt. adeò ſimul omnes ſpernebant, ſimul tantam in medio creſcentem molem ſibi poſteríſque ſuis formidabant. quid multa? dum Latini, Volſci, Hernicíque, ac reliqui circùm populi naſcentem Romanæ vrbis gloriam perpetuis bellis premunt, & tanquam humi continent, Carthaginienſes tam lógè diſſiti amicitiam Romanorum enixè flagitant, ſociale auxilium vltrò pollicentur, dona in Capitolium ob rem aduersùs Faliſcos bene geſtam magnificè mittunt. Scilicet DOMVI noſtræ non metuimus, niſi ab vicinis ædibus, ne ſi fortè porrigant ædificium, cœlum nobis ac lucem obſtruant. Liu.lib.1. Liu.lib.7.

Age, fundata iam vrbs legũ mœnibus ita coërcenda eſt, vt DVORVM TEMPORVM RATIONEM Princeps habeat in ordinãda Rep. belli pacíſque: Pax difficilior eſt, ideo pluribus hãc quàm bellũ præſidiis fulciat. Etenim multa militiam iuuant: neceſſitas exprimit, timor externus regit, & ſi cętera deeſſent, hoſtis docet. at curam domeſticam ipſa ſecuritas diſſoluit. Quis Furio Camillo, quo vno toties ſtetit Romana res, inter arma

Monitũ 3. Belli pacíſque tẽpora legibus munienda.

Pax difficilior bello.

Liu.lib.6.

præſtantior fuit? hic tamen tueri ſe innoxium domi ſuę non potuit aduersùs Tribunitium furorem, quominùs in exilium reus ageretur. Marcium Coriolanum inuictum bello ciuem ciuilis diſcordia perdidit. nemo vnus Imperatorias artes, quas parando gerendóque bello edidit plurimas, opportuniùs calluit quàm Kæſo Fabius; & tamen hic contra ſeditionem ſuorum remedium nullum habuit, certè non adhibuit. Adeò EXCELLENTIBVS etiam ingeniis citiùs defuerit ars, vt ciuem regant, quàm vt hoſtem ſuperent. Quare peccauit Romanæ rei conditor (pace dixerim, ſiue Quirini, ſiue Romuli) qui bello intentus eò leges, eò diſciplinam contulit, pacem penè perdidit, dum neglexit. Quòd ſi, quantùm ciues aduersùs externa bella militari exercitatione communiuit, tantùm contra inteſtinas diſcordias ciuilibus præceptis armaſſet; næ ille multo ſapientiùs vrbi quam æternam eſſe decuit, conſuluiſſet: nec Roma tot ciuium omni laude præſtantium clades ſingulis fermè ætatibus deploraſſet: nec felicior foris apud hoſtes, quàm inter ſuos domi Romanus fuiſſet. Subit ingens animum admiratio, cùm Populum gentium victorem conſidero domi tam diſcordem atque exlegem: plebem Patribus inuiſam, ordines inuicem infeſtos, ciuitatem planè bicipitem: tam multas imperij formas, modò Reges, modò Conſules, modò Tribunos militum, modò Decemuiros, toties additos, toties reiectos. illáne vrbs, quę tot habuit támque certa ſuperando, perdendo, profligando hoſti præſidia; impos conſilij tandiu fuerit, ſe vt regeret, imponerétque ſibi aliquem imperij modum:

Liu. lib. 2.

Liu. lib. 2.

Romulus quid in re Romana fundanda peccauerit.

Cur Populus Romanus foris quàm domi felicior.

Imperij Rom. formæ.

Digitized by Google

dum:ne quãtùm in acie campóque Martis acquireret,tantùm in vrbe alteróque Martis campo iacturam faceret?Videlicet POPVLVS germana tanquam ſoboles, parentis ſui mores obtinet:dicam planiùs,Romulus belli,quàm pacis peritior, Romanos eodem ingenio finxit. Quòd ſi qua Reſp. imperiúmque alterutro ſe laborare animaduertit,ſentítque ſe magis aut belli, aut pacis artibus inſtitutam; curet etiam atque etiam (id enim ſupereſt remedij) vt ciues ab ea qua deficit parte, continenti occupatione, in eam transferat qua plus poteſt pollétque.imitetur,quoad fieri honeſtè poterit,Romanum Senatum, qui cùm videret ſibi plus ineſſe fortitudinis in hoſtes,quàm concordiæ apud ſuos;perpetua armorum tractatione ciues diſtinebat, accerſebátque vltrò bella, quibus ab domeſticis contentionibus abſtracta,ſuperior Romana res erat:vbi verò ceſsêre arma,mole laborauit,imò labauit ſua.

Quid remedij ſit ei qui alterutro laboret.

Iam verò quod ad militarem diſciplinam pertinet, principio AD REM BELLICAM RELIGIONEM PRINCEPS adhibeat, nullum enim inſtrumentum euocandis, atque in omnem belli aleam compellendis militum animis, nullum ſoſpitandis, fortunandíſque prælìis opportunius Religione repertum eſt. Hæc telum acerrimum, quo ſemel armatus exercitus, humana omnia ducit inferiora præ illa. Glorioſi iſti Duces, Dei hominúmque contemptores,& qui ſe aliis faciũt feroces, dum cœlo minitabundi gradiuntur; artis quam profitentur elementa nondum tenent. Romanis Imperatoribus, cum quibus,ſi vſquam gentium, bellandi ars fuit ac fecit; nihil erat antiquius

Belli tempus præceptis inſtructum. Monitũ 4. Quantifacięda Religio ad rẽ militarẽ.

Religionis contẽptores ignari militiæ.

tiquius ante pugnam, in acie, poſt victoriam, quàm vt Religionis curam plerique haberent, omnes certè præ ſe ferrent. Hinc ea ſolemnis procuratio Deos conſulendi, eorúmque placita ex animantibus cœlo terráque ſciſcitandi. nempe vt militi perſuaderent, bellum non tam à Senatu Populóque Quiritium, quàm à cœleſti Deorum concilio eſſe decretum: nec tam Ducibus pugnam placere quàm Diis victoriam cordi eſſe. Hinc dimicationi preces Imperatorum præmiſſæ, promiſſa Diis munera, & in partem futuræ prædæ Dij ante homines vocati. *Tuo*, inquit Furius Camillus, *tuo ductu Pythice Apollo, tuóque Numine inſtinctus pergo ad delendam vrbem Veios, tibique hinc decimam partem prædæ voueo, te ſimul Iuno Regina, quæ nunc Veios colis, precor, vt nos victores in noſtram, tuámque mox futuram vrbem ſequare, vbi te dignum amplitudine tua templum accipies.* Hinc repetitæ in ipſo pugnæ diſcrimine preces, ac vota palàm concepta & inſtaurata. *Tu pater Deûm hominúmque*, inquit improſperè pugnans cum Sabino Romulus, *tu arce hinc hoſtes, deme terrorem Romanis, fugam fœdam ſiſte. hîc ego tibi templum Statori Ioui, quod monumentum ſit poſteris, tua præſenti ope ſeruatam Vrbem eſſe, voueo.* Hinc ob rem bene geſtam perſoluta Diis vota, templa ædificata, ſpolia ſuſpenſa, additæque litteris inciſæ tabulæ, muneris Deorum teſtes. Et Dictator quidem T. Quintius perfunctus ingenti bello, multíſque Latinorum oppidis vi captis celeritate mirabili, Præneſte ſimulacrum, quæ tūc vrbs opulétiſſima & belli caput erat, Ioui Imperatori, hoc ſubiecto epigrammate, dedicauit. *Iupiter atque*

Di

Religionis cura Romanis ante pugnam.

Liu. lib. 5.

Cura Religionis in pugna.

Liu. lib. 1.

Eiuſdem cura poſt victoriã.

Liu. lib. 7.

Digitized by Google

Diui omnes hoc dederunt, vt T. Quintius Dictator oppida nouem caperet. Nec pluribus tantum bellum intra viginti dies ſuſceptum abſolutúmque commentatus eſt. Religionis & modeſtiæ pulcherrimũ argumentũ.

Nec diuino tantùm, ſed etiam humano METV REGENDA EST armata multitudo. Alibi Princeps beneuolentiæ locum quærat: INTER arma timebit, niſi timeatur. Certè Romani Duces ex hac diſciplinæ ſeueritate, qua non minùs ſuis quàm hoſtibus terrori erant, omnes triumphos ac laureas tanquam è ſinu victoriæ deduxerunt. T. Manlius Conſul, quòd filius extra ordinem conſeruiſſet manus, eius ſanguine (triſti, at ſalubri exemplo) non in illud modò tempus, ſed in poſterum obedientem Romano Duci militẽ fecit. quid L. Papyrius Dictator? ne quid laxamenti caperet diſciplina, atque Imperatoria maieſtas, nónne in Q. Fabium equitum Magiſtrum, quòd iniuſſu ſuo pugnaſſet viciſſétque; virgas expediri iuſſit, nec militum ſtudio, nec Senatus authoritate, nec populi ſuffragio quidquam de inuicto illo imperio ac ſeueritate remiſit? Monitum 5. Seueritate milites regendi. Liu. lib. 8. Liu. lib. 8.

Sed hæc cautè audienda, neque ego omnibus eadem perinde cano. IIS SVADEO DVCIBVS diſciplinæ ſeueritatẽ, qui excellenti aliqua virtute iampridem militũ animos occuparunt. Furius Camillus verè vir vnicus in omni fortuna, captis Faliſcorum caſtris, prædam in milites non diuiſit, ſed ad Quæſtores indignante exercitu redegit: imperij tamen ſeueritate milites victi EANDEM virtutem oderãt & mirabantur. Sed Appio Claudio nullius magnæ virtutis, præterquàm ſeuerioris diſciplinę tenaci longè aliter euenit. Deportarat Monitũ 6. Qui apti ad hanc ſeueritatẽ exercendam. Liu. lib. 5. Liu. lib. 2.

Exercitus contumacis deſcriptio.

rat Appius in Volſcos exercitum, eúmque ſæuo imperio vexabat. ſed infenſum iam Duci militem nec metus, nec pudor coërcebat: ſegniter, otioſè, contumaciter omnia agere: ſi Conſul citiùs agi vellet agmen, tardiùs ſedulò incedere: ſi adhortator operis adeſſet, omnes ſua ſponte motã remittere induſtriã: præſenti oculos atque ora demittere, prætereuntem tacitè exectari. quid multa? productus in aciem Romanus miles turpi fuga petit caſtra, víxque à vallo ſubmouet inſtantem hoſtem: nec ferox Appius, omni nequidquã acerbitate prompta, continere ad extremum ſuos potuit, quin caſtris exinde motis, non exauditis imperiis, turbatis ordinibus, effuſo agmine, per

Seueritas ſine aliis virtutibus nulla.

ſtragem corporum armorúmque Romam euaderent. Nimirum PRINCIPI EATENVS exigenda eſt diſciplinæ ſeueritas, quoad aliis virtutibus comitata eſt. ſi ſola exerat aculeum, ac ſola exerceat imperium; periclitatur ipſa, & corrumpit authoritatem, cuius denique vis omnis ſita eſt in conſenſu obedientium.

Monitũ 7.

Quo tempore inuadenda hoſtilis vrbs.

Subdam hoc loco aliquid alienum à ſententia vulgi, pluríſque idcirco faciendum, quia vulgare non ſit. TEMPVS INVADENDÆ HOSTILIS VRBIS non illud eſt, cùm ea inteſtinis factionibus concutitur: quaſi verò diſtractas vires profligare, ac rerum inclinationibus momentum addere facile ſit, cùm potiùs ex ea aggreſſione partes inter ſe proniùs coëant, & ad vim hoſtilem illicò retundendam animos, certè vires coniungant. tum quòd MAIORIS mali metus cogit vel inuitus, tum etiam quòd VNVSQVISQVE non grauatè abſiſtit à contentione, quam ſpecioſo Patrię nomi

nomine depoſuiſſe videri poteſt. Etruſci ac Veientes magna ſpe bellum Romæ inferunt, rati diſcordia inteſtina, cuius tum flamma præter modum flagrabat, extingui rem Romanam poſſe. quare maturato opus eſſe aiebant, dum Romani in ſe maximè deſæuirent. id vnum venenum, eam labē repertā eſſe vrbi alioqui non deſituræ, diu ſuſtentatas Romanas opes, partim Patrum conſiliis, partim patientia plebis, iam ad extrema veniſſe. profectò ſi quid addatur, ac foris inſtetur, ſuo milite vrbem quamprimùm vinci: nihílque aliud opus eſſe, quàm indici oſtendíque bellum: cætera ſua ſponte fata ac Deos eſſe geſturos. Hac ſpe armati Romanorum caſtris portíſque obequitando, contumelias ac maledicta, pugnæ irritamenta miſcebant. Audienti hæc militi Romano nunc indignatio, nunc pudor pectora verſabat, auertebátque paulatim ab inteſtinis priuatíſque diſcordiis. quamquam enim nolebat proſperè aliquid euenire Patribus, inultos tamen hoſtes pati non poterat: dúmque in hunc modum externa & domeſtica odia certabant in animis, tandem externa vicerunt. Ergo frequentes Prætorium circumſiſtunt, pugnámque ferociter efflagitant. iurant reconciliatos ſe Patribus à fide non deſtituros: ſi fallant, Iouem ſibi iratum inuocant. præit verbis Centurio: idem in ſe quiſque iurat. Datur igitur ſignum, vadítque in pugnam Romanus irarum plenus, ac primo concurſu Etruſci Veientéſque fugantur, cæduntur, profligantur: vnáque illa pugna, non magis ex hoſtibus quàm ex plebe Romana multis ciuilibus prælijs infenſa nobilitati, victoria reportata eſt.

Liu. lib. 2.

Diſcordia ciuilis.

Internorũ externorúmque malorum pugna.

Exercitus reconciliatio.

Quare

Monitũ 8. Quare alia potiùs eſt ineunda ratio opprimendæ vrbis ciuili diſcordia laborantis; in cuius tamen excidium non libido regnandi, ſed ius fáſque compellat. Permittendvm est vt ipsa se ciuitas inteſtinis factionibus conficiat: idque vt certiùs faciat, pars altera clàm & diſſimulanter ope conſilióque eſt adiuuanda. ac poſtremò debilitata iam res, inſtructis ac recentibus militum copiis aggredienda, & (quod non difficile eſt factu) expugnanda.

Inuadẽdæ hoſtilis vrbis occaſio.

Liu. lib. 8. Vidit hoc Marcius Coriolanus, dum diſſidenti Patriæ inferens arma, agrum Romanum populari cœpit maiori aſtu quàm vi, cuſtodibus inter populatores ſuos miſſis, qui Patriciorum agros intactos ſinerent. tum plebis odio; tùm vt inde diſcordia gliſceret inter Patres, plebémque. & profectò fuiſſet voti compos, ſi, quam diſſidij flammam accenderat, vires paulatim permiſiſſet acquirere, & non ipſe feſtinatione nimia extinxiſſet, dum propiùs ad Vrbem arma promouit, fecítque nobilitatis ac plebis communem cauſam. tunc enimuerò Externvs timor maximum concordiæ vinculum, quamuis ſuſpectos infenſóſque inuicem animos conſociauit.

Monitũ 9. In hoſte vincendo quid cauẽdum ſit.

Scitũ illud vulgatũque cõſiliũ, Ne Imperator illvc hoſtem redigat, concludátque vnde ex deſperatione creſcat audacia. Sanè Manlius Coſ. reuectus in caſtra, in quæ Thuſcorum manus prædatum irruperat, ad omnes portas milite oppoſito, hoſtibus viam clauſit. ea deſperatio Thuſcis rabiem magis, quàm audaciam accendit: cùm enim incurſantes quacumque exitum ſpes oſtenderet, vano aliquoties impetu circumiſ-ſent,

Liu. lib. 2. Inſtauratę deſperatione vires.

ſent, conglobati in ipſum Conſulem armis inſignem vadunt tanta vi conatúque, vt & Conſul mortifero vulnere ictus ceciderit,& cæteri circa illum in fugam acti. quare Thuſcis creſcit audacia, Romanos terror per tota caſtra palantes impellit: & ad extrema ventum eſſet, niſi Legati rapto Conſulis corpore patefeciſſent vna porta hoſtibus viam.

Quid igitur agat potitus vrbe, concluſíſque intrà hoſtibus Imperator? Quod Furius Camillus eadem cum gente Thuſcorum egit ad Sutrium: cùm præſenti conſilio rationem docuit, qua nec liberi dimittantur hoſtes, nec propterea ſalutis ſpe compellantur ad pugnam: ſed EIS EXTREMA CERTANDI neceſſitas adimatur, quibus opportunus certādi locus adimi non poteſt. Captum Sutrium,eiectis inde Sutrinis ſociis Populi Rom. victores Thuſci impunè populabantur; cùm adeſt in tempore, infeſto agmine Camillus: iterum eodem die Sutrium capitur.Thuſci, quibus conglobandi ſeſe, aut arma capiendi ſpatium non fuit, cùm paſſim telis peterentur, pro ſe quiſque ad portas tendere, ſi quà fortè ſe in agros eiicerent: ſed cùm eas clauſas (id enim Camillus imperauerat) inueniſſent: arma tandem capiunt, coëuntéſque ſupremam illam periculi ſocietatem, ferociter adornant prælium: quod accenſum ab deſperatione hoſtium fuiſſet, ni Camilli imperio, præcones per vrbem dimiſſi iuſſiſſent parci hoſtibus qui arma poſuiſſent, ac tantummodo armatos contrucidari, quæ res effecit,vt etiā ij, quibus animi in ſpe vltima obſtinati ad decertandū fuerāt, oblata ſpe vitæ paſſim

Monitum 10. Quid agēdum ſit in hoſte vincendo. Liu.lib.6.

Ducis conſilium.

Digitized by Google

arma iactarent, ſéque inermes (quod tutius fortuna fecerat) hoſtibus offerrent. Ita ducis conſilio, quod male Manlius Coſ. Romanus cum Thuſcis geſſerat, reſtitutum eſt; ſimúlque apparuit, DVCIBVS validiorem quàm exercitu ré militarem eſſe.

Pacis tempus præceptis inſtructum.

Venio nunc ad alterum tempus, cuius rationem haberi in ordinanda Repub. paulo antè dicebam: ac ciuili domeſticæque adminiſtrationi, hæc è multis pauca ſepono. QVISQVIS AD NOVVM PRINCIPATVM accerſitur aliundè, aut nouos ſibi populos ſubigit, ſe cum eorum moribus ingenióque ſub initia dominationis attemperatè componat: veſtitum gentis more, ſermonem, cæterum cultum adamare præ ſe ferat. hæc enim mirum quantùm multitudini ſunt in oculis. Æneas quidem certè nouus in Latio Dominus, homo externus, ac paulo ante hoſtis, hinc demereri ſibi ſuſpenſos Latinorum animos cœpit; iuſſit in eorum mores tranſire Troianos, abolitóque Troiæ nomine, vtramque gentem Latinos appellari voluit. idque valuit vt Latini nec ſtudio, nec fide erga Regem Æneam Troianis vnquam cederent.

Monitum II. Dominus in nouo Principatu qui ſe gerat.

Ad hæc NON MVTANDVS EST ILLICO ſtatus ſubiectæ recèns vrbis, nec etiam retinendus, ſed media quædam ineunda eſt via: res quidem pleræque tollendæ ſunt, nomina rerum & tanquam ſpolia conſeruanda. Capitur enim vanis hiſce nominibus multitudo, atque in iis imaginem antiquitatis amplexa, nondum ſe ſua poſſeſſione deiectam planè intelligit. Iunius Brutus alter Romæ conditor, dum nouam vrbi faciem induceret, id egit, vt nemo Romæ regnaret: at veſtes,

Monitum II. Res priſtinæ quatenus mutandæ.

Liu. lib. 2.

veſtes, lictores, ſellas, reliquam Regum pompam abundè tenuit. quin etiam dum Reges funditus auferebat, non abſtulit Regis nomē. nam cùm publica quædā ſacra per Reges fierent, ne quem caperet deſiderium Regis, Regem Sacrificulū creauit: id tamen Sacerdotium Pontifici ſubiecit; vt additus nomini honos nihil officeret libertati.

Sed illud interea maiori cura Princeps ſecum ſtatuat aduersùs populi turbas: NE MAIESTATI NOMINIS ATQVE honorum inſignibus plurimùm tribuat ac fidat, ſéque tutum dignitate ducat. eſt enim OBNOXIA iniuriæ maieſtas, quam vires non confirmant. Tumultuabatur in foro ſuperbè Romana plebs ob Voleronem neſcio quē à lictore, Conſulum iuſſu prehenſum: atque, vt COACTA multitudine nihil eſt procacius, creſcítque ignauo cuique audacia ex aliorum contagione; ita intemperiis acti agentéſque ludibrio palàm habebant Conſulare imperium, quippe cui dignitatis plus ineſſet quàm virium aduersùs plebem. quid enim? quatuor & viginti lictores apparere Conſulibus, eóſque de plebe: formidandum enimuerò ſatellitium. nihil contemptius, nihil infirmius, ſi ſint qui contemnant. ſibi quemque ea magna & horrenda facere. abeſſet modò opinio, cætera nugas eſſe. Hæc atque alia contemptim obloquentibus; infeſti cùm ſe illum Æmilius, ac Virginius Conſules intuliſſent, facilè experti ſunt, PARVM tutam maieſtatem ſine viribus eſſe. nam violatis eo tumultu lictoribus fractíſque faſcibus, è foro in Curiam compelluntur. Quare peccauerunt in ſe inque Rempublicam Conſules, dum authori-

Monitum 13. Quantùm ſpei ponere in maieſtate debeat Princeps. Liu. lib. 2.

Iratæ multitudinis voces.

Maieſtas inermis non exponenda multitudini.

Digitized by Google

tatem ſuam, quam maioribus remediis integram ſeruare debuiſſent, tentandam haud ſanè in tempore præbuerunt.

Monitum 14. Cum incitata multitudine quomodo agendum.

Nec tamen contumaces diu ciues experietur Princeps, ſi hæc audiet: CONCITATA MVLTITVDO MORA POTIVS ac perleui declinatione flectenda eſt, quàm ſubitò atque enixè frangẽda. vis eius omnis in impetu eſt: poſt principia ſedatior eſt & melior. Docuit id ſemel Romana plebs, quam inter & Patres, cùm de creandis plebeis Magiſtratibus, tantis pugnaretur animis, vt iam ob perpetuas conciones arma timerentur; veriti Optimates, ne quia plebem ſolito ferociorem experti erant, de veteri poſſeſſione deiicerentur; comitia mox futura formidabant, eóque quantùm poterant differebant. vt tandem ad ea ventum eſt, euentus docuit, ALIOS animos in contentione, alios ſecundùm depoſita certamina incorrupto iudicio eſſe; Tribunos enim omnes patricios, plebeium nullum populus creauit. Adeò FEROCIOR plebs eſt ad rebellandũ, quàm ad bellandũ, & libertatẽ magis tẽtare, quàm tueri nouit.

Liu. lib. 4.

Æquiora poſt contẽtionem iudicia.

Monitum 15. Quid remedij aduersùs creſcẽtem populi ſeditionem. Torrentis ac ſeditionis comparatio.

Quòd ſi, vt interdum euenit, ſeditioſorum furor more fluminum vires acquirat, hoc ipſo FLVMINVM INVNDANTIVM MORE ſeditio coërcenda eſt. Etenim amnis transfuſus extra alueum, ſi fortè metus ſit, ne infeſtus vrbem vicinam adeat atque obruat; aut procul ſuſtinendus eſt, permittendúmque vt per campos ſtagnantibus vndis liberè vagetur: aut diuertendus atque in riuos complures extenuandus eſt. vtroq; enim modo, aquis ſiue diffuſis, ſiue diuerſis vrbem innocenter intercludet. ſic etiam ne aucta multorum

rum

rum conſpiratio Principem petat opprimátque, alterutro ex hiſce remediis eſt opus. nam aut permittendum eſt aliquid, ac ſolito blandiùs ſpes ac vota conſpirantium alenda atque eludenda ſunt, irrito poſtea euentu: aut diſtrahenda eſt multitudo, procaciores quique & concionales homines honorificis vt volet nominibus aliò diſparandi; poſtremò COETVS omnes & gregales conuentus, quibus conſenſus multitudinis maximè alitur, ab ſtirpe recidendi ſunt. dum enim non conueniunt, dum capita non conferunt, dum ſeſe vt fluctus fluctum non impellunt, ſed ſoli ſe réſque ſuas curant; profectò ſpiritus demittunt, & EX FEROCIBVS vniuerſis, ſinguli ſuo quiſque metu obedientes fiunt. Delinierat militum Romanorum animos Capua, inſtrumentum omnium voluptatum, auerteráque à memoria patriæ. iámque conſilia clàm inibant, pulſis dediditiis Cāpanis eorum agros inuadere, illáque vbertate camporum frui potiùs, quàm Romam redire, & in peſtilenti atque arido circa vrbem ſolo diutiùs luctari. Hæc, quæ manauerant conſilia in exercitum omnem, cùm Martius Rutilius Conſul explorata haberet, non illicò laſciuienti militi obuiam ire ſtatuit: ſed optimum ratus ſpem differendo, militarem impetum fruſtrari, rumorem diſſipat, in iis Campaniæ oppidis, etiam anno pòſt, exercitum hybernaturum. Eo laxamento cogitationibus dato, quieuit in præſentia ſeditio. mox purgare exercitum miſſionibus turbulentorum hominum inſtituit, cùm diceret aliis emerita ſtipendia eſſe, alios graues iam ætate, aut viribus parum validos:

Iratæ multitudini aliquid permittendũ. Eadẽ diſtrahẽda.

Grẽgales conuẽtus.

Liu. lib. 7.

Laſciuiẽs exercitus.

Diſtrahẽdæ multitudinis ratio.

dos: quidam in commeatus mittebantur, ſinguli primò, deinde & cohortes quædam, denique PER SPECIEM militarium vſuum, cùm alij aliò diſtraherentur, plerique ablegati ſunt. Atque his artibus Conſul Rutilius, tum violentis ingeniis indulgendo, tum ludificationis ignaros abalienando; ſeditioſorum conatus in præſens coërcuit; quos multo antè Virginius, Æmiliúſque Coſſ. dum vi frangere aggrederentur, fractis ipſi honorum inſignibus temerè confirmarunt.

Monitum 16. Hæc in ipſo tumultu. quid eo, vtcumque tulit ſors ratióve cõpoſito? DISCORDIÆ, AC RELIQVA SCELERA numquam tollentur, quandiu authores tolerantur, aut etiam honore afficiuntur. Cuius enim rei præmium ſit in ciuitate, eam rem maximis ſemper auctibus creſcere neceſſe eſt.

Diſcordias tollẽdi principium vnde capiẽdum. Liu. lib. 2.

Quod maius vnquam Romæ diſſidiũ fuit, quàm cùm plebs, Patrum odio Vrbem deſeruit, atque in ſacrum montem trans Anienem Sicinio adhortante ſeceſſit? & tamen turbarum hic author, tantùm abfuit vt aliquid pœnæ dederit, vt inter primos Tribunos plebis adlectus ſit. Facinus per ſeſe improbum, & exemplo paucis pòſt annis exceptum. Nam Tribunitiis concionibus incitata plebs, minacior tamen, quàm pernicioſior, ſacrum montẽ repetiit, Vrbémque Patriciis incolendam reliquit. reconciliata A. Virginium, L. Icilium, P. Numitorium, ipſos ſeceſſionis authores Tribunos creauit. Publium autem Voleronem, qui à lictoribus ac virgis ſeminudus aufugerat, populúmque, ad quem prouocauit, ciuili atrocíque ſeditione in Conſules cõcitauerat, plebs fauore cõplexa proximis Comitiis Tribunum

Liu. lib. 3.

num fecit, refecítque. mitto Canuleios, Sextios, Lectorios, alióſque nobilitatis odio nobiles, nec niſi concitata tempeſtate in altum prouectos, pérque vndas ſeditionum elatos. Id autem dum Romæ agebatur, dum turbulentiſſimo cuique locus & honos erat; quid, niſi diſcordiæ aliæ ex aliis ſerebantur, factiones in Vrbe perpetuæ fouebantur eodémque ciues ingenio exemplóque conformabantur? Etenim QVI IN pace ordinúmque concordia nullos ſe vſquam eſſe vident, facilè ineunt aliam viam, turbatámque rem volunt: ſi fortè honores, quos quieta ciuitate deſperauerant, perturbata conſequantur. quòd ſi animaduertant, id ex ſententia ceſſiſſe nonnullis, quibus concitata multitudo honori aut quæſtui fuerit; dant ſeſe in hanc aleam, & tanquam ARTIFICES improbi opus quærunt, volúntque ſemper ægri aliquid eſſe in Republica ad cuius curationem adhibeantur. Nam ſic ego quidem ſentio: RES OMNES perinde laudantur & appetuntur in Ciuitate, vt earum rerum vſus eſt. MILITIA præmiis exercetur. VBI præmia improbo dempſeris, nemo omnium gratuitò malus eſt. Vt ſanè concludere cum Quintio Coſ. liceat, FINEM factionum non fieri, nec futurum, donec quàm felices diſcordiæ, tam honorati diſcordiarum authores ſint.

Seditionibus nobiles.

Fructus ex impunitate aut felicitate flagitij.

Honos incitamentum rerum omnium.

Liu. lib. 4.

Sed quando cœpimus, Ciuitatem contagioſa factionum peſte quantum poſſumus, eximamus. id fiet, ſi CALVMNIATORES, HOMINES NEQVE FRVGI, neque operæ probæ, quíque priuato in cœtu clàm aliorum famæ crimen intendunt, cogat Princeps vt iure agant, & accuſa-

Monitum 17.

Quid cum calumniatoribus agendum.

tionem legitimè ac palam adornent; & , ſi quidem id faciant , criminationémque probent, præmio dimittat: ſi recuſent animaduerſione ſeuerè compeſcat. certè numquam permittat, cuiquam vt liceat impunè alicuius flagitij inſimulare honeſtos viros,ac priuato iure eorum vitam ſeu falſa, ſeu vera criminatione damnare. M.

Liu.lib.6. Manlius Capitolinus Camilli primùm gloriæ priuatim infenſus, mox traducto (vti fit) ad

Inuidentiæ ſtimulus. vniuerſam nobilitatem odio, cùm ſe plebi ducem conſtituiſſet; inuidiam vndique creare ſtudebat ordini Senatorio, domíque concionantis in modum ſermones plenos criminum quotidie miſcebat. Inter cætera affirmabat, theſauros auri Gallici ab Optimatibus occultari, pecuniámque ex hoſtibus captam in paucorum prædam ceſſiſſe: quæ auri ſumma ſi è Patrum ſinu excuteretur, poſſe obæratam nexámque plebem

Calumniæ illatæ quæſtio. facilè ſolui.Ea obiecta ſpe,cùm plebs mota mente fureret, A. Cornelius Dictator, quæſtione ea ſuper re inſtituta, Viatorem ad Manlium mittit: accitum ad tribunal iubet euoluere iſtos incubantes Gallicis theſauris: vt, quando ille ſpem Ciuitati fecerat, ex ea præda quam Primores nobilium occultent, debitum ſolui poſſe; moleſto fœnore plebem Romanam liberaret. quod niſi faceret, vincula minatur: nec enim paſſurum ſe periclitari Patres tam odioſa calumnia, & multitudinem tam fallaci ſpe Romæ concitari. Cùm Manlius ambages necteret, vrgerétque eum Dictator, aut peragere verum iudicium, vaníque furti reos prodere;aut fateri facinus inſimulati falſo crimine Senatus, impoſitæque calum

lumniæ; impos conſilij à Viatore arripitur, ac paulo pòſt damnatus è ſaxo Tarpeio, vnde ille repulſo Gallo Patriam liberauerat, præceps deiicitur:locúſque idem in vno homine, & eximiæ gloriæ,& pœnæ vltimæ monumentum fuit. Sic vocata ad quæſtionem calumnia, & calumniatore damnato, vnius ſupplicium Manlianæ tunc quidem ſeditioni, ac deinceps Manlij ſimilibus ingeniis frenos iniecit. Quòd ſi ad hunc modum hoc genus homines in verba proiecti, quique per hæc turbamenta vulgi, priuatæ ambitioni viam ſternunt,ſeriò cogerentur,vt aut maledictis abſtinerent, déque aliorum vita conticeſcerent, aut ſi tantum vitiorum eſt odium,legitimè id ac iure tranſigerent; multò ſanè pauciores forent,qui MALIGNITATE ingenij,cui falsò ſpeciem libertatis obtendunt,tam facilè euerſum irent alienam famam, tantúmque odiorum ſererent inter ciues,quantùm immortales paſſim factiones oſtendunt, quæ magis exitio fuêre ſemper, erúntque potentibus populis,quàm bella externa, quàm fames, morbíve, aut alia Cælitum ira in humanum genus.

Finis Tragicus.

Calumniatorum deſcriptio.

Ratio cum iis agendi.

Sed his lætiora ſubtexo,nec minùs vtilia. ſæpe enim fit, vt qui authoritatem vbique eodémque tenore tueri volunt, eius iacturam faciant, quòd illam plus nimio tuentur. Idcirco PRINCEPS CVM VIDET MVLTOS IN rem quampiã concedere, eámque præcipit animo facilè ſecuturam eſſe; euentum feſtinè præueniat,authórque ſit vt id fiat, licèt rationibus ſuis minimè conducat. Nam ſi cunctetur, aut etiam repugnet, abundante multitudine tranſuerſus agetur ipſe, coge-

Monitum 18.

In rebus decernendis quo modo plurium voluntati anteuertendum.

R 5 túrque

túrque viuens ac videns in contrariam partem: ſimúlque omnes intelligent, illo inuito, aut certè inſcio peractam rem eſſe: ac ſibi facilè perſuadebunt, multa in poſterum fieri poſſe eo non authore, quo ſine ſemel hoc impetratum eſt. Quare non ſolùm minoris haberi Principis authoritas incipiet, ſed aſſueſcet etiã populus in Dominum palàm obniti, ab eóque impunè ac feliciter diſſentire. Non ita Senatus Romanus, qui & firmandi Imperij articulos norat omnes, & famæ plurimùm dabat. Nam cùm Hernici à Romanis victoribus conditiones accepiſſent, Ne aduersùs vllam gentem pugnarent, repugnaréntve iniuſſu Senatus Populíque Romani, qui ſociis numquam defuturus erat; obſeſſi ab Æquis, ac Volſcis Legatos properè Romam mittunt, opémque ab Senatu flagitant. Patres, graſſante in vrbe peſtilentia, cùm ex vna parte auxilium polliceri nullum poſſent, ex altera probè intelligerent, ſi Hernicis non permitterent arma ſumere in hoſtes, fore vt ipſi non modò per ſe, ſed etiam accita aliorum quos poſſent ope, iniuſſu Romanorum id facerent, neceſſitate arma extorquente, reſpondent; Placere Populo Romano, vt Hernici ipſi cum Latinis res ſuas tutarentur: in præſentia morbo implicitam teneri Ciuitatem, cùm primùm eius mali quies veniret, ſociis opem laturos. Quo reſponſo occuparunt, anteuerterúntque in loco Patres, eiúſque cõſilij, quod iniiſſent Hernici per ſeſe, ipſi voluêre authores eſſe: ne quid neſcientibus aut inuitis vſpiam locorum agi videretur: ſimúlque ne reliquis ſociorum accederent animi ſe eodem exemplo commouendi

Venenum authoritatis.

Liu. lib. 3.

Prudens reſponſum.

di inconſulto, neglectóque in poſterum Senatu.

Perge, atque in ambiguis conſiliis conſilium indicemus: nam ſcopulus hic eſt, ad quem Gubernatorum complures ferri, ac frangi ſapientiæ ſimulatione ſolent. Neque ego tardum dictu exiſtimauerim, PLVS OPERÆ & conſilij eſſe in ancipiti conſilio ſecernendo, quàm in malo declinando. Qua in re etſi non ignoro VIA VNA incedendum eſſe, non vno gradu; in vniuerſum tamen ſuadeo, CONSILIORVM EXTREMA non vſque adeò fugienda, ídque temperamentum, quod in re ancipiti adhibendum callidiores putant, non rarò peſtem eſſe conſiliorum; cùm tertiis hiſce mediiſque conſiliis, vt plurimùm, neque odium vitetur, neque gratia ineatur.

Monitum 19.

In re ancipiti quæ conſilia ſequenda.

Finge tibi diſſidium eſſe cum aliquo paulo ferociore: hic aut officiis obſequióque mitigandus eſt, aut confidentia paríque ferocia deterrendus. neutrum ſi placet, ſi ſupplicem cum eo agere alienum à te putas, tibíque imperare non potes vt te demittas: & ex altera parte mens & ratio non eſt quemquam lædendi; iniiſti planè viam, qua illum neque ex inimicis vmquã eximere, neque ad amicos transferre poſſis.

Media cõſilia rarò ſalutaria.

Samnites documento erunt: qui deliberabundi quid de exercitibus Romanis quos intra Caudinos ſaltus concluſerant, agere deberent; cùm certi aliquid illicò non ſuppeteret, vt in re læta & inſperata accidere ſolet; Pontius eorum Imperator ad Herennium patrem, qui non procul aberat, conſulendum properè mittit. Herennius nuncio expeditè reſpondet; Sibi videri omnes Romanos ex ea cauea quamprimùm inuiolatos dimittendos. non

Liu.lib.9.

Conſultatio ad Caudinos ſaltus.

Digitized by Google

Extrema contrariaque reſponſa.

Non placet. iterum ſenex conſulitur: vertit ille ſe in alteram partem, disertè pronunciat; Sibi videri Romanos ad vnum omnes interficiendos. diſcors enimuerò reſponſum eo magis irridetur, quaſi hominis animus in effœto iam corpore conſenuiſſet. Accitur tamen ipſe plauſtro inuectus in caſtra, nihilque mutata ſententia tantùm cauſas huiuſmodi adiecit. Si Romani honorificè habiti dimitterentur, poſſe cum potentiſſimo Populo perpetuam pacem firmari: ſi de medio tollerentur omnes, poſſe in multas ætates bellum non timeri ab iis, qui amiſſis duobus exercitibus ſerò vires reparauerint: tertium nihil eſſe. nam quod ipſi meditabantur Romanos dimittere, ſed non ſine ignominia, leges iure belli victis imponere; ſententiam eſſe eam, quæ neque amicos parat, neque inimicos tollit; TVTVM non eſſe ſeruare quos irritaueris. Neutram patris ſententiam Pontius accepit. Dimiſſi tũ quidem Romani, ſed traducti ſub iugum rediêre mox ferociores ad pugnam, ingentique cùm hominũ, tum vrbium ſtrage, Samnitium nomen penè deleuerunt. Ac tum demũ Herennij dicto oraculi fides acceſſit.

Eorum cauſæ.

Denique ne, dum aliud ex alio naſcitur, oratio excreſcat in immodicum modum; duco hîc ſupremam quaſi lineam, tranſitúmque mihi vltra præcludo. Atque in Rerumpublicarum conſeruationem amplificationémque vniuersè intuens, ſic de earum varietate Principum ad extremum ſtatuo: CIVITATI CONDVCERE SI PRINCIPES ſortiatur vario potiùs inter ſe ingenio, quamquam mediocri; quàm ſi ingenio eoſdem habeat excellenti, ſed ſimili geminóque.

Monitum 20. Varietas ab excellentia Principũ plus conferat ciuitati.

An

Anceps fortaſſe dictum, atque in vtramque partem à prudentibus viris arbitrandum. Sed ego rationem ſubiicio. Nam cùm multa ſint, quæ fundato ſemel Imperio, Statuíque debentur, incolumitas ciuium, vrbis opulentia, Religio, leges, armorum tractatio, pacis ſtudium, ſeueritas in loco, vbique authoritas, omnes ciuilium artium diſciplinæ: tot támque diuerſa expectanda Ciuitati non ſunt omnia, niſi poſt multas ætates, cùm ſcilicet Principum alij aliis ſuccedant, qui varia animorum propenſione, partim armis, partim adminiſtrationi domeſticæ, partim rebus aliis fauentes, demum vniuerſa complectantur. Quòd ſi eodem ferrentur omnes, eodémque curas & cogitationes perinde conuerterent: quamuis excelſo, minùs tamen commodo ingenio forent ciuitati, cui parum prodeſſet ætatũ Principúmque conſequentium numerus, ſi plures vnius inſtar, certarum ſtudio rerum, præteritis aliis caperentur. Accedit, quòd vt multa, éáque contraria ſecum affert dies, ita ferociore interdum Principe, interdum, vt ſe dant tempora, mitiore opus eſt. Sanè hac Principũ varietate Romana res creuit. Incitatior aliquanto ROMVLVS fuit, armíſque penè violentus: ſed talem exordia virum poſcebant, vt Regnum inuaderet, vt diſcordes inter ſe conuenarum animos noua in vrbe compeſceret, eóſque aduersùs finitimorum iniurias incitaret. Romulum inſecutus eſt NVMA, quo nemo ciuilior, religioſior nemo fuit: nempe vt rudes paſtorum mentes, bellóque ferociores effectas Deorum metu mitigaret. Multa adhuc bello deerant: ſucceſſit militiæ artifex TVLLVS, bella-

Ratio cur Principũ varietas vtilis ſit Reip.

Exempla pro eadẽ varietate. Liu. lib. 1. Romulus.

Numa Pomp.

Tullus Hoſtili.

toribus viris apprimè neceſſarius, vt ante id tempus tumultuaria vi pugnãtes arte firmaret, acuerétque ratione virtutem. Ab Tullo ædificator

Ancus Martius.

ANCVS aliò curam opportunè tranſtulit, vrbem colonia extendit, ponte commiſit, muro defendit. Ancum TARQVINIVS excepit, ſuſcepítque

Tarquinius Priſcus.

relictam ab aliis maieſtatem Senatus, Magiſtratuum inſignia, ordinum ornamenta. Neque adhuc factum ſatis fuiſſet, ni SERVIVS Populum

Seruius Tull.

Romanum cenſuiſſet, digeſſiſſet in claſſes, curiis collegiiſque ſeparaſſet, ac magnæ iam tum ciuitatis, veluti priuatæ domus diſcrimina publicis tabulis complexus eſſet. Poſtremò TARQVINII alterius importuna dominatio, non parum vrbi profuit, vt populus cupiditate libertatis incenſus vltimum eſſe Regnum vellet, quod ſcelere partum ſcelere adminiſtrabatur. Atque in hunc modum ſingulorum Regum (quos excepto Superbo conditores vrbis appellare poſſis) pugnantia inter ſe ingenia, quaſi elementa fuêre Romanæ felicitatis. Ac mihi quidem, niſi decretum eſſet è Liuiana Hiſtoria pedem non efferre, quàm facile foret, perleui traiectione percurrere multorum Regna, quibus hæc ipſa Principum varietas ſaluti ornamentóque apprimè fuit? Pontificium Imperium annon ſentimus ipſi quantùm ex hac quidem parte capiat emolumenti ac dignitatis? Recordamini per vos, Auditores (nam plerique

Tarquinius Superbus.

Pius V.

poteſtis) Pij, Gregorij, Xyſti, atque inde reliquorum; ſimul veniet in mentem, quàm diuerſi Chriſtianã Remp. amplificauerint. PIVS aduersùs communem hoſtem armis rem egit tranſegítque. Hoſtes adhuc plures illa complexa orbem

ter

terrarum Charitate GREGORIVS nouo genere dimicationis adortus eſt: atque excitatis vbique gentium litterariis munimentis, ibique tanquam intra Religionis propugnacula perpetuo militum præſidio conſtituto, non præſentium modò turbas ſibi coërcendas exiſtimauit, ſed ita poſteritati conſuluit, vt in hoſtes fidei quacumque ætate locóve ſecuturos noua quotidie prælia reparari poſſint. At verò XYSTVS aucto ſupra omnem memoriam antiquitatis, ærario, inſtrumento rerum omnium, tutatus Imperium; ciuitatibus ornamenta, ciuibus ſecuritatem, hoſtibus Pontificij nominis metum incuſſit. Quid CLEMENS Religioſis ordinibus luſtrandis, pacificandis Regibus, Pannoniæ ſubleuandæ, amplificandæ Eccleſiaſticæ ditioni quantùm contulit? Nam de te, PAVLE, cuius ego Maieſtatem ex hoc loco perſanctè veneror, nihil attinet dicere. Vidit is, qui tibi eligendo, illuſtribus argumentis inter mortales fuit ac præfuit: vidit, quid hac tempeſtate opus eſſet eo Paſtore populorum, qui ſingulari Iuſtitia prouinciales vrbanóſque Magiſtratus in officio contineret: opportuna moderatione erumpentes bellorum faces extingueret: felici vigilantia populos vbertate frugum exhilararet: inſigni Religione hominum virtutem cælo templíſque reciperet: Romana magnificentia Vrbem orbis terrarum caput amplificaret. Quam tu quidem Vrbem domibus occupatam veriùs alicubi quàm diuiſam, apertione viarum, aquarum irrigatione, molitione templorum, ſuburbiorum ſeu potiùs Vrbium Vrbi adnaſcentium acceſſione, dignam

Gregor. XIII.

Xyſtus V.

Clemens VIII.

Paulus V.

te

te Principe ſedem reddidiſti. Vt meritò, Pontificum Maxime (quod olim bonis Principibus acclamabatur) De nostris annis augeri cupiamus annos tuos; vt ea, quæ iſta altitudine animi meditaris, in lucem continenter exponas Chriſtianæ rei bono, & noſtrorum temporum felicitati. Atque inter hæc vota liceat mihi per vos, Auditores, reperto feliciter exitu conquieſcere.

PROLVSIO V.

Academia Prima.

SIVE

De ſtylo poëtico, qui partim Poëtis ob oculos poſitis, partim explicata Poëſeos natura monſtratur.

De triplici ſtylo dicere iampridem aggreſſus (Cardinalis Ampliſſime) poëticæ dictionis, quæ reliqua eſt vna controuerſiam in præſentia refero ad hanc Sapientium coronam, quam tanta omnium ordinum nobilitate florentem video venerórque: ac ſpero tam bonis atque excellentibus arbitris facilè poſſe componi. præſertim cùm hac de re plurimùm laboris & mihi ad dicendum, & vobis ad arbitrandum hodierna die ſubtractum ſit. Non ſolùm, quia in obſcœnos carminum ſcriptores cùm olim diſſerui, multa

multa neceſſariò occupanda fuêre de Poëtarum ſtylo:ſed etiam quia proximis hiſce,qui continēter elapſi ſunt, annis,dum à poëtico ſeiungebam oratorium, atque hiſtoricum characterem; ſæpenumero in Poëtarum confinia pedem intuli, eorúmque regionem oculis attentè luſtraui, vt qui circum ſingulas facultates ducendi limites forent, finitor ipſe cognoſcerem. Quare non tam laborandum mihi hodie video,vt ab Oratoribus Hiſtoricíſque Poëtas abſtineam, ne prædabundi in illorum dictionem, tanquam in ditionem finitimorum crebrò excurrant; quàm vt ciuiles inter ſe Poëtarum diſcordias componam, ſi quo modo poſſim, eorúmque primigeniæ legitimæque ſoboli maioribus veluti Comitiis principatum linguæ decernendum ſedulò curem.

Cōſilium in hac Proluſione.

Et quamquam tot inter familias Poëtarum, quæ ex vna eorum gente proſeminatæ ſunt, haud promptum eſt eam internoſſe, quæ ab ſtirpe rectà pullulet, nihílve in agreſtem ſuccum ſpeciémque degeneret, cùm Poëtarum ſanè ſit nemo, qui ſe germanam Phœbi prolem non venditet, fidémque apud poſterorum aliquem non inueniat:ſi quidem nos IN VETERVM æſtimatione facilè diſcedimus in ſtudia,próque arbitratu quiſque ſuum Poëtarum principem nominamus; tamen & ſplendor ipſe Poëticæ maieſtatis, qui demum LVCE ſe prodit ſua,& conſtans ſapientium virorum ſuffragatio, habent profectò aliquid ex quo ſi de Poëtarum dictione ſententiam feram, haud temerè eam tuliſſe videri poſſim. Accedit hominis non indiſerti hac ſuper re diſputatio, quam, ſi quemadmodum mihi hæ-

Difficultas optimi eligendi.

Ratio id præſtandi.

ret in animo, ita oratione promiſero, næ ego hodie in ſpem venio fore, dignum vt aliquid re quam molior, dignúmque auribus hodiernæ quàm lectiſſimæ concionis afferatur. Age igitur, & quando in hac, cui nuper interfuiſſe me aio, diſputatione, momenti plurimùm putamus eſſe, in eam ſi placet, omiſſis aliis animum atque orationem vnà conuertamus.

Sermo cũ Alex. Burgio habitus. Burgij commendatio.

Eram aliquot antè menſibus cum amiciſſimo capite Alexãdro Burgio, Sacrorum ac litteratum Antiſtite apprimè nobili: cuius in recenti obitu iacturam ſanè incomparabilem fecimus quicumque ſaluam Rempublicam litterariam volumus. Erant alij nobiſcum, déque commentis veterum Poëtarum neſcio qua ſermonis traiectione diſſerebamus. admirabamur aliquorum granditatem atque orationis imperium, placebat aliorum ſuauitas & cultus, nonnullorum acumine contortuliſque aptè ſentẽtiis delectabamur. cúmque vti fit alios præ aliis haberemus, iámque in diuerſa traheremus paulo pugnaciùs, nec tam veterum quàm noſtris ingeniis faueremus; negaui tum ipſe ſtatui quidquam poſſe in tanta ſcriptorum varietate, quorum plerique peculiare quid habeant, quo præferantur: vt ſæpenumero qui diſſimiles ſunt, pares nihilominus æſtimari poſſint. Ad hæc Burgius (credo vt pugnaturis anteuerteret) præclarum ſanè inuentum ad eam quæſtionem opportunè diſſoluendam ſibi relatum dixit ab Hieronymo Amaltheo viro clariſſimo, quo cum ſene magna tunc ſibi adoleſcenti familiaritas intercedebat. Ego ad Amalthei nomen, quem legeram à M. Antonio Mureto laudatum

Sententiarum diſcrepantia.

Hieron. Amalthei præconium.

datum tanquam Poëtarum apud Italos præſtãtiſſimum,auidè mentem aduerti, vnáque cum aliis rogare inſtiti, vt quid illud eſſet non grauatè afferret in medium. negauit ille, quidquam ſibi eſſe iucundius,quàm de eo viro loqui,à quo tam multa identidem inaudierat de Sadoleto, de Bembo, de Naugerio, déque tota illa doctorum hominum cohorte; vt ſibi videatur illius beneficio, ſuperiori ſeculo interfuiſſe. cùm præſertim animaduertam, inquit, hac narratione poſſe me noſtræ huic controuerſiæ non vſitata ratione ſatisfacere. Sic igitur accipite.

Florebant ea tempeſtate Romæ cœtus excellentium virorum, qui ſtatis diebus conferre capita, déque re litteraria verba facere conſueuerant. Quem veterem Academicorum morem Romæ repetierant Theodorus Gaza, Flauius Blondus,Platina,Campanus, aliíque litterarum Proceres, qui apud Beſſarionem, virum ſanctimonia æquè ac litteris memorabilem; conuentus habebant. Quos excepêre non multo pòſt Hercules Strozza, Naugerius, Bembus, Parrhaſius,Sadoletus, Caſtilionius, Iouinianus, eiúſque notæ complures, quibus interdum coactis Leo ipſe Princeps interfuiſſe dicitur. nam VT ILLE digna carminibus gerebat, ita in primis carminum conditores amabat. Sed horum conuentus adhuc ardentiùs celebrari cœptus eſt, cùm ex Germania rediens Hieronymus Alexander,cui poſtea aditum ad Romanam Purpuram virtus aperuit, numerum illum auxit excellentium ingeniorum acceſſu ſuo; &,vt litteras non minùs amabat quàm callebat, erátque memori

Alex.Burgij narratio.

Academiæ Romæ reſtitutæ.

Leonis Pontificis amor erga Poëtas Academicos.

Hieron. Aleandri laus.

Academicorum exercitatio.

Diſſenſio & factiones eorūdem inueterū Poëtarum iudicio.

Naugerij ſolemne facinus in Martialē.

Martialis Epigrammata in ignē conie&a ab eo.

comprehenſione rerum ſupra omnem antiquitatem; ita illam eruditorum ſcholam apud ſe libenter aduocabat. Atque hi quidem, quòd noſtrorum temporum Poëſim recoquendam præcipuo conatu ſibi delegerant; in poëtico ſtylo veterum per veſtigia conformando, exigendóque ad Ariſtotelis normam, multùm operæ collocabant: &, quod euenire facile fuit, in antiquorum monumentis inter ſe comparandis, Poëtarúmque aliis ante alios extollendis quotidie diſſidebant. Iámque eò factiones proceſſerant, vt palàm eorum aliqui Lucretiani vulgò dicerentur, Statiani nonnulli, alij Virgiliani, nemo non alicuius affectator haberetur: séque propterea facetiis inuicem peterent, nec factis etiam feſtiuioribus, vt eſt ridicula Poëtarum natio, abſtinerent. Sanè Andreas Naugerius Valerio Martiali acriter infenſus, ſolemne iam habebat in illum aliquantò petulantiùs iocari. Etenim Natali ſuo accitis ad geniale epulum amicis, pòſtquam prolixè de Poëticæ laudibus ſuper menſam diſputauerat, oſtenſurum ſe aiebat à cœna, quo tandem modo laudari Poëſim deceret, mox afferri iubebat Martialis volumen (hæc erat menſæ appendix) atque igni propior factus, illuſtri conflagratione abſumendum flammis imponebat: addebátque eo incendio litare ſe Muſis, Manibúſque Virgilij, cuius imitatorem cultoréṁque præſtare ſe meliùs haud poſſet, quàm ſi vilia Poëtarum capita per vndas inſecutus ac flammas perpetuò perdidiſſet. Nec ſe eo loco tenuit, ſed cùm Syluas aliquot ab ſe conſcriptas legiſſet, vt ſolebat, in concilio Poëtarum, audiſséque Statiano characteri

ſimi

ſimiles videri, iratus ſibi, quòd à Martiale fugiens aliò declinaſſet à Virgilio, cùm primùm ſe recepit domum, protinus in Syluas coniecit ignem, eiúſque calore ſuccenſus verſiculos propè extemporarios fudit, quos in eodem conuentu qui proximè coactus eſt, ſub ruſtici Acmonis perſona recitauit in hunc modum. Idem inſenſus Statio.

Has Vulcane dicat Syluas tibi villicus Acmon,
Tu ſacris illas ignibus vre Pater.
Creſcebant ducta è Stati propagine Syluis,
Iámque erat ipſa bonis frugibus vmbra nocens.
Vre ſimul Syluas, terra ſimul igne ſoluta,
Fertilior largo fœnore meſſis eat.
Vre iſtas, Phrygio nuper mihi conſita colle
Fac Pater à flammis tuta ſit illa tuis.

Andr. Naugerius ſua carmina cōburens.

Sed ea res multorum animos offendit, quòd homo Virgilianæ imitationi obnoxius, impunè aliorum exiſtimationem per haſce ambages imminutum iret. Verùm cùm eiuſmodi ſpectacula quotidie ab aliis alia ederentur, tuerentúrque ſinguli pertinaci ſanè ſtudio Apollines ſuos; placuit cōtrouerſiam credere Iacobo Sadoleto, eius tum Senatus Principi, quem vnicè habebant in quo nulla factionis ſigna deprehenderant. Quare hominem conueniunt, quantùm arbitrij volentes libentéſque ei commiſerint, exponunt: rogant prouinciam ipſe ſuſcipiat, déque Poëſi, & eius natura in illorum cœtu ex intima, quam tenet, arte diſceptet. quid in ea glorioſum & minax, quid languidum aut exculcatum, quid cultum Muſíſque & Phœbo dignum cenſeat, in medio ponat. ſingulorum dictionem, quo quæque loco ſit, liberè commoneat. ſe dicto audientes

Iacobus Sadoletus Academię Princeps.

Controuerſiæ definitio inter Poëtas Sadoleto commiſſa.

foře,ſuorúmque faſces ingeniorum, eius (vti par erat) imperio ſubmiſſuros. Ille gratiis perhumaniter actis facturum quidem ſe, quod cuperent,vltrò recepit,& quoniam tantùm ei tribuebant, etiam conaturum, vt promptis ex Ariſtotele locutionis poëticæ legibus,ipſi de ſe ſententiam ferre poſſent;tamen pro comperto habere, parum hæc ei, quam diu alerent, controuerſiæ profutura: ac præuidere iam tum animo, quid ſinguli dicturi ſint: quam enim audient præ cæteris commendari dictionem, affirmaturos certatim omnes,eam planè eſſe, cuius ſpeciem ipſi adamant,quam in aliorum pleriſque deſiderant, atque in ſeſe conantur exprimere. ita enim natura comparatum, Qvid faciendvm ex re ſit,vident omnes eodem modo: quid ex re ſit factum, ſuiſmet oculis ſinguli vident. Quare ſatius fore aliò transferre cauſam. ſe quidem excogitaſſe aliquid,quod multo faciliùs, ſi aggredi velint,litem dirimat. id eſſe, ſi indicto non tantummodo ſuorum Senatu,vt mos eſt, ſed aduocata nonnullis inuitationibus audientia,quiſque meditatum domi aliquid afferat ad eius imitationem Poëtæ conformatum, quem præ cæteris laudat; idque in ea omnium ordinum corona proponat. profectò ex auditorum vultu ac nutu animaduerſurum vnumquemque, quæ dicendi nota populi ſuffragium ferat. Popvlvm optimum eſſe arbitrum æſtimatorémque: ad eum ſi prouocent, minore inuidia componi quæſtionem poſſe. Quid multis? ſiue quòd vera, ſiue quòd facilia dicere Sadoletus videbatur,accepta conditio eſt; modò ipſe non ſe oneri omnino

Præcipere generatim facillimum.

Innetum dirimēdæ controuerſiæ.

Populus optimus rerū æſtimator.

Digitized by Google

eximeret, ſed aliquo diſputationis inuitamento Recitatoribus præiret. Ergo quò res eſſet illuſtrior; alliceretque frequentiorem ſolito concionem; in rem fore viſum eſt, ſi quiſque in Comitium veniret eius Poëtæ habitu ſymboliſque cōſpicuus, cuius partes ſibi tuendas vltrò ſuſcepeerat; vt quoniam iam Bacchanaliorum inſtabant feriæ, ipſi ſuas quoque pompas exponerent, & cum Dionyſiis coniungerent Apollinares ludos. Vix conſilium emanauit in vulgus, cùm ad rei famam ingenti hominum concurſu, tum Aleandri domus, quò conuentus erat indictus, tum viarum flexus & capita, quibus eò accedebatur, obſideri cœpta ſunt. — Academia ſolito celebrior indicta. — Academiæ locus. — Pompa Poëtarum Academiā adeuntiū.

Primus ſe in conſpectum dedit Iouianus Pontanus, ſatiſque oſtendit ab ſe referri Papinium Statium popularem ſuum. Prææalto ferebatur impoſitus equo, cui non vulgaris in inceſſu gradus, ſed ſonora alterno crurum explicatu glomeratio; videbatur — Iouian. Pontanus Statium referens. Equus ſuperbè incedens.

Quadrupedante putrem ſonitu quatere, vngula campum. — Virgil. lib. 8. Æneid.

Ipſe auro Indiciſque diſtinctus vnionibus, & tanquam

———ſuper impoſito moles gemmata Coloſſo, — Stat. in Eq. Dom.

eam ſpeciem referebat, quam olim ſpeciem ex poëtico ad Albam certamine victor intulit Romam. nam & lauream capitis, & torquem pectoris auream, quam ei Domitianus impoſuerat, magnificè oſtentabat, identidem inclamans,

———Medijs videor diſcumbere in aſtris
Cum Ioue, & Iliaca porrectum ſumere dextra
Immortale merum.——— — Stat. in Ep. Dom.

Balthaſar Caſtilionius referẽs Claudianum. Equus gradarius.

Proximus ibat Balthaſar Caſtilionius Claudiano ſimilis, gradario inſidens equo, peregrinis phaleris, bracteíſque ſonorè tinnientibus inſtrato. veſtitus idem, qui in eius marmorea ſtatua ad forum Traianum viſebatur. plexum hedera capillamentum, chlamys acu picta; nulli in veſte ſinus aut rugæ, explicata omnia, ac poëtico planè metro compoſita.

Herc. Strozza referens Ouidium. Equulus agitatus.

At Herculi Strozzæ, qui P. Ouidij perſonam gerebat, longè aliud ornamentum. expeditus in equulo ſtatim emicuit, fracto cum arcu teliſque ſub Tomitano palliolo; nec facilè apparuiſſet in ea hominum frequentia, equéſne an pedes iret, niſi acrem volucrémque belluam agitator ipſe callidus in omnem partem ingenioſè flectendo omnium admirationem, quò ſe cumque moueret, excitaſſet.

Pet. Bembus referens Lucretium.

Herculem Petrus Bembus Lucretij ſub perſona ſedatior aliquantò ac tardior inſecutus eſt. Non quòd ei vis ignea furórque ſupra omnem Poëtarum inſaniam deeſſet; ſed ſiue quia pedes, vti Philoſophum decebat, incederet: ſiue quia Philoſophorum pallio Romanam togam ſuperinduxerat; ideo cogebatur operoſè ingredi, ac paſſim interſiſtere. lætus tamen illo compoſitæ ab ſe veſtis artificio, ea glorioſè repetebat:

Lucr. lib. 1.

Auia Pieridum peragro loca, nullius antè
Trita ſolo: iuuat integros accedere fontes,
Atque haurire, iuuátque nouos decerpere flores,
Inſignémque meo capiti petere inde coronam,
Vnde priùs nulli velarint tempora Muſæ.

Ianus Parrhaſius referens Lucanum.

Intereà exaudiri è proxima vicinia Bætici fragor equi, ac turba latè calcibus ſubmoueri. Erat hic

Ianus

lanus Parrhaſius Annæum Lucanum referens: qui dum quadrupedem paſſim fatigat, eúmque modò tolutim ac volutatim incedere, modò ſe in aëra ſaltu librare docet, nactus equum reſtactarium & caducum, excuſſo in terram galericulo minùs bellè pompam equeſtrem dabat. **Equus refractarius.**

Sed illinc auertit extemplò in ſe omnium oculos, qui Virgilium agebat, Andreas Naugerius. Quadrigis vehebatur triumphanti ſimilis, regebátque manu equos, quamquam volucres, & **Andreas Naugerius referens Virgilium.**

Qui candore niues anteirent, curſibus auras, **Virgil. 12. Æneid.**

ita tamen moderatur, vt ſuſpenſo ad numerum gradu incederent, vnguláſque certa per interualla modulatè colligerent. **Equi gradarij.**

Ipſe autem, cui Virga dedit memorabile nomen Laurea,———— **Caluus Poëta.**

è lauro virgam manu præferebat, toga purpurea indutus, & quaſi pro victoria iam tum vota conciperet,

———*Victor ego* (aiebat) *Tyrio conſpectus in oſtro* **Virg. 3. Georg.**
Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus:
Ipſe caput tonſæ foliis ornatus oliuæ
Dona feram. Iam nunc ſolemnes ducere pompas
Ad delubra iuuat.

Mitto iam reliquos aut mannulis iuueniliter exultátes, aut priſca libertate è plauſtro loquentes, aut iunctis bobus paſtoritia meditátes. Quos ingens aula cùm accepiſſet, ſediſſéntque ſinguli maioribus ſellis, non alio quàm quo venerant ordine diſpoſiti, adfuit è proximo conclaui Sadoletus, admiratuſque concionis frequentiam, ac florem Romanæ nobilitatis, traductus penè per humeros ad ſuggeſtum, Poëtarum corona, **Turba Poetarum.** **Celebritas loci.**

ac tota illa virorum panegyri ſalutata, in hunc fermè modum exorſus eſt.

Sadoleti diſputatio de ſtylo poëtico.

De Poëſi verba facientem ſicuti facile eſt in Senatu veſtro perhumaniter audiri (Poëtæ & ingenio, & imitatione clariſſimi) ita perquàm difficile arbitror de ea præcipere conantem in tanta ſtudiorum altercatione probari; nec quiſquam mihi poſteriorem hanc hodie partem impoſuiſſet, niſi probè intelligerem, non tam expectari à me vt pugnam conflictatione dirimam, quàm vt claſſicum pugnaturis canam. ídque eò libentiùs, quoniam ita voluiſtis, aggredior, quò magis magíſque ſpero, meam hanc orationem, & vobis inuitamentum ad dicendum, & cæteris, qui tanquam Iudices hîc ſedent, momentum fore ad diſceptandum. Ac mihi quidem poëticam dictionem quaſi veſtem explicaturo percommodè ſe ob oculos ponit, amplæ locupletíſque domus veſtiarium, in quo veſtium aliæ ſint viatoriæ atque campeſtres, domeſticæ vrbanæque aliæ, aliæ Theatrales, & in vſu tantummodo pomparum. atque vt harum finis omnium idem non eſt, ita nec forma. Viatoribus adſtrictum contractúmque conuenit tegumentum corporis, non latum & fuſum, ne properãtibus mora ſit laxitas veſtium. At dignitas Vrbis, atque ipſa Senatus ac fori facies poſcit elegantiam & cultum. Verſicolorē verò ſyntheſim ſpeciémque peregrinam atque exoticam amat ludus & Theatrum. Ita ſe res habet. VERBA quoddam ſunt veluti rerum indumentum. Hiſtoricum in locorum factorúmque narratione properantem caſtigata decet oratio & circumciſa, non compta nimis & otioſè

Veſtis, & orationis ſimilitudo.

Veſtis viatoria.

Vrbana.

Theatralis.

Dictio hiſtorica.

circum

circumducta. Oratori, qui in Senatu ſententiam dicat, aut concionis animos regat, altiùs exaggerata paulóque vberior quærenda eſt dictio. Demum Poëta Theatro ac voluptati ſeruiẽs, perſonatis quodammodo verbis opus habet, meritóque lepores venuſtatéſque conſectatur omnes, nec vllam omittit pompam pulcherrimæ orationis. Atque vt ciuis ſi fortè Senatum adeat ornatu ſcenico ludibundus, aut curſor ſenatoria ſuffarcinatus toga contendat in ſtadio, ridiculus meritò habeatur; ita reprehenſione riſúque dignus ſit, qui cùm hiſtoricum agat, verborúmque propemodùm neceſſitate metiri ſcriptionem debeat; diuerticula Poëtarum identidem quærat, atque ad voluptatem laxet orationem: aut cõtrà qui Poëtam cùm referat, obtineátque liberum oblectandi campum; hiſtoricæ ſe contractioni pudoríque oratorio ſponte ſubiiciat. Verùm de hac permutatione tranſitúque ſermonis dicendum mihi non eſt; ſed tantummodò monſtrandum, quãquam poëtico characteri finem præſcripſimus voluptatem, non minùs quàm dignitatem oratorio, atq; hiſtorico neceſſitatem; non continuò tamen omnem verborum lętitiã vel de fundo Poëtis hauriẽdam eſſe: ſed multa circulatoribus ac ſcurris, mimorúmque venalium gregibus vltrò relinquenda. Verùm animaduerto Poëtarum multos, dum mediam inire nituntur viam, in claſſes diſparari omninò duas: quarum vtraque dum ſe ab altero extremo ſollicitè proripit, concepto ſemel impetu tranſilit medium, extremúmque alterum carpit. Atque vt quas ego claſſes hominum loquor apud vos in medio ponam.

Oratoria.

Poëtica.

Triplex hęc dictio non permutanda.

Summa huius prælectionis.

Duplex Poëtarum claſſis.

Poëtæ de re non de metro ſolliciti.

Prior eſt eorum, qui ſiniſtro Apolline Poëſim aggreſſi nihil in verſu magnifaciunt præter ſententiam. hanc ſublimem electámque volunt, illum ſerpere permittunt, aut etiam iacere: & ſi fortè ad limam reuocant, atterunt potiùs atque arrodunt, quàm expoliant, & illuſtrent. Hinc infacetum aridúmque carmen, hinc coagmentatio verborum hiulca & lacunoſa, hinc Poëſis ingratis planè Gratiis concinnata. Atqui ſi voluptas, qua blandè concilientur hominum animi, finis eſt poëticæ orationi: quo tandem artificio conſectantur ij voluptatem, quóve lenocinio carmen architectantur, qui tam ieiuno ac ſtrigoſo dicendi genere vtuntur? An Poëſis ad amorem ſui quemquam alliciat facie iſta exangui ac penè cadaueroſa? Neque ij malo medentur qui ſolam dictionis Latinæ munditiam præoptantes, cætera poſt illam habènt, verſúmque vt libitum eſt lacerant atque eneruant: cùm in re vna partes non expleant eius artis quam profitentur omnes, & interea languidam fluxámque Poëſim reddant, quæque elabitur ex auribus, nec vllum ſui veſtigium relinquit. Scio veterum fuiſſe Poëtarum aliquos, qui, ſiue natura, ſiue iudicio, hanc elocutionis infractæ nequitiam amarent: quorum ſententiæ intercisæ, diſſilientéſque numeri, ac verſiculi retractantes & calcitroſi in deliciis hodie ſunt apud aliquos, qui hæc antiquitatis ramenta legunt, & RELIQVIAS imperij veteris vbique exoſculantur. Ego verò etſi illos Poëtarum Proceres veneror ſanè omnes, cùm mihi tamen aures defraudari ſentio ea in arte, quæ aurium inſeruit aucupio; commendare admiratíque hu

Verſus hiulci & interciſi.

Cur non laudandi.

Cur ſola munditie dictionis non defendendi.

Aurium iudicium.

huiuſmodi artificium ex animi mei ſententia non poſſum. Quid enim? Oratori adhibitum ſæpè fiſtulatorem Romano in foro legimus, qui cantu tum remiſſo, tum citato modos orationi faceret, præmonſtrarétque numeros, quibus aut iacentem erigeret, aut ferociétem ſæuientémque cohiberet. in carmine, quod eſt à cãtu dictum, deſiderari concentũ, ac Muſas modulatione ſpoliari impunè poſſe arbitrabimur? At ex infractis hiſce & confragoſis verſibus haurire ſe affirmãt aliqui ſuauitatẽ quandam latentium numerorũ. Audio, atque admiror, nam ego interrogo aurem meam, quam tamen ſurdã non experior omnino in aliis rebus, eámque ad occultũ huiuſce modulationis ſonum, inanẽ perpetuò iacentémque reperio. Sed nimirum etiã Pythagoras arcano neſcio quo cæleſtiũ concentu orbiũ inter mortales vnicè fruebatur. Saltem curtum iſtud atque inamabile genus carminis aliquo dictionis ſapore, quod factitarunt veteres, mitigaretur; profectò conuicium poëtico nomini haud facerent carmina nonnullorum languida ac febriculoſa. Nam quod attinet ad acumina ſententiarum, quibus in hoc genere complures ingenium probant ſuum; dicámne hominum vitium eſſe an temporum? Ad Inſulam parum ſalubrem cùm appuliſſet olim Seneca, cœpiſſétque febricula tentari, morbum loci dixit eſſe non hominis. Ita cadit in rem noſtram. TEMPVS plerunque ſtylum format, atque in orationem facilè immigrant mores. In muſicis (ne longiùs à Muſis abeamus) in cantu vocum atque neruorum, faſtidit hæc ætas noſtra, quem tamen ſuperior quæſiuit, concentum ſtabilem

Cic. 3. de Orat. Quintilia. li. 1. c. 10. Fiſtulator Oratori additus.

Argutiç & acumina ſententiarum.

Quid ſtylo cõferat tempus. Muſica huius tẽporis duriuſcula.

bilem & grauem, plenúmque authoritatis. modulos neſcio quos amamus & frequentamenta quibus concidatur minutim cantus, fractúſque diſſiliat, ac plena illa & ſonora vocum vis ac poteſtas eneruetur. reuocati promiſsíque ex inſperato numeri, colliſi duriùs ſoni, ſuſpenſa illicò vox, & vbi minimè expectes amputata, artis hodie medulla ſunt, plauſúmque multitudinis conſequuntur. An non hæc eadem in Poëſi peruerſitas? Satietas iam nos ſolidæ ſuauitatis cœpit: delicias è fuco quærimus. Vibratæ aliquot ſententiolæ, dicta punctim aculeata, inæqualium morſiunculæ numerorum, hæc languentem plerunque guſtum irritant, oſcitantíque huius ſeculi palato apprimè ſapiunt. Cùm interim digna illa Muſarum ſpecies, æquabiliſque numerorum volubilitas, ac natiui carminis mollitudo præ iſtis argutiarum præſtigiis facilè contemnatur.

Similis aliquorū Poëſi.

Sed quantùm iſti deficiunt ab voluptate propoſito Poëſi fine, tantùm finem eundem poſterior Poëtarum claſſis excedit. illi ſic loquuntur, vix vt vlli videantur canere: hi verò ita canunt, vt non videantur cuiquam loqui. limati illi quidem, ſed exeſi: hi copioſi, at contumaces: vtrique procul à deſtinato, illi aures defraudant, hi fatigant. Præcipitis opinor (Poëtæ) quo hæc altera complectar hominum claſſe. Illas aio ingentes animas, cœlo capita alta ferentes, nubes & inania perpetuò captantes, centum linguas, centum ora vel in culice depoſcentes: vno verbo illam Giganteam Poëtarum ſobolem, quam in quotidiano ſermone fulminamus omnes, dictiſq; figimus, non tamen omnes (quid enim diſſimu-

Poëtæ de metro magis quā de ſentētia ſollicitī.

Grāditas & tumor orationis.

le

lemus) non, inquam, quotquot hîc ſumus omnes périnde fugimus. Nimirùm arripuit, tenétque hic tumor ætatem noſtram, vt iuſto maiora omnia peruelimus, & DECRESCENTIBVS in dies, mundi veluti ſenio, corporibus, proceriores tamen animos contumacioréſque geramus. Conſiderate quibus amicimur, veſtes: olim laneæ erant etiam Patriciorum; nam ſericum non tam veſtimentum, quàm ornamentum fuit; adeò vt Valeriani Imperatoris ætate, ſicut Vopiſcum ſcribentem legi, libra ſerici penderetur auri libra: conſecutis inde temporibus vulgarior aliquantò eius vſus & vilior fuit, diu tamen manſit apud nobilitatem; hodie opificum vulgus ac ſellularij, ſericati & holoſericati tranſlucent. Quid ornamenta domorum? quid aulæa textili auro illuminata? quid vela acu picta pro foribus? quid rhedæ, & currus penè triumphales? quid peregrinantis gulæ inque ſuccos omnes inquirentis induſtria? quid purpura? quid argentum? quid domeſticum ſeruitium? quantùm luxuria faſtúque ſuperiorem ætatem antecellunt? Orationis idem eſt morbus. Exaggeratas olim eminétéſque dicendi notas, quibus ſermoni conciliabát veteres admirationem, quaſi diuturna conſuetudine protritæ iam ſint, admirationémque longo vſu amiſerint; nos longè liberaliùs confidentiúſque ſuſtollimus: & quo loco illi cautè deſierunt ruinam veriti, ſi progrederentur vltrà; nos ſapientiores inde volatum explicamús, déque victa antiquitate per cælum liberi, plaudentéſque triumphum agimus. Hinc omnia ſupra famam & fidem. VERBA tanquam VASA, ſono quæſita,

Seculi vitium omnia augêtis.

Sericum quanti olim erat.

Vitia exaggeratæ orationis.

Verba vaſorum inſtar.

non captu: ſententia prodigaliter elata, & obtorto veluti collo per nubes tracta: verſus de muſto, & lacu feruidi. dictio tota ſuperba & minax, quæque Tyranno ſimilis, malit metui quàm amari. Has verò bullatas nugas dum proiiciunt anhelantes iſti Recitatores auriúmque carnifices; quàm ingenti ſpiritu dicunt, Deus immortalis, quàm hiante ore, buccíſque inflatis perſonant; perinde quaſi pondus dare fumo, quod ait ille, connitantur? In conuentu hoc noſtro audimus interdum ſemipoëtas neſcio quos (liberè ego apud vos loquor, nam pleróſque veſtrûm vidi ad huiuſmodi ſpectacula riſum mappa compeſcétes) qui in Muſarum choro ſi Apollinem agerent, næ illi non agerent tam glorioſè: Reſiſtunt initio parumper ea quidem ſpecie, vt iam intelligas adornari pomparum fercula: mox verba ſenſim eliquant proponúntque per otium contemplanda: ſententiam circuitúmque verborum antequam deſinant, ſuſpendunt nonnihil quaſi finiendi ancipites incertíque: an quòd hærentem in labiis orationem ægrè expediant præ dulcedine? demum expreſſo, quod ſupererat verbo, ambitum illum orbémque ſententiæ feſtiuo ridentíque nutu capitis concludunt: inter hæc ad auditores identidem oculis prouocant, ac mercedis loco plauſum emendicant; quem ſi fortè ſibi conſequi videantur, tum verò beatuli per cælum quadrigis inuehuntur Iouis: funditant illicò verſus, qui pronunciantis exhauriant anhelitum grandes carminum offas, quibus vel Cerbero ſpiritum intercludant, iterum ac ſæpiùs ingeminant; ſtillant ex oculis rorem, gaudio

Perſ. Sat. 5.
Proſopopœia Recitantium.

im

immodicè gliſcunt, colliqueſcunt. Cùm tamen ſeſquiuerſus iſti ſi denique exprimantur, neque ſucci, neque ſani quidquam habeant, præter exuuias inaniáſque ſonantium verborum. Neque verò hæc à me dicuntur eâ gratiâ, quòd immania iſtorum carmina noſtro è choro ſubmouenda penitùs exiſtimem; quin potiùs ſicuti qui cothurnos aut ſoccos vendunt, cothurnum ex officina ſuſpendunt in via prægrandem enormíque magnitudine conſpicuum, qui nullius quidem pedibus vſui eſſe poſſit; ſed documento ſit prætereuntibus, ibi cothurnos confici diſtrahíque; Sic ingentium hæc portenta carminum equidem ante fores harumce ædium propoſuerim, vt ſi minùs cuiuſquam præterquàm Gigantum pedibus accommodata ſint, tanquam inſignia ſaltem ac ſimulacra metrorum ſignificent, in hac ſchola habiles poëtico operi verſus conformari. Soccus ante officinam penſilis.

Hæc dum Sadoletus fauente mirum in modum concione diceret, interſiſtere continuò cogitur, excitato in vicinia ingenti hominum clamore, incertum plaudentium, an exſibilantium? Scilicet ad Senatum in tempore accedebat Poëtarum additamentum Camillus Quernus Monopolitanus, is quem Roma Principi blandita Archipoëtam paulo ante ſalutauerat. Cùm enim audiſſet eo die conuentum haberi maximum Poëtarum, ratus abſque ſe Patrũ numerum haud legitimum fore, properauit quantùm per quadrupedem licuit ad vulgi clamores ſubinde reſtitantem. Nec aliam induit ſpeciem ab ea, qua pridem Tiberina in Inſula plaudente Populo Camillus Quernus Archipoëta. Eius pompa ad Academiã cõtendentis.

Romano triumphauerat. Elephantum conſcendit tapete Babylonico inſtratũ, ſparſimque argẽteis crepitaculis circumſonantem? ipſe ſegmentata veſte conſpicuus, reiecta in humeros verſicolore chlamydula manu lyram tãgebat, obuióſque Romanos Proceres extemporario carmine compellabat. capiti illi eadem corona inerat perplexa pampino, lauro, braſſicáque qua ſuper Tiberim publico exceptus epulo inter immania pocula donatus eſt. circùm ingens hominum plauſus tanquam in theatro identidem acclamantium,

Corona eiuſdem.

Acclamatio.

Salue braſſicea virens corona,
Et lauro Archipoëta pampinóque,
Dignus Principis auribus Leonis.

Hac ille ſpecie plauſúque cùm ſe in Senatum intuliſſet, ſediſſétque: veritus ſanè Sadoletus, ne quid turbarum afferret popularis ea turba, atque in iocos effuſa, cachinnos (quod propè erat) ſuſtolleret, ludóque tam ſeria ducerentur; conſilium in arena cœpit, ſtatuítque orationem præcidere, ac Poëtarum certamen proferre in alium diem. Ne tamen minùs honoris haberet homini, quem nouerat Pontifici eſſe inter inſtrumenta eruditæ voluptatis; officij duxit, pauca in ſpeciem ſubiicere, ſed vt apparebat animo paulo commotiore. ſic enim addidit:

Hæc verò (Poëtæ) quamuis in noſtros carminum buccinatores quotidie ludamus fermè omnes, non tamen huic malo pro eo ac decet medicinam facimus. Serpit in dies magis magíſque

gíſque hæc affecti corporis prurigo: nec quidquam iam modi pudoríſve ſupereſt in hac arte, quam adeò verecundè caſtéque veluti rem ſacram attigerunt Maiores noſtri, quibus QVO CORDIS plus erat, eò erat & oris minùs. Nam quæ iſthæc hodie confidentia eſt? an tu tibi poëticam mercem ita conduxiſti, vt illam arbitratu tuo contrectes, permutes, dilapides? Cædibus gladium paſci dixerunt Veteres quaſi magnum quid auſi. tu id legis ſcilicet haud ſine nauſea, nec bene de Poëſi meritus videris, niſi gladio & dentes,& ſtomachum ſuperaddas. Noctem Oceani Terræque partum nominaſſe Veteribus haud parum fuit. quantò ipſe liberaliùs partum hunc alis & foues; dum zonis,faſciiſque cœleſtibus inuoluis, nocturno rore lactas, lunæ curuatura (cunas tu vocas) iacentem excipis,eíque poſtremò ſomnum agitatione cœleſtium orbium, ſignorúmque crepundiis blandè concilias? Sol mundi menſor, dictum eſt perantiquum. ingenioſius iam videtur ſi pluſculum audeas, eúmque appelles perpetuum cœli tabellarium, piſtorem lucis, vmbrarum carnificem, aruorum cœleſtium aratorem; quòd ſi publicum mundi laternarium vocares, lepidius adhuc idcirco foret, quòd in occaſu lampada percommodè aquis extingueret. Itáne verò? in Poëtæ nomen inuadere ſe ſeriò putant qui hæc dicunt; an potiùs deridiculi gratiâ pueris ludos faciũt,& CAVDAM à tergo volentes trahunt? nam quid eſt aliud,obſecro, ineptire, quàm ætatem ingeniúmque inanibus hiſce nugarum commentis terere, iiſque

Tranſlationes audaces atque inuerecundæ. Earum aliquor exempla.

Aduersùs hoc genus Poëtas.

deliramentis (quo enim præterea nomine appellem, neſcio) dignitatem maieſtatémque Poëſeos æſtimare? Sed hæc in ea parte diſputationis meæ ſepoſueram ad extremum, in qua, quæ generatim vniuerſéque de poëtica dictione proluſi, præcipuè ac peculiariter aut excuterem ipſe, aut à vobis (Poëtæ) veſtra in medium afferentibus caſtigarentur. Verùm, vt video, nec mihi operis quod ſum aggreſſus abſoluendi, nec vobis quod polliciti eſtis inchoandi tempus ſuperat. neque enim hiſce in anguſtiis, quantùm in me erit, habenas ingeniorum veſtrorum circumflectam. Quare quod reliquum eſt, ſi qui hîc eſtis, qui non tam errore animi, quàm ſtudio & factione, de Poëſi aut anguſtiùs quàm eius amplitudo poſtulat, aut confidentiùs quàm decet illius verecundiam, cogitatis; nolite per Deum immortalem, Poëtæ, ingenium veſtrum ad omnia ſumma natum tam praua imitatione corrumpere. Corrumpitis, mihi credite, dum aut Poëſim ſiccè ac minutim complexi, illius copiam & flumen anguſta quaſi per incilia & colliquias immittitis, atque extenuatam in riuulos diſpertitis, planéq; diſperditis: aut impetu delati nō ſatis habetis pleno alueo puróque ferri, niſi extra ripas turbidi ac minaces omnia latè loca teneatis; cùm tamen Poëſis nolit vel ſuis aquis orbata, minore gloria: vel turbata, alienis torrentibus maiore odio fluere. Ecquam rogo æternitatem carminibus veſtris polliceri poteſt hæc orationis ſiue ſiccitas ſeſe ipſam exedens planéque conficiens: ſiue Tvmor momento enaſcens, momento euaneſcens? Nimirùm quemadmodum in Luſitania ad Oceanum (vt eſt ad apud

Sadoleti peroratio ad Poëtas.

Var

Varronem(equarum nonnullæ vento concipiunt admiſſario,atque intumeſcunt:ſed ex his,qui naſcuntur pulli non plus triennium viuunt; ita hæc ſubitaria,ventoſáque carmina , quæ à parentibus inanitate extemplò tumidis emittuntur , breuis omnino vitæ ſunt,ventóque facilè difflātur ac celeriter euaneſcunt. At verò vos, quorum vnicè in ſinum malè acceptæ alibi Muſæ hoc tempore confugerunt, agite per veſtram fidem, Poëtæ;&, quo eſtis ingenio , aduersùs deſultoriam iſtorum leuitatem vires opponite : ſcabiem iſtam minuti neſcio cuius afflatu gregis immiſſam à Poëſi affecta iam,nec dum corrupta prohibete : iſtas Gigantum minas , & quas homines inaniſſimi efflant glorias ſpiritúſque comprimite. veteris autem aduocate Poëticæ amorem , numerorum integritatem,dictionis munditiam,carminis maieſtatem:atque efficite, vt ætati huic noſtræ ob Poëſim veſtro merito reſtitutam,omnis hinc ſecutura poſteritas gratuletur. Vento cõcipientes.

Dixit : Academiámque accitu reuocandam ſuo Sadoletus officiosè dimiſit.

* * *

PROLVSIO SEXTA.

Academia Secunda.

SIVE

De ſtylo poëtico, qui tum admotis rurſum ad oculos Poëtis, tum exemplis ad eorum imitationem conformatis, tum demum iudicio de ſingulis prolato, qualis eſſe debeat oſtenditur.

REDEO ad Academiam poëtarum, quam ante annum de Poëtico ſtylo feſtiuiùs aliquantò diſceptaturus inſtitui (Cardinales Illuſtriſſimi.) Redeóque tantò nunc, quàm primò libentiùs, quantò quotidie magis comperi, nullum eſſe opportunins callidiúſque conſilium ferendæ ſententiæ de aliorum ingeniis, quàm quod olim ſuper diſſidio Poëtarum ſua tempeſtate nobilium à Iacobo Sadoleto Poëta, & ipſo venæ non vulgaris, oſtenſum eſſe multis ex hoc loco docebam. Quo enim modo viris nôn malè litteratis maiore ſtudio, quàm iudicio diſſidentibus de veterum æſtimatione Poëtarum. ac ſæpenumeto Poëtam aliquem, quòd alter eum poſthabuit, præferentibus; priuata quis authoritate ius dicat ſine offenſione complurium? à quibus abeundum eſt, ſi vni demum accedendũ ſit. Citiùs abs te cauſam reiicias, & digladiantes alleges ad populum, cuius iudicium neſcio qua ratione doctiſſimi quique ſecuti ſemper

Ratio ferẽdæ ſententiæ de aliorum ingeniis.

Populi iudiciũ cur magni factum.

ſemper veritique ſunt. ſiue quia ſtandum eſſe putarent eorum animis, quorum auribus voluptatique ſcribebāt: ſiue quòd IN NVMERO ipſo ſit quiddam magnum, ſuppleatúrque ab omnibus, quod ſingulis deeſt. Itaque Pōponius cognomento, non dignitate cuiquam Poëtarum ætate illa ſecūdus, ſi qua fortè in re diſſentiret ab amico, cui familiariùs oſtendiſſet fabulas ſuas; dicere ſolebat, AD POPVLVM prouoco: atque ex multitudinis, apud quam recitabat, vel ſilentio, vel plauſu, aut ſuam, aut amici ſententiam ſequebatur. Atque in hunc modum magnis illis litterarum Proceribus, Herculi Strozzæ, Naugerio, Bembo, Iouiano, Parrhaſio, Caſtilionio, aliiſque perpetuò diſſidentibus, in eo qui tunc ſplendidè cogebatur Poëtarum cœtu; author fuerat Sadoletus poëtici Senatus illo anno Princeps; vt in tanta ingeniorum altercatione non vnius ſententiam ſpectarent: neue ſe vnum, quem dirimendæ litis arbitrum cooptauerant, magna inuidiæ mole nequidquam oppreſſum vellent: ſed exemplo Pomponij, cauſam cum pluribus communicarent, hoc eſt, ad Academicum conuentum ſolito magnificentiùs indictum ſinguli afferrent aliquid à ſe ſcriptum ad eius imitationem Poëtæ, quem præ aliis habendum tantopere pugnabant: recitantéſque ſubinde intenderent in cōcionem, agnoſceréntque ex auditorum oculis ac vultu, qui in eorum animos dicendi character ſuauiùs influeret, atque adeò qui veterum Poëtarum hoc ſeculo plurium ſuffragiis dominetur. Eam ſibi videri litis componendæ viam tutam iuxtà ac expeditam: quoniam NEMO ſibi factam eſſe iniu-

Plin. lib. 7. ep. 17.

Conſiliū dirimēdæ Poëtarum controuerſiæ de ſtylo.

riam à multitudine ſeparatim conqueritur: & IN OMNI re quem debeas è multis eligere, populi conſenſu, ſi velis agnoſcere, plerumque mõſtratur. Et ſanè res ibat ad votum conſiliúmque Sadoleti. nam Poëtæ & alacriter acceperant conditionem pugnæ, & ingenti omnium ordinum frequentia conuenerant recitaturi. Sed dicentem è ſuggeſto Sadoletum, vti iuſſus erat, de poëtico ſtylo, concertaturíſque ea diſputatione præeuntem, Camilli Archipoëtæ repentinus aduentus ita turbauit, vt exhilaratæ ad Poëtæ nundinalis aſpectum plus æquo concioni ſeriò intercedendum, ſuorúmque certamen vtcumque prorogandum exiſtimauerit. Verùm Sadoleti conſilium longè alium exitum habuit, quàm ipſe præceperat animo. Nam cùm apud Pontificem Leonem ſuper menſam, vt mos erat, Camillus argutaretur, homo nihil reticens eorum, quæ grata Principi eſſe ſciret, Poëtarum altercationem conſiliúmque patefecit. Et fuit id Leoni periucundum: qui explorata haberet illorum ingenia, & ſolitus eſſet interdum ſeueritatem Imperij, atque acres generis humani curas eruditis hiſce voluptatibus tẽperare. Quare iuſſit ſuo nomine Poëtis offerret Palæſtram ad hæc Muſarum ſpectacula non paulo ſplendidiorem: propediem ſe in Manlianam otij causâ conceſſurum; illuc frequentes conuenirent: fortaſſe habituros ſe ſuo in cœtu etiam Leonem. Quod vbi permanauit in vulgus; mirum quantum erexit ſubitò ſtudia multitudinis, quæ in rerum nouarum famam ſedulò intenta, hunc demum diem veluti primos in circo miſſus penè conuiciis flagitabat.

Poëtarum certamen acceſſu Archipoëtę dilatũ.

Leonis Pontificis humanitas erga Poëtas.

Multitudinis expectatio de Poëtarum pugna.

gitabat. Poëtæ verò, quos non tam expectatio multitudinis, quàm benignitas Principis præter modum ſollicitos habebat, rati indignum ſe commentiſque ſuis fore, ſi eodem, quo priùs, apparatu ac pompa procederent in Senatum (vt eſt ingenioſa hominum natio) nouo ludo plebem paſcere, vtque tunc equis, ita nunc aquis inuehi (imminet enim Tiberi Manliana villa) optimum factu exiſtimarunt.

Ergo in dextro littore Portuenſis viæ propè Cæſaris olim hortos nauigatione adornata, obſeſſiſque frequenti populo ripis, tanquam ad Naumachiæ ludos; tandem ſecundo flumine deferri cœpit ingens immaniſque Rupes, quæ nullis incitata remis, ſed rotis ſenis impoſita, quadrigarum more terebat aquas, ſéque ipſam temperata quadam velocitate concitabat. Cuius artificij ratio hæc fermè erat. Latebat intra huius vterum Montis, in imo eiuſdem ſolo ſeu carina, tractoria machina, quæ vectariis equis obnitentibus circumducta alios atque alios verſabat orbes, quorum conuerſionibus tranſuerſi iacentéſque per carinam axes rotarum, quæ vtrimque ternæ, vt dixi, regebant molem, obuoluebantur quàm celerrimè. inde rotæ, quibus de loquor, dum verſabantur, quia in ambitu ſeu curuatura extantes radios dentéſve tanquam palmulas habebant, aquis impactæ fluuium ſcindebant remorum vice, Rupémque eodem molimine atque incitatione propellebant. Hæc auté moles quam ſpeciem referret, Mons ipſe biceps ſeu bicornis, primi in radicibus aditus vepribus impediti & calculoſi, iuga explicata, lauróque conueſtita,

Apparatus Poëtarum.

Rupes in aquis ſe ipſa mobilis.

Parnaſſus.

Pegaſus excuſſo iam fonte ſublimi; non modò facilè ſubiiciebant oculis: ſed etiam, quòd nulla è nouem Camœnis appareret, præter Calliopem, quæ carmina libris heroica mandat; Parnaſſi partem heroicis Vatibus ad incolendum attributam non obſcurè ſignificabant. Imò huc etiam aliqui transferebant ſenas rotas, quibus tanquam totidem pedibus, heroico ſanè inceſſu ferebatur Moles. quamquam argutuli nonnulli, Parnaſſum meritò mobilem, rotíſque verſatilem fuiſſe figuratum garriebant, quòd ea res mirificè referret ingenium Poëtarum inſtabile, ac trãſlatitium: qui vagi, atque verſatiles (nempe quorum opera verſus eſſent) modò huc, modò illuc accederent: &, ſi fortè ſteriles dominos, tanquam malam viciniam nacti eſſent, colligerent ſubitò ſarcinulas, ſubiectíſque domui rotis aliò cum familia commigrarent. Hac igitur Mole vnà omnes, quos nominaui Poëtæ, poëtico planè nauigio vehebantur: ſingulíque eam inſedêre montis partem, quæ maximè libuit. Et Iouianus quidem Pontanus, qui Statij Papinij tuebatur nomen, ſublimiorem è geminis Parnaſſi collibus occupauit; conſcenſóque eius ſupercilio, è rupis eminebat crepidine minax ac penè præceps: eáque oſtẽtatione, omnium in ſe oculos, ceu funambulus periculo proximus, attrahebat. Ex altera parte Balthaſar Caſtilionius pro Claudio Claudiano alterum bicipitis Parnaſſi cacumen obſedit, depreſſius illud quidem Statiano faſtigio, ſed explicatius: paulo tamen ſterilius, herbíſque Latio ignotis alicubi conſitum. Sed Petrus Bembus Princeps Lucretianæ factionis ad radices agebat aliquid:

Parnaſſus cur ſenis rotis mobilis.

Quam Parnaſſi partem Poëtę ſinguli tenuerint. Statius à Pontano relatus.

Claudianus à Caſtilionio.

Lucretius à Bembo.

aliquid:vt enim ipſe genus illud nauigij ex antiquitate petierat,didicerátque à Philoſophia motum impertiri rupibus inter aquas; ita eius machinæ rotarúmque temperator ſedulò inſtabat operi:quò fiebat, vt inter ea machinamenta circumſtantéſque vepres, in quas interdum ſeſe induere neceſſe habebat, ſemiconſpicuus appareret, operíſque ſui amore vix inde conſurgeret ad reliquas Poëtarum amœnitates. At verò Hercules Strozza Ouidio ſimilis non loco cóſiſtebat vno, ſed Parnaſſum penè totum dexteritate mirabili peragrabat: quamquam vt erat impatiens moræ, quæ in ardui montis iugum contendenti neceſſaria erat, libentiùs curſitabat in imo. Nullus tamen in locum emicuit illuſtriorem, proiectioremque ſub oculos quàm Ianus Parrhaſius Lucani Patronus. Hic Pegaſum ipſum in media Rupe ſublimem iuueniliter animoſéque cóſcédit, vnáque cum bellua volatum adornante, velle nubes petere videbatur. verùm quia Quadrupes poſterioribus tantùm pedibus inſiſtebat humi,ſublato reliquo corpore, idcirco ægrè locum decliuem lapſantémque Poëta retinebat: vt identidem in poſtrema delatus penè penſilis inhæreret, caſurúſque iam iam ab omnibus cóclamaretur. Denique Andreas Naugerius, cui Virgiliana non magis dignitas,quàm virginalis eiuſdem verecundia cordi erat; propè Calliopem Laureto inumbrante, conſedit. quo in receſſu fefelliſſet oculos ille multorum, niſi quòd in Calliopem intendere obtutum nemo poterat, qui ſimul aſſidentem inibi Poëtam non videret.

Ouidius à Strozza.

Lucanus à Parrhaſio.

Virgil. à Naugerio,

Ad hunc ergo modum vehebantur Poëtæ,

Camillus Quernus Archipoëta. cum prope Manlianam obuium habuêre ſymphoniacis actum remigibus Phaſelum, cui Archipoëta præibat Delphino impoſitus, Bacchi habitu ſpeciéque: apto nimirum commento ad venæ celeritatem ſuæ figurandam. ipſe autem, quippe remigum moderator atque celeuſtes, iuſſis illicò ſymphoniacis ad nauticos modos inhibere remos, extemporali Poëtas carmine ſalutauit, inuitauítque. Sed illi ludicra hæc perleui riſu tranſmittentes, déque pugnæ expectatione

Academiæ locus. ſolliciti, exſcenſione facta, ædes ſubeunt, Sadoleto deducente: atque in Aula omnium ordinum frequentia, & Pontificiis potiſſimùm aſſeclis referta, nullo exedrarum, locíque diſcrimine con-

Leo Pontifex in ſpecula. ſidunt. Nam Leo Pontifex ratus inferius eſſe maieſtate Principis, ſi ſe in conſpectum concio-

Sadoletus ad Poëtas. ni daret; in Aulæ receſſu, loculamento ſe ſuo ſublatus in ſpeculam inſeruerat. Tunc ex altiori ſella Sadoletus totius palæſtræ atque certaminis tẽperator, pauca præfatus in laudem Principis, amorémque eius in Poëtarum nationem: reuocatóque illis in memoriam conſilio, quod inierant antiquæ penitúſque alicubi antiquatæ Poëſeos repræſentandæ; agerent iam, hortatur, in ea luce, qua ſplendidiorem neque veteres ipſi Poëtæ, quos imitabantur, vnquam nacti fuerint: effunderent quantùm eſſet virium, laxarén que ingeniis liberaliter habenas: cauſámque, cui quiſque patrocinabatur, dicendo meliorem facerent: ac

Pugnæ poëticæ principiũ. digna demum illo Procerum conſpectu, digna iis quos tuebantur Poëtis, digna tanti Principis domo proferrent in medium.

Hiſce ita prædictis conuerſus ad Ianum Par-

rhaſium Sadoletus; Quoniam, inquit, multùm referre arbitrati ſunt olim Duces in militum delectu, vt boni eſſet ominis is quem primum appellarent; te ego, Iane, primum nomino, téque recluſo bellum cæteris indico. Age, & Lucanum tuum nobis ſub oculos pone. Tunc ille; Accipio, inquit, omen: primúmque locum Annæo Lucano debitum non recuſo. Vos audite facinus Hiſpani Ducis aduersùs filium, dignũ ea profectò natione facinus, cóque Poëta. Ianus Parrhaſius.

AT verò Hiſpanus pluſquàm Mauruſia campis
Arma mouet truculentus Arabs, fontéſque lacûſque,
Et totum galeis Bætim victricibus haurit.
Quo magis Alphonſus ſibi credita mœnia luſtrat
Impiger, & late Mauro defendit ab hoſte
Carthetam denſa dudum obſidione gementem.
Ecce per hoſtiles reſono clamore phalangas
Attolli plauſus, atque inter barbara ſiſtra.
Captum oſtentari puerum videt. Ilicet arſit
Vt natum pater agnouit. ſat nota micantis
Cæſaries capitis, neque fallunt viſcera patrem.
Illum inter comites (& erat hæc vna ſuperſtes
Alphonſo proles) agris dum fortè pererrat,
Abſtulerant hoſtes, nunc, circum mœnia ductum
Obiiciunt patris ante oculos, gladiiſque minantur,
Ni dedat, quam non longum tutabitur, vrbem;
Acturos ſeſe nati intra viſcera ferrum,
Et patrium charo ſparſuros ſanguine vultum.
Expauêre alij, atque animum ſubiêre parentis:
Exuit ipſe parens. toruo quin lumine Mauros
Deſpectans, Mene, inquit, deterrere putaſtis
VENALES ANIMÆ, & dominos mutare paratæ?

Lucanus.

Alphõſus Cartheiæ obſeſſæ Dux.

Captiuus filius.

Alphõſus ad Mauros.

Si

Si me feciſſet proles centena parentem,
Staret & hoſtili natorum turba ſub ictu;
Nil me propterea recti de tramite flectant
Exarméntve Ducem lacrymæ,mortéſque meorum,
Mœnia ſunt ferro,non patris viſcera nato
Aggredienda. meam per me concidite prolem,
Dilaniate artus, æquate & vulnera membris;
Et ſemel Alphonſum maiorem diſcite patre.
HÆC dicens ſubitò vagina liberat enſem,
Elatóque minax:Rabies ſi tanta cruoris
Cædíſque innocuæ ſtimulat præcordia,ferrum
Patris facinus memorabile. Hoc,ait,accipite:& FERRVM DE MOENIBVS ALTIS
PROIECIT PATER: inde ſuos & tecta reuiſit
Securus,potuítque paratæ accumbere menſæ.
Obſtupuêre acies,tonitrúque ſimillima rauco
Alphonſi vox illa fuit, ferrúmque cadentis
Fulminis in morem ſpectantem exterruit hoſtem.
Mox animi rediêre truces,ſubiítque pauoris
Nex filij. Ira locum: certum eſt vlciſci in prole parentem.
Tunc ferrum in venas pueri nil tale merentis,
Et fruſtra palmas ad mœnia nota leuantis
Immergunt,donúmque patris in viſcera condunt.
It ſubitò ad cœlum clamor: quantúſque niuali
Fit ſonus,incubuit Boreus cùm ſtridulus Oſſæ;
Tantus ad aſpectum cædis dolor vrbe reſultat.
Euocat Alphonſum fragor,atq; in mœnia currit:
Et nati aſpiciens letho languentia membra,
Quamquam animo redit vſque pater; tamen excutit illum
DVX MELIOR:ciuéſque obiurgans;Hoc erat,inquit,
Quod veluti capta comploraniſtis in vrbe?

Vóſne,

Vóſne, puérque meus caſu pendetis ab vno?
Illum ego nutribam Patriæ: iam reddidi; & vrbi.
Hæc, reor, infenſum placabit victima Numen.
Dixit, & extemplò ad conuiuia cœpta reuertit.
Ô ingens anime! ô fato inſuperabile pectus!
Digna erat hæc ſcribi Bruti ſub nomine Virtus,
Ni foret Alphonſi, moréſque referret Iberos.

Amor in patriam ſingularis.

Alphonſi præconiũ.

De Lucano iudicium.

Vix Ianus abſoluerat, cùm tacita admurmuratione patuit indicium multitudinis: Nempe vt quiſque de Lucano opinionis anticipatione ſentiebat (ſentiebat autem adeò diuersè, vt alij ſummum, aut ſummo proximum, alij infra infimum recenſerent) ita quoque auditum carmen variè extollebatur, arguebatúrque. in hoc tamen plerique conſpirabant, atque ita de Lucano vniuersè ſtatuebant: ingenium ei eſſe oppidò magnum, ſed contumacius, quàm vt arte regi poſſet; dictionem ingenio parem, animoſam, peracutam, eruditam; at inamænam, tragicéque feralem, & quæ neſcio quas turbas amet, famæque magnæ malit eſſe, quàm bonæ. vno verbo Lucanum eſſe, qui primus inclinaſſe ſtylum auſus ſit. At Sadoletus nihil vltrà cunctatus Petro Bembo, qui propter Parrhaſium ſedebat, ſignificauit vt diceret. Cui Bembus; Habeo gratias, Sadolete, quòd Lucretium euocaueris poſt Lucanum: vt quid interſit inter natos Romæ Poëtas, & Romana ciuitate donatos paucis verſibus palàm fiat. Quamquam Lucretius comparatione iſta, qua ſibi gloriam quæreret, haud egebat. Atque vt argumento ludam non inani, eos qui mecum in eadem naui iactantur ſcriben

Petrus Bembus.

bendis epiſtolis, rationem expeditiſſimam docebo abſentes admonendi nullis eò miſſis tabellis, nullis tabellariis. res ita ſe habet.

Lucretij ſtylus.

MAGNESI genus eſt lapidis mirabile, cui ſi
Corpora ferri plura, ſtylóſue admoueris; inde
Non modò vim, motúmque trahent, quo ſemper ad Vrſam,
Quæ lucet vicina polo ſe vertere tentent:
Verùm etiam mira inter ſe ratione modóque
Quotquot eum lapidem tetigêre ſtyli, ſimul omnes
Conſpirare ſitum motúmque videbis in vnum,
Vt ſi fortè ex his aliquis Romæ moueatur.
Alter ad hunc motum, quamuis ſit diſſitus longè
Arcano ſe naturai fœdere vertat.

Ferrei ſtyli tacti à magnete ſeruantes mutuum motum diſtracti diſtantéſque.

Ergo age, ſi quid ſcire voles, qui diſtat, amicum,
Ad quem nulla accedere poſſit epiſtola; ſume
Planum orbem patulúmque, notas elementáque prima
Ordine, quo diſcunt pueri, deſcribe per oras
Extremas orbis: medióque repone iacentem,
Qui tetigit magneta, ſtylum; vt verſatilis inde
Litterulam quamcumque velis, contingere poſſit.
Huius ad exemplum, ſimili fabricaueris orbem
Margine deſcriptum, munitúmque indice ferri,
Ferri quod motum magnete accepit ab illo.
Hunc orbem diſceſſurus ſibi portet amicus,
Conueniátque priùs, quo tempore, queíſve diebus
Exploret, ſtylus an trepidet, quidve indice ſignet.

Planus orbis litteris circũſcriptus.

His ita compoſitis, ſi clàm cupis alloqui amicum,
Quem procul à tete terrai diſtinet ora;
Orbi adiunge manum, ferrum verſatile tracta.
Hic diſpoſta vides elementa in margine toto:
Queîs opus eſt ad verba notis, huc dirige ferrum,

Ratio alloquendi abſentem abſque nuncio & epiſtola.

Litteris

Litterulâſque, modò hanc, modò & illam cuſpide tange,
Dum ferrum pereas iterúmque iterúmque rotando,
Componas ſingillatim ſenſa omnia mentis.
Mira fides, longè qui diſtat cernit amicus
Nullius impulſu trepidare volubile ferrum,
Nunc huc, nunc illuc diſcurrere: conſcius hæret,
Obſeruátque ſtyli ductum, ſequitúrque legendo
Hinc atque hinc elementa, quibus in verba coactis Ratio reſpondendi eodem modo.
Quid ſit opus ſentit, ferróque interprete diſcit.
Quin etiam cùm ſtare ſtylum videt, ipſe viciſſim
Si qua reſpondenda putat ſimili ratione
Litterulis variè tactis, reſcribit amico.
O vtinam hæc ratio ſcribendi prodeat vſu. Commoda huius inuenti.
Cautior, & citior properaret epiſtola, nullas
Latronum verita inſidias, fluuióſque morantes.
Ipſe ſuis Princeps manibus ſibi conficeret rem:
Nos ſoboles ſcribarum emerſi ex æquore nigro,
CONSECRAREMVS CALAMVM MAGNETIS AD ORAS. De Lucretio iudicium.

Finierat: aſſenſúſque ferè omnium non tam Lucretius probatus eſt, quàm calliditas Bembi commendata, qui lepido illo documento ſopierit auditorum mentes, abſtraxerítque ab ea ſtyli ſimplicitate numeríſque penè ſolutis atque innumeris, quibus nihil profectò fuiſſet ingratius, ſi ſoli propinati eſſent. Apparebat tamen doctiores paulo aliter ſentire, atque affirmare ID PROPRIVM eſſe Lucretio vt ſemper aliquid agat, & doceat: ac propterea docenti orationem illam aptiſſimam eſſe, eorúmque palato, QVI ROMANE ſapiunt, ſuauiſſimam videri. Quòd ſi aut materiæ difficultas, aut ſtudium antiquitatis homi-

nem non fefelliſſent, Lucretiano carmine nihil ſanè futurum fuiſſe perfectius. Ad Bembi latus aſſidebat Balthaſar Caſtilionius:in quem intuens Sadoletus; Ex te, inquit, Claudianum expectamus, vt vides, Caſtilioni. Tunc ille, vt erat ad omnem vrbanitatem aulicámque pompam vnicè factus, ſalutata officioſè auditorum corona; Si Poëtis,inquit,gratia concilianda eſſet à patria, quod Bembus exiſtimauit,prodeſſet hodie Claudiano perhonorifica tranſlatio in Florentinum nomen.præſertim cùm NASCI alicubi fortunæ ſit,adoptari verò virtutis. Sed vos,quoniam laudes hominum, non gentium quæritis, quo loco patriáque ſit digna Claudiani virtus, ex hac vna Philomelæ, ac citharœdi concertatione, cui nuper ipſe interfui,iudicate.

Balthaſar Caſtilionius.

Ob Leonem Pontificem.

Claudiani ſtylus.

IAM Sol à medio pronus deflexerat orbe
Mitius è radiis vibrans crinalibus ignem.

Fidicen.

Cùm fidicen propter Tiberina fluenta,ſonanti
Lenibat plectro curas,æſtúmque leuabat
Ilice defenſus nigra ſcenáque virenti.

Philomela.

Audiit hunc hoſpes ſyluæ Philomela propinqua,
Muſa loci,nemoris Siren,innoxia Siren,
Et propè ſuccedens ſtetit abdita frondibus,altè
Accipiens ſonitum,ſecúmque remurmurat,& quos
Ille modò variat digitis,hæc gutture reddit.

Fidiū exploratio.

Senſit ſe fidicen Philomela imitante referri,
Et placuit ludum volucri dare.plenius ergo
Explorat citharam,tentamentúmque futuræ
Præbeat vt pugnæ,percurrit protinus omnes

Par Philomelæ reſponſio.

Impulſu pernice fides. Nec ſegnius illa
Mille per excurrens varia diſcrimina vocis
Venturi ſpecimen præfert argutula cantus.

Tunc

Tunc fidicen per fila mouens trepidantia dextram,
Nunc contemnenti ſimilis diuerberat vngue
Depectitque pari chordas & ſimplice ductu:
Nunc carptim replicat, digitiſque micantibus vrget
Fila minutatim, celerique repercutit ictu.
Mox ſilet. Illa modis totidem reſpondet, & artem
Arte refert. Nunc ceu rudis, aut incerta canendi
Proiicit in longum, nullóque plicatile flexu
Carmen init, ſimili ſerie, iugique tenore
Præbet iter liquidum labenti è pectore voci:
Nunc caſim variat, moduliſque canora minutis
Delibrat vocem, tremulóque reciprocat ore.
Miratur fidicen paruis è faucibus ire
Tam varium, tum dulce melos: maioráque tentans
Alternat mira arte fides: dum torquet acutas,
Inciditque; graues operoſo verbere pulſat,
Permiſcétque ſimul certantia rauca ſonoris,
Ceu reſides in bella viros clangore laceſſat.
Hoc etiam Philomela canit: dúmque ore liquenti
Vibrat acuta ſonum, moduliſque interplicat æquis;
Ex inopinato grauis intonat, & leue murmur
Turbinat introrſus, alternantique ſonore
Clarat, & infuſcat, ceu Martia claſſica pulſet.
Scilicet erubuit fidicen, iráque calente,
Aut non hoc, inquit, referes Cithariſtria ſylua,
Aut fracta cedam cithara. Nec plura loquutus
Non imitabilibus plectrum concentibus vrget.
Namque manu per fila volat, ſimul hos, ſimul illos
Explorat numeros, chordáque laborat in omni,
Et ſtrepit, & tinnit, creſcitque ſuperbius, & ſe
Multiplicat relegens, plenóque choreumate plaudit.

Ad Hiſpaniæ citharæ modũ. Minuritio.

Par Philomelæ reſponſio.

Fidiũ varia alternáque percuſſio.

Fidium omnium multiplex ac plena cõplexio.

Philomelę reſponſuræ conatus.

Tum ſtetit expectans, ſi quid paret æmula contrà.
Illa autem, quamquam vox dudum exercita fauces
Aſperat, impatiens vinci ſimul aduocat omnes
Nequicquam vires. nam dum diſcrimina tanta

Sed impar.

Reddere tot fidium natiua & ſimplice tentat
Voce, canaliculiſque imitari grandia paruis;
Impar magnanimis auſis, imparque dolori

Eius obitus.

Deiicit & vitam ſummo in certamine linquens

Vis æmulationis.

Victoris cadit in plectrum, par nacta ſepulcrum.
VSQVE adeo & tenues animas ferit æmula Virtus.

De Claudiano iudicium.

Enimuerò dicentem ingens Aulæ plauſus excepit, acclamatúmque BELLE, ingenioſè, ſuauiter: mox etiam ſingula diſtinctè laudata. Prima Claudiani virtus pleriſque viſa, argumentum oculis expoſitum, réſque ipſæ verbis adæquatæ multos canorum illud in verſu, tractuſque nullo ſyllabarum ſeſe cædentium hiatu volubilis mirificè tenuit. fuêre qui vana mirantes, ſimilitudinem neſcio quã affinitatémque Etruſcę Poëſeos in Claudiano reperirent, atque Italiciſſantem amarent, dignumque vel hoc nomine cenſerent, qui ab Etruſcis adoptatus fuiſſe diceretur. ridentibus ad hæc iudicia nonnullis, & infuſam Latio peregrinitatem ſtyli, numerorũ æquabilitatem (quam tamen Caſtilionius hic temperaſſet) ſatietatémque, ſententiarum ambitionem ac pompam ſeriò liberéque damnantibus. Interea

Hercules Strozza.

Sadoletus ad Herculem Strozzam conuerſus loco & vrbanitate Caſtilionio proximum, commendatione verò paterni in re poëtica nominis etiam ſuperiorem; Age, inquit, Hercules Strozza, & Ouidij perſonam; quam tibi Titus pater impoſuit

poſuit, ſuſtine vt Herculem decet educatum in gremio Muſarum. Cui Strozza; Contendam, inquit, & vt ſpero, tua præſertim auditorúmq; fultus humanitate ſuſtinebo. Atque vt me ad Ouidij fingam non modò phraſim, ſed etiam mētem, dicturus de Chryſomagnete ſeu lapide aurū attrahente, non ferrum, cauſam huiuſce virtutis à poëtica Metamorphoſi deduco in hunc modum:

FORTE mihi puero putei ſuper ore ſedenti — Ouidij ſtylus.
Annulus exciderat, nec erat ſpes vlla legendi;
Cùm pater è filo lapidem demittit in vndas
Prædatorem auri: ſubitóque excitus ab imo
Annulus accurrit fundo, lapidíque cohærens
Tanquam hamo piſcis, ſummas effertur in auras.
Talia mirantem pater occupat. Accipe cauſam — Vis Chryſomagnetis.
Nate, ait, & lapidem (non longa eſt fabula) noſce.
Deucalion & Pyrrha (genus mortale duobus
In quibus omne fuit quondam, & duo turba fuerūt)
Vt reparent populos, ſua poſt veſtigia iuſſos
Proiiciunt lapides: lapides ceu ſemina frugum
Molleſcunt, inque oſſa virum mutantur, & ora. — Cur aliqui durioribus moribus.
Quamquam homines aliqui nondū digeſta videtur
Effigies, & adhuc retinent de marmore multum,
Duritiáque docent; qua ſint ab origine nati.
Iam noua creſcebat ſoboles, & cura trahebat
In diuerſa animos; nam prout cecidêre per vndas,
Aut per agros lapides, aut per ſpelæa ferarum
Aut propter montes ferríque auríque feraces;
Sic genium traxêre loci. venatibus ille — Vnde morum varietas.
Indulget, terram colit hic, illi æquora ſulcant,
Hi ferri venas, aurúmque per omnia quærunt,
Et ſceleris quærunt, mortiſque per omnia cauſas.
Tunc verò hæc oculis inuitamenta malorum

Auaritia.

Abduxit Natura parens, & intima terræ
Viſcera contraxit, Manéſque remouit ad imos.
Sed tamen huc quoque deſcendit furioſa cupido,
Abdita rimatur, terrámque euiſcerat omnem.
Scilicet indignato homini Natura, quis vltrà
Finis erit, dixit? tellus exhauſta metallis
Antè gemet, quàm dira fames ſaturata quieſcat.
Dum loquitur, mentem magneſia vertit in arua,
Et puduit vertiſſe. videt molimine longo
Inſtantes operi, defoſſique vltima mundi
Scrutantes arcana, & opes (ſua damna) petentes:
O PRONA in terram, clamat, perituráque turba,
Quódque ſibi fodit prope Tartara, digna ſepulchro
Dixit, & irato tremefecit Numine terram,

Conuerſio cadauerũ in magneſia ſaxa.

Oppreſſitque viros, & gleba immiſcuit artus
Quam malè tractabant per aperta pericula glebã.
Quin flamma è ſtygiis, vt erat vicina, cauernis
Illam membrorum terraque ſine ordine maſſam
Fumida corripuit, coctámque in ſaxa coëgit:
Vnde color, ſpecies & adhuc ſemiuſta remanſit.
Nec tantùm color; at viuos quæ torſerat olim
Magnetes, etiam lapides ſenſuque carentes

Cauſa cur à Magnete ferrum aut aurũ trahatur.

Tangit auaritia: vtque aurum, ferrumve legentes
Oppreſſit fatum; ſic ipſa cadauera prædam
Quæque ſuam agnoſcunt, gemináque cupidine feruent.
Et trahit hic ferrum Magnes, ille attrahit aurum.
Tunc ego ad hæc patris ridens miracula; Sanè
Quàm metuo, dixi, quando aurum poſcimus omnes,
Ne genus humanum ſaxa in magneſia migret.
Sic me fabellis pater oblectare ſolebat.

De Ouidio iudicium.

Conticuit, apparuítque illo concionis applauſu, quid ſtudia, quid iudicia valerent. Etenim alij quia

quia Herculis indolem, fatalémque in ea familia poëticæ laudem admirarentur, ac iam tum præſagirent animo, fore vt apud eam gentem (id quod hodiéq; abundè videmus) Apollinaris haud vnquam laurus exareſceret; aliquantò proniùs in Ouidium ferebantur. alij Ouidiana iam pridem facilitate capti, factíque ad illam, quidquid ad eam normam, ex eáque officina prodiret, id vnicè probant. Et ſanè licèt ex hiſce laudibus exciperent multi non pauca; pluribus tamen ſuffragiis euictum eſt; INGENIOSI nomen Ouidio tribuendum: dictionem verò, quæ non nemini tanquam in triuiis inuenienda vileſceret, eſſe nimirum ex eo genere rerum, quas OMNES inueniant inuentas: poſtremò concluſum, Ouidio cùm in vita, tum in verſu nihil magnopere obiici poſſe præter ingenium ſuum, cui ſe moderari, quàm indulgere maluiſſet, næ ille feliciùs ſoboli ſuę proſpexiſſet & ſibi. Hinc inuitatus à Sadoleto Pontanus, doluit mortali voce Statium eſſe referendum, qui aut ſuo, aut Apollinis ore deberet audiri. nihil tamen Statij perire dixit, dum referebatur potiùs, quàm audiebatur; cùm Statianæ magnificentiæ proprium ſit, vt nequeat cuiuſquam in ore vileſcere. idque oſtenſurum ſe narratione pugnæ, quam Luſitanus Germanúſque milites de bellica laude certantes iniêre in obſeſſæ Viennæ defenſione. Hanc ille pugnam ad Statiani carminis legem ita exorſus eſt.

Strozziæ gentis laus.

Iouianus Pōtanus.

IAM ſteterant ambo viſuri iudice ferro,
Luſiadæne magis præſtent, an Teutones armis,
Largus vterque animæ, ſpes huic cū corpore creſcit,
Illi decreſcit contracta in mole tuendi

Statij ſtylus.

Halitus animi corporiſque.

Cura ſui,multúmque videt quod in hoſte laboret.
Iámque manu ferale rubens effulſerat enſis,
Extremóſque artus animoſum frigus habebat;
Cùm ſubitò à tergo creſcit fragor,armáque miles,
Arma, ſubit muros,& portas ſubruit hoſtis,
Vrbem bellum intrat.Conuertit lumina Teuton,
Scandentémque videt ſuperãtémque ardua Thracẽ
Mœnia,vexillúmque manũ lunare gerentem.
Stat dubius cui bella ferat,cui differat iram.
Luſiadémque tuens,& amaro nubilus ore,
Eripit,exclamat,mihi te fortuna:videres
Vane,quid hoc poſſet (ſineret modò patria) ferrum
Alter ad hac anceps & formidabile ridens,
Enſe darem(& ſoleo) reſponſa libentiùs,obſtet
Ratio virtutis oſtẽdendæ. *Ni commune malum. ſed quid malè perdimus horas?*
Vis hanc murorum partem,qua nititur hoſtis,
Tutemur ſoli? ſpectet Germania pugnam
Gratiùs,Odryſiúſque expertus cæde ſuorum
Iudicium noſtri ferat,indoleátque ferendo.
Sic placet:amplexíque ambo ſe in mœnia ſaltu
Luſitani facinora in vrbis propugnatione. *Proripiunt,agménque ipſi gemini agminis inſtar*
Incurſant celeres,læuo ſe tramite flectit
Luſiades,Threſſáque locantem inſignia Lunæ
Occupat aduerſum,reſupinatúmque remittit:
Cui comites iubet ire alios,aut enſe reciſos,
Aut fractos clypeo,aut occurſu pectoris ictos.
Germani facta non minora. *Nec minùs interea dextro de culmine Teuton*
(Æmula quem virtus acuit ,ſuáque admonet ira)
Proiicit obſtantes,ſubeuntéſque opprimit hoſtes,
Obliquóſque rotat procumbentéſque reuulſis
Inſequitur ſaxis,& mœnia mœnibus arcet.
Ecce autem dum tota acies in Teutona rumpunt,

Plum

Plumbeus atque vnum circa conſumitur imber;
Horrendas inter flammáque & murmure glandes Vulnus Germano illatum.
Traiectus clypeo,fumantique ære ſiniſtra
Protinus auulſa,ſopitus concidit ictu.
Aduolat extemplò latúſque & turbidus idem
Luſiades,ferróque hoſtes procul arcet ab hoſte. Luſitani auxiliantis fortitudo.
Ipſe ſubit totam pugnæ nubem,ipſe cadentum
Saxorúmque pilarúmque imbre inuoluitur, VNVS
PAR BELLO, ET BELLO NON
EXPVGNABILIS VNVS.
Et iam ſurgentem clypeo lauáque minorem
Hinc dolor, inde pudor gemina face in arma remittunt
Teutona;cùm lethale volans traiecit arundo
Luſiadis dextram,gladióque affixit:& ille Inflictum Luſitano vulnus.
Hærebat capulo implicitus, haſtámque trabalem
Excepturus erat dorſo:ſed protinus illic
Teuton in gyrum ducto implacidiſſimus enſe
Submouet inſtantes, telúmque in terga minantem
Obtruncat,galeámque rotat per nubila plenam.
Donec Luſiades telo extricatus,in arma
(Quamquam impar gladio dextra labente ferendo)
Aduolat,& ſocio clypeatam accommodat iram.
Mutua res agitur.clypeo caret alter, & alter Mutuum auxilium.
Enſe caret.ſed Luſiadis ſub tegmine Teuton
Dum ſe defendit,dum magni Teutonis enſe
Pugnat Luſiades,vnus ſeſe armat vtroque:
Vnáque mens animat non diſſociabilis ambos.
Stant nexi implicitíque ſimul feriúntque doléntque,
Miſſus & vnius de vulnere ſanguis vtrumque
Sauciat, alteriúſque dolorem vlciſcitur alter.
Iámque cadaueribus latè, ſpoliíſque cadentum
Concluſi denſam præportant pectore ſyluam:

V 5 *Fracti*

Auaritia.

Abduxit Natura parens, & intima terræ
Viſcera contraxit, Manéſque remouit ad imos.
Sed tamen huc quoque deſcendit furioſa cupido,
Abdita rimatur, terrámque euiſcerat omnem.
Scilicet indignato homini Natura, quis vltrà
Finis erit, dixit? tellus exhauſta metallis
Antè gemet, quàm dira fames ſaturata quieſcat.
Dum loquitur, mentem magneſia vertit in arua,
Et puduit vertiſſe. videt molimine longo
Inſtantes operi, defoſſique vltima mundi
Scrutantes arcana, & opes (ſua damna) petentes:
O PRONA in terram, clamat, perituráque turba,
Quódque ſibi fodit prope Tartara, digna ſepulchro
Dixit, & irato tremefecit Numine terram,
Oppreſſitque viros, & glebæ immiſcuit artus
Quam malè tractabant per aperta pericula glebã.
Quin flamma è ſtygiis, vt erat vicina, cauernis
Illam membrorum terraque ſine ordine maſſam
Fumida corripuit, coctámque in ſaxa coëgit:
Vnde color, ſpecies & adhuc ſemiuſta remanſit.
Nec tantùm color; at viuos quæ torſerat olim
Magnetes, etiam lapides ſenſúque carentes
Tangit auaritia: vtque aurum, ferrumve legentes
Oppreſſit fatum; ſic ipſa cadauera prædam
Quæque ſuam agnoſcunt, geminâque cupidine feruent
Et trahit hic ferrum Magnes, ille attrahit aurum.
Tunc ego ad hæc patris ridens miracula; Sanè
Quàm metuo, dixi, quando aurum poſcimus omnes,
Ne genus humanum ſaxa in magneſia migret.
Sic me fabellis pater oblectare ſolebat.

Conuerſio cadauerũ in magneſia ſaxa.

Cauſa cur à Magnete ferrum aut aurũ trahatur.

De Ouidio iudicium.

Conticuit, apparuítque illo concionis applauſu, quid ſtudia, quid iudicia valerent. Etenim alij quia

quia Herculis indolem, fatalémque in ea familia poëticæ laudem admirarentur, ac iam tum præſagirent animo, fore vt apud eam gentem (id quod hodiéq; abundè videmus) Apollinaris haud vnquam laurus exareſceret; aliquantò proniùs in Ouidium ferebantur. alij Ouidiana iam pridem facilitate capti, factíque ad illam, quidquid ad eam normam, ex eáque officina prodiret, id vnicè probant. Et ſanè licèt ex hiſce laudibus exciperent multi non pauca; pluribus tamen ſuffragiis euictum eſt; INGENIOSI nomen Ouidio tribuendum: dictionem verò, quæ non nemini tanquam in triuiis inuenienda vileſceret, eſſe nimirum ex eo genere rerum, quas OMNES inueniant inuentas: poſtremò concluſum, Ouidio cùm in vita, tum in verſu nihil magnopere obiici poſſe præter ingenium ſuum, cui ſe moderari, quàm indulgere maluiſſet, næ ille feliciùs ſoboli ſuę proſpexiſſet & ſibi. Hinc inuitatus à Sadoleto Pontanus, doluit mortali voce Statium eſſe referendum, qui aut ſuo, aut Apollinis ore deberet audiri. nihil tamen Statij perire dixit, dum referebatur potiùs, quàm audiebatur; cùm Statianæ magnificentiæ proprium ſit, vt nequeat cuiuſquam in ore vileſcere. ídque oſtenſurum ſe narratione pugnæ, quam Luſitanus Germanúſque milites de bellica laude certantes iniêre in obſeſſæ Viennæ defenſione. Hanc ille pugnam ad Statiani carminis legem ita exorſus eſt.

Strozziæ gentis laus.

Iouianus Pōtanus.

IAM ſteterant ambo viſuri iudice ferro,
Luſiadæne magis præſtent, an Teutones armis,
Largus vterque animæ, ſpes huic cū corpore creſcit,
Illi decreſcit contracta in mole tuendi

Statij ſtylus.

Halitus animi corporiſque.

Auaritia.

Abduxit Natura parens, & intima terra
Viſcera contraxit, Manéſque remouit ad imos.
Sed tamen huc quoque deſcendit furioſa cupido,
Abdita rimatur, terrámque euiſcerat omnem.
Scilicet indignato homini Natura, quis vltrà
Finis erit, dixit? tellus exhauſta metallis
Antè gemet, quàm dira fames ſaturata quieſcat.
Dum loquitur, mentem magneſia vertit in arua,
Et puduit vertiſſe. videt molimine longo
Inſtantes operi, defoſſique vltima mundi
Scrutantes arcana, & opes (ſua damna) petentes:
O PRONA in terram, clamat, perituráque turba,
Quódque ſibi fodit prope Tartara, digna ſepulchro
Dixit, & irato tremefecit Numine terram,
Oppreſſitque viros, & gleba immiſcuit artus
Quam malè tractabant per aperta pericula glebă.
Quin flamma è ſtygiis, vt erat vicina, cauernis
Illam membrorum terraque ſine ordine maſſam
Fumida corripuit, coctámque in ſaxa coëgit:
Vnde color, ſpecies & adhuc ſeminſta remanſit.
Nec tantùm color; at viuos quæ torſerat olim
Magnetes, etiam lapides ſenſuque carentes
Tangit auaritia: vtque aurum, ferrumve legentes
Oppreſſit fatum; ſic ipſa cadauera prædam
Quæque ſuam agnoſcunt, gemináque cupidine fer-
uent
Et trahit hic ferrum Magnes, ille attrahit aurum.
Tunc ego ad hæc patris ridens miracula; Sanè
Quàm metuo, dixi, quando aurum poſcimus omnes,
Ne genus humanum ſaxa in magneſiă migret.
Sic me fabellis pater oblectare ſolebat.

Conuerſio cadauerũ in magneſia ſaxa.

Cauſa cur à Magnete ferrum aut aurũ trahatur.

De Ouidis iudi-

Conticuit, apparuítque illo concionis applauſu, quid ſtudia, quid iudicia valerent. Etenim alij quia

quia Herculis indolem,fatalémque in ea familia poëticæ laudem admirarentur, ac iam tum præſagirent animo, fore vt apud eam gentem (id quod hodiéq; abundè videmus) Apollinaris haud vnquam laurus exareſceret; aliquantò proniùs in Ouidium ferebantur. alij Ouidiana iam pridem facilitate capti, factíque ad illam, quidquid ad eam normam, ex eáque officina prodiret, id vnicè probant. Et ſanè licèt ex hiſce laudibus exciperent multi non pauca; pluribus tamen ſuffragiis euictum eſt; INGENIOSI nomen Ouidio tribuendum: dictionem verò, quæ non nemini tanquam in triuiis inuenienda vileſceret, eſſe nimirum ex eo genere rerum, quas OMNES inueniant inuentas: poſtremò concluſum, Ouidio cùm in vita, tum in verſu nihil magnoperè obiici poſſe præter ingenium ſuum, cui ſe moderari, quàm indulgere maluiſſet, næ ille feliciùs ſoboli ſuę proſpexiſſet & ſibi. Hinc inuitatus à Sadoleto Pontanus, doluit mortali voce Statium eſſe referendum, qui aut ſuo, aut Apollinis ore deberet audiri. nihil tamen Statij perire dixit, dum referebatur potiùs, quàm audiebatur; cùm Statianæ magnificentiæ proprium ſit, vt nequeat cuiuſquam in ore vileſcere. ídque oſtenſurum ſe narratione pugnæ, quam Luſitanus Germanúſque milites de bellica laude certantes inière in obſeſſæ Viennæ defenſione. Hanc ille pugnam ad Statiani carminis legem ita exorſus eſt.

Strozziæ gentis laus.

Iouianus Põtanus.

IAM ſteterant ambo viſuri iudice ferro,
Luſiadæne magis præſtent, an Teutones armis,
Largus vtérque animæ, ſpes huic cũ corpore creſcit,
Illi decreſcit contracta in mole tuendi

Statij ſtylus.
Halitus animi corporiſque.

Philomele reſponſuræ conatus.

Tum ſtetit expectans, ſi quid paret æmula contrà.
Illa autem, quamquam vox dudum exercita fauces
Aſperat, impatiens vinci ſimul aduocat omnes
Nequicquam vires. nam dum diſcrimina tanta

Sed impar.

Reddere tot fidium natiua & ſimplice tentat
Voce, canaliculiſque imitari grandia paruis;
Impar magnanimis auſis, impárque dolori

Eius obitus.

Deiicit & vitam ſummo in certamine linquens

Vis æmulationis.

Victoris cadit in plectrum, par nacta ſepulcrum.
VSQVE adeo & tenues animas ferit æmula Virtus.

De Claudiano iudicium.

Enimuerò dicentem ingens Aulæ plauſus excepit, acclamatúmque BELLE, ingenioſè, ſuauiter: mox etiam ſingula diſtinctè laudata. Prima Claudiani virtus pleriſque viſa, argumentum oculis expoſitum, réſque ipſæ verbis adæquatæ multos canorum illud in verſu, tractuſque nullo ſyllabarum ſeſe cædentium hiatu volubilis mirificè tenuit. fuêre qui vana mirantes, ſimilitudinem neſcio quã affinitatémque Etruſcę Poëſeos in Claudiano reperirent, atque Italiciſſantem amarent, dignumque vel hoc nomine cenſerent, qui ab Etruſcis adoptatus fuiſſe diceretur. ridentibus ad hæc iudicia nonnullis, & infuſam Latio peregrinitatem ſtyli, numerorũ æquabilitatem (quam tamen Caſtilionius hic temperaſſet) ſatietatémque, ſententiarum ambitionem ac pompam ſeriò liberéque damnantibus. Interea Sadoletus ad Herculem Strozzam conuerſus loco & vrbanitate Caſtilionio proximum, commendatione verò paterni in re poëtica nominis etiam ſuperiorem; Age, inquit, Hercules Strozza, & Ouidij perſonam, quam tibi Titus pater impoſuit

Hercules Strozza.

poſuit, ſuſtine vt Herculem decet educatum in gremio Muſarum. Cui Strozza; Contendam, inquit, & vt ſpero, tua præſertim auditorúmq; fultus humanitate ſuſtinebo. Atque vt me ad Ouidij fingam non modò phraſim, ſed etiam mẽtem, dicturus de Chryſomagnete ſeu lapide aurũ attrahente, non ferrum, cauſam huiuſce virtutis à poëtica Metamorphoſi deduco in hunc modum:

FORTE mihi puero putei ſuper ore ſedenti Ouidij ſtylus.
Annulus exciderat, nec erat ſpes vlla legendi;
Cùm pater è filo lapidem demittit in vndas
Prædatorem auri: ſubitóque excitus ab imo
Annulus accurrit fundo, lapidíque cohærens
Tanquam hamo piſcis, ſummas effertur in auras. Vis Chryſomagnetis.
Talia mirantem pater occupat. Accipe cauſam
Nate, ait, & lapidem (non longa eſt fabula) noſce.
Deucalion & Pyrrha (genus mortale duobus
In quibus omne fuit quondam, & duo turba fuerũt)
Vt reparent populos, ſua poſt veſtigia iuſſos
Proiiciunt lapides: lapides ceu ſemina frugum
Molleſcunt, inque oſſa virum mutantur, & ora. Cur aliqui durioribus moribus.
Quamquam homines aliqui nondũ digeſta videtur
Effigies, & adhuc retinent de marmore multum,
Duritiáque docent; qua ſint ab origine nati.
Iam noua creſcebat ſoboles, & cura trahebat
In diuerſa animos; nam prout cecidêre per vndas,
Aut per agros lapides, aut per ſpelæa ferarum
Aut propter montes ferríque auríque feraces;
Sic genium traxêre loci. venatibus ille Vnde morum varietas.
Indulget, terram colit hic, illi æquora ſulcant,
Hi ferri venas, aurúmque per omnia quærunt,
Et ſceleris quærunt, mortíſque per omnia cauſas.
Tunc verò hæc oculis inuitamenta malorum

quia Herculis indolem, fatalémque in ea familia poëticæ laudem admirarentur, ac iam tum præſagirent animo, fore vt apud eam gentem (id quod hodiéq; abundè videmus) Apollinaris haud vnquam laurus exareſceret; aliquantò proniùs in Ouidium ferebantur. alij Ouidiana iam pridem facilitate capti, factíque ad illam, quidquid ad eam normam, ex eáque officina prodiret, id vnicè probant. Et ſanè licèt ex hiſce laudibus exciperent multi non pauca; pluribus tamen ſuffragiis euictum eſt; INGENIOSI nomen Ouidio tribuendum: dictionem verò, quæ non nemini tanquam in triuiis inuenienda vileſceret, eſſe nimirum ex eo genere rerum, quas OMNES inueniant inuentas: poſtremò concluſum, Ouidio cùm in vita, tum in verſu nihil magnoperę obiici poſſe præter ingenium ſuum, cui ſe moderari, quàm indulgere maluiſſet, næ ille feliciùs ſoboli ſuę proſpexiſſet & ſibi. Hinc inuitatus à Sadoleto Pontanus, doluit mortali voce Statium eſſe referendum, qui aut ſuo, aut Apollinis ore deberet audiri. nihil tamen Statij perire dixit, dum referebatur potiùs, quàm audiebatur; cùm Statianæ magnificentiæ proprium ſit, vt nequeat cuiuſquam in ore vileſcere. idque oſtenſurum ſe narratione pugnæ, quam Luſitanus Germanúſque milites de bellica laude certantes iniêre in obleſſæ Viennæ defenſione. Hanc ille pugnam ad Statiani carminis legem ita exorſus eſt.

Strozziæ gentis laus.

Iouianus Pōtanus.

IAM ſteterant ambo viſuri iudice ferro,
Luſiadæne magis præſtent, an Teutones armis,
Largus vterque animæ, ſpes huic cū corpore creſcit,
Illi decreſcit contracta in mole tuendi

Statij ſtylus.

Halitus animi corporiſque.

Cura ſui, multúmque videt quod in hoſte laboret.
Iámque manu ferale rubens effulſerat enſis,
Extremóſque artus animoſum frigus habebat;
Cùm ſubitò à tergo creſcit fragor, armáque miles,
Arma, ſubit muros, & portas ſubruit hoſtis,
Vrbem bellum intrat. Conuertit lumina Teuton,
Scandentémque videt ſuperãtémque ardua Thracẽ
Mœnia, vexillúmque manũ lunare gerentem.
Stat dubius cui bella ferat, cui differat iram.
Luſiadémque tuens, & amaro nubilus ore,
Eripit, exclamat, mihi te fortuna: videres
Vane, quid hoc poſſet (ſineret modò patria) ferrum
Alter ad hac anceps & formidabile ridens,
Enſe darem (& ſoleo) reſponſa libentiùs, obſtet

Ratio virtutis oſtẽdendæ.

Ni commune malum. ſed quid malè perdimus horas?
Vis hanc murorum partem, qua nititur hoſtis,
Tutemur ſoli? ſpectet Germania pugnam
Gratiùs, Odryſiúſque expertus cæde ſuorum
Iudicium noſtri ferat, indoleátque ferendo.

Luſitani facinora in vrbis propugnatione.

Sic placet: amplexíque ambo ſe in mœnia ſaltu
Proripiunt, agménque ipſi gemini agminis inſtar
Incurſant celeres, læuo ſe tramite flectit
Luſiades, Threſſæque locantem inſignia Lunæ
Occupat aduerſum, reſupinatúmque remittit:
Cui comites iubet ire alios, aut enſe reciſos,
Aut fractos clypeo, aut occurſu pectoris ictos.

Germani facta non minora.

Nec minùs interea dextro de culmine Teuton
(Æmula quem virtus acuit, ſuáque admonet ira)
Proiicit obſtantes, ſubeuntéſque opprimit hoſtes,
Obliquóſque rotat procumbentéſque reuulſis
Inſequitur ſaxis, & mœnia mœnibus arcet.
Ecce autem dum tota acies in Teutona rumpunt,

Plum

Plumbeus atque vnum circa conſumitur imber;
Horrendas inter flammáque & murmure glandes Vulnus Germano illatum.
Traiectus clypeo, fumantique are ſiniſtra
Protinus auulſa, ſopitus concidit ictu.
Aduolat extemplò latúſque & turbidus idem
Luſiades, ferróque hoſtes procul arcet ab hoſte. Luſitani auxiliantis fortitudo.
Ipſe ſubit totam pugnæ nubem, ipſe cadentum
Saxorúmque pilarúmque imbre inuoluitur, VNVS
PAR BELLO, ET BELLO NON
EXPVGNABILIS VNVS.
Et iam ſurgentem clypeo læuáque minorem
Hinc dolor, inde pudor gemina face in arma remittunt
Teutona; cùm lethale volans traiecit arundo
Luſiadis dextram, gladióque affixit: & ille Inflictum Luſitano vulnus.
Hærebat capulo implicitus, haſtámque trabalem
Excepturus erat dorſo: ſed protinus illic
Teuton in gyrum ducto implacidiſſimus enſe
Submouet inſtantes, telúmque in terga minantem
Obtruncat, galeámque rotat per nubila plenam.
Donec Luſiades telo extricatus, in arma
(Quamquam impar gladio dextra labente ferendo)
Aduolat, & ſocio clypeatam accommodat iram.
Mutua res agitur. clypeo caret alter, & alter Mutuum auxilium.
Enſe caret. ſed Luſiadis ſub tegmine Teuton
Dum ſe defendit, dum magni Teutonis enſe
Pugnat Luſiades, vnus ſeſe armat vtroque:
Vnaque mens animat non diſſociabilis ambos.
Stant nexi implicitíque ſimul feriúntque doléntque,
Miſſus & vnius de vulnere ſanguis vtrumque
Sauciat, alteriúſque dolorem vlciſcitur alter.
Iámque cadaueribus latè, ſpoliíſque cadentum
Concluſi denſam præportant pectore ſyluam:

Fracti armis integri animis, AMORTE propinqua
Vim capiunt, irámque ſuam (noua tela) minantur.
Nam dum murorum quaſſacto è culmine pendent,
Incerti qua parte cadant; cum mœnibus hoſtem
Inuadunt, SEQVE, ET STRAGEM ſuper agmina portant.
Sic obeunt: ſuáque ÆQVATOS VICTORIA CONDIT.

Clades vtriúſque non inulti.

De Statio iudicium.

Hæc Iouiano continente, illicò veteres ſuper Statio factiones exarsêre pugnaciter. Acclamare palàm alij, veteríque forma, grande illud SOPHOS AC PAPÆ ingeminare. iſtuc eſſe heroicè demum dicere, ſéque ſupra cæteros oratione, ac fama ſuſtollere. alij nihil medij, modicíque habere: gladiatoriam carminis immanitatem ludere, numerorum terricula ridere, ſeſquipoëtam deſultorium appellare. pauci inter vtróſque conſiſtere, rémque ita partiri; in Statio plurimùm ſanè poëtici coloris atque ignis eſſe, ſed tantumdem etiam fumi, quo ſtyli candorem nonnihil infuſcauit: carminis maieſtatem Tyranno, quàm Regi propiorem videri: per nubes re illum quidem, aut certè trahi, ſed inde ad terras non ſemel Icario exemplo deponi: denique Statium inter Poëtas (id quod Alexander inter Heroas) MAGNAS VIRTVTES magnis vitiis adæquaſſe.

Andreas Naugerius.

Supererat, præter Camillum Quernum, Andreas Naugerius: qui cùm videret expectari à ſe erecta præter modum concione Virgilium, admonente Sadoleto vt diceret; nihil præfatus in laudem Vatis, quem eſſe aiebat extra omnem iudicij aleam, ſed de ſua (vt apparebat) imitatione ſollicitus, argumen

gumentum propoſuit Auenionenſis puellæ tota Gallia longè pulcherrimæ, quæ ab Amalio Dynaſta per vim rapta, pudorem tutata ſuum dicitur in hunc modum.

INTEREA è laribus patriis,& paupere tecto
Theutillam famuli abſtulerant,prædáque potiti Virgilij ſtylus.
Ibant per noctẽ, & Domino ſpolia ampla ferebant.
Quam miſer vt vidit, venis namque hauſerat ignem Theutillæ raptus.
Altiùs,& nimiùm hærebat ſub pectore vultus,
Expedit amplexus,& amori immittit habenas.
Illa ſed, in tenera quæ magnum ætate gerebat,
Regalémque animum,nulli tractabile pectus: Eiuſdem in tuenda caſtimonia conatus.
Auerſata virum: quamquam deprenſa tenetur,
Vt deprenſa graui venantum indagine cerua;
Excutit amplexus,& turpia vincla reſoluit,
Si qua viam vis inueniat. Stat pectore fixum
Antè mori,quàm ſacra Deo violare pudoris
Iura fidémque ſui,& fœdæ ſuccumbere flammæ.
Noctis erat mediũ;& ſomnus ſua Regna reuiſẽs Somnus.
Amalium cura feſſum,vinóque grauatum
Acceſſit prope(ſic Superi voluiſtis)& illum
Lethæa mulſit medicati aſpergine rami,
Térque recuſanti mutantia lumina clauſit.
At non,ſollicita euentu Theutilla futuro
Soluitur in ſommum:ſed enim vigil omnia luſtrat,
Si ſpes vlla fugæ,vino dum languidus alter,
Et captus ſomno poſuit caput.at loca latè
Clauſa videns,lacrymiſquè genas perfuſa decoras,
En quid agam?(aiebat)rurſúmne in prælia,rurſum Querela eiuſdem & lacrymæ.
In fluctus,iuuenis ſceleri deuota reſeruor?
Heu pudor infelix,& FORMA INIMICA PVDORI!

Hacte

Hactenus eluſi laqueos, vim viribus exij
Sciſſa comas, lacera vngue genas, & dentibus ora;
Pura tamen ſceleris.
At nunc maius opus ſupereſt mihi. vicimus hoſtem
Nempe mero victum: quid cùm vigilauerit, & ſe
Eluſum agnorit; quo te virguncula niſu
Expedies, & robuſto pugnabis amori?
Tu Superûm Regina, niues cui pectoris huius
Seruo libens, tu Diua meo ſuccurre dolori.
Dixit, & Amalij ſupra caput aſpicit enſem
Suſpenſum thalamo: conſpectu protinus illo
Subitum cõſilium. *Neſcio quid menti magnum ſubit. atque, ſalutem*
Hicne mihi dabit enſis, ait, longóque Tyrannum
Componet ſomno? Furiis ita percita ferrum
Denudat, cœptiſque ingentibus effera Virgo
In iuuenem fertur, cædiſque interrita ſignat
Antè locum; ſed dextra gelu tardata repentè
Abſtinet, & ſecum mota iam mente; Quid audes
Stulta, nec euentum reputas Theutilla futurum?
Pone animos, pone arma tuis non æqua lacertis.
Iámque recondebat ferrum, cùm ſanior intus
Ira iterum aſſurgit: iam cordi tota pudoris
Exempli vis. *Cura redit, iam multa animo IVDITTA recurſat,*
Impellitque manus, operiſque accendit amore.
Hoc placet exemplum: séque infert turbida lecto,
Et iuueni crinem laua implicat, & ſimul enſem
Puellæ facinus. *Intorquens dextra; Dextram tu dirige, dixit,*
Non ignara mei victrix Hebræa laboris.
Sic iugulum conixa petit repetítque nec vltrà
Faucibus immerſum capulo tenus exigit enſem.
Illum expirantem famuli, & ſuprema gementem

Au

Audiuêre,ſimul furiata mente ruebant
Virginis in cædem:
Ipſe ſed exanimis,ſingultantique coërcens
Voce,oculiſque ſuos,Vos(inquit)parcite vitæ,
Parcere nam Superi ſic me voluere pudori.
Dixit,& hac moriens vitam cum voce reliquit.
Sed te Francigenas inter fortiſſima quondam
Nulla dies oblita premet:tuáque inclyta dextra,
ARGVMENTVM ingẽs patriæ virtutis,in æuũ
(Si tantum ſperare licet à carmine)viuet:
IVDITTAMQVE SVAM FORTIS QVO-
QVE GALLVS HABEBIT.

Mors Amalij.

Theutillæ præconiũ.

Hîc nimirum excepto omnium beneuolentia aſſenſúque Naugerio, itum eſt ex illo in Virgilij laudes,hominũ potiùs admiratione quàm plauſu: pauciſque, ſed concordiſſimè concluſum, QVAE QVIS in Virgiliana dictione deſideret, non ea humano ingenio,ſed Poëſi deeſſe.Quamuis hîc quoque non defuerint nigræ quædam animæ,quæ Virgilij verſus non rarò iacentes atque intermortuos,certè ſine vitio potiùs, quàm cum virtute, animo quidem ſuo videri muſſitarent. Quorum offenſus iudicio Sadoletus,inuitandum ſibi putauit Archipoëtam (præſertim cùm is prætermitti non poſſet Leonis in villa) vt ſui demum ſapore carminis occurreret aliquorum ſtupori, quorum ſapientiſſimum ſcilicet palatum auditi modò Poëtæ acerbitas hebetauerat. Ad quæ Camillus,vt erat præſenti feſtiuitate, comiter hilaritérque ſubridens; Ego verò, inquit,ago tibi,Sadolete,gratias,qui me in hunc locum, quæ ea cumque ſit cauſa, reſeruaueris. effeciſti enim,ſi neſcis, vt huius vſura temporis ſubi

De Virgilio iudicium.

Camillus Quernus Archipoëta.

Eius ſubitarium ingeniũ.

ſubitarios verſiculos meos, nẽpe hoc ipſo die cũ Sole in lucem editos, mecum ipſe retractauerim, eorúmque lacunas aliquot (vti fit) noua interim æquatione ſuppleuerim. Agite ergo, & quod heſterno cõtigit die, dum Hadriani moles feſtis ſub veſperã ignibus Principi noſtro gratulatura fulmine repente tacta, ex inopinato miſſilium flammarum ludos edidit; id à me feſto quoque feſtinatóque carmine adumbratum vos accipite, ac mihi fabulam concludenti plauſum adornate.

Archipoetæ ſtylus. Nocturna lumina & ignes per vrbem.

NOX aderat tandem, & cœlum ex Cyclope diurno
Nocturnus tunc Argus erat; cùm Roma feneſtris
Gaudia diſponens velarat tecta domorum
Torque lucernarum, & collo ſuſpenderat alto
Verſicoloratis contexta monilia flammis.
Quin etiam in triuiis Cynici verſatile tectum,
Et veteres Bacchi exuuias damnauerat igni.
Vltima reſtabant Thuſcæ ſpectacula Molis,
Vnde ſuos contra cælum Romana Gigantes

Moles Hadriani.

Ætna mouere ſolet. magicæ hic miracula dextræ
Cernuntur: calamus ſubitò nam tactus in angues
Vertitur, igniuomos angues; rurſúmque videbis,
Nil præter calamos ſupereſſe ex anguibus illis.
Iámque propinquabat tempus: ſtudióque videndi
Quiſque oculos in ſublimem proiecerat Arcem.
Et iam concentu horrifico centum ora canebant
Ferrea, multipliceſque exploſa metalla ſonores,

Tormẽta bellica.

Et tormenta dabant peracutos muſica flatus.
Ipſa autem querulo Moles paritura gemebat
Murmure, & ignita edebat ſuſpiria cælo.
Hæc inter cœpit obnubi nubibus æther,

Vera tonitrua.

Orbari ſtellis orbes, veróque tonitru
Cælum indignari; Romæque indicere bellum.

Ro

Roma nec aſſiſtit.dúmque hinc atque inde tonabat,
Alternìſque choris cælúmque ſolúmque canebant;
Fallebat ſpectatores gratiſſimus error,
Anne darent plauſum nubes,anne æra tonarent?
Cæleſti clauſum fureret ſub nube metallum,
An nubes fureret Romano incluſa metallo?
Ne multis,finem pugnæ cognoſcite mecum.

Non vna eſt aliis erecta in turribus Arcis Tubuli papyracei circa malos.
Arbor arundineo frontem circumdata ſerto.
Germinat hæc numquam,niſi quãdo accenſa capillos
Explicat in flammas, calidámque è vertice ſyluam
Fundit,ramoſóſque expanditur arbor in ignes.
Ergo dum vero baubatur murmure cælum,
Sciaditur in nubes,& aperto apparet ab ore
Lingua triſulca poli:cadit illa & fulminat Arcem,
Diſpoſitúmque alta ſuccendit in arbore textum.

Arbor it in flammas, próque vno fulmine reddit Fortuita tabulorum conflagratio.
Fulmina mille,ſagittiferóſque irata maniplos
Explicat,haſtatóſque ſuos,haſtáſque micantes
In cælum mouet.at clypeo ſeptemplice cælum
Obſtat,& ad terras ea tela retuſa remittit.
Illa quidem redeunt,animáſque per aëra fundunt
Sulphureas animas, crepitantíque imbre queruntur
Victa mori,atque atro peragunt ſibi funera fumo.

Vidimus hæc,Princeps,nuper ſpectacula,Cælo Aſſentatiuncula.
Indulgente tibi. Cælum ſpectare ſolebat,
Tunc actor fuit,& ludos te Principe fecit.
Nempe tuas,Leo Magne,Pilas Orbéſque decebat,
Cælum par opifex vt tormentarius eſſet,
Supremúſque tuis colluderet Orbibus Orbis.

Dixerat, ac theatrali ſcilicet hilaritate Aula perſtrepuit,ſæpiúſque repetitum, EVGE POETA. ſiue id fieret Aulicorum ingenio Principi vbique blan- De Archipoëta iudicium.

blan

blandientium,ſiue conductis pretio acclamationibus, ſiue quòd aliqui id ſeriò ſentirent,nec lapides interea pertimeſcerent.Certè tunc primùm in ea Vatum corona prodire eſt auſa,& tanquam in theatro iudicium multitudinis experiri portentoſa illa Poëſis,quæ poſtea familiam duxit eorum, qui Camilliano exemplo Archipoëticè dicere inſtituerunt,in quos diſtricturus erat pro re nata ſtylum Sadoletus,cùm ecce repentino tubicinum cornicinúmque clangore Manliana perſonare cœpit. quod etſi primò ad Camillum relatum eſt, quaſi diſpoſitis eius gratiâ ſuccentiuis tubis ante fores;tamen vbi nuncios adeſſe victoriæ à Pontificiis copiis relatæ in Ciſalpinis auditum eſt,tumultuante iam ac dilabente concione, Sadoletus, ne illi priùs audiendi finem facerent,quàm ipſe dicendi;ſurgit è ſuggeſto conuerſúſque properè ad ſuos? Bene habet,inquit:ite in hac publica lætitia , vos quoque Poëtarum Proceres, & fortunatiſſimo Principi, cuius in domũ Mars & Apollo opportunè conſpirant , Ciſalpinam victoriam , Muſarum nomine, gratulamini: iudiciúmque, quod apud multitudinem anceps experti eſtis,ab illo demum Leone,qui VNVS par eſt theatrum ingeniis veſtris,certum atque etiam in hac gratulatione munificum expectate.

Dictionis Archipoëticæ initia.

Anceps iudicium multitudinis.

Hæc habuit Iacobus Sadoletus apud Poëtas: hæc eadem nobis Alexander Burgius enarrauit: ſic ille Academiæ ſuæ ; hic controuerſiæ noſtræ aliquando finem impoſuêre.

FINIS LIBRI SECVNDI.

PRO

PROLVSIONVM ACADEMICARVM LIBER TERTIVS.

PRÆLECTIO PRIMA.

MOMVS. SIVE

Satyra Varroniana, Poëſi Poëtiſque cognoſcendis accommodata.

ANTEQVAM de Inſignium natura, quibus ab incœptando inditum vulgò eſt Impreſiis nomen, ea dicam, quæ in poſterum ſepoſito deſtinatóque in ſingulis hebdomadis ad hanc rem die, dicenda conſtitui; dabitis mihi hanc veniam (Viri ſapientes honorúmque & ſanguinis claritudine nobiles) vt diſputationi ſicuti ſpero non iniucundæ, in præſentia caput aliquanto feſtiuius imponam, & ea, quæ propria quondam erat huius menſis, Decembri libertate proludam. Te verò in primis, VIRGINI CÆSARINE, iuuenis Illuſtriſſime, cuius ingenium comprehenſionémque rerum iamdudum Roma plauſu non vano miratur; per iſtam ſingularem in me, qua meritò glorior, beneuolentiam tuam, oro Occaſio ſatyræ ac tempus.

oro, vt Decembre hoc munus deſtinatum præcipuè tibi, ſicuti Saturnalitium ac ludicrum quid eſt; ita tu non ea iudicij, quo potes polléſque ſeueritate, ſed æſtimatione paulo clementiore, omiſſioréque animo perpendas.

Agite igitur; quid actum ſit hoc anno in Senatu Poëtarum CL. CLAVDIANO tertium, & TORQVATO TASSO Coſſ. litteris conſignemus bona Hiſtoriæ fide; nam gratiam odiúmve, ſolemnes plerunque ſcribēdi cauſas iamdiu procul habeo, nulli mortalium infenſus, offenſus nulli. Veritatem, quam in ludicris hiſce commentationibus impunè negligunt hodie plerique ſcriptorum, ego muneris mei memor, volo de me exigi perquàm religioſè. Fuit, cùm ipſe nec Heliconidas, pallidámque Pyrenem videram, nec in bicipiti Parnaſſo ſomniaueram, nunc poſteaquam ſpecillis oblongo tubulo inſertis effectum eſt, vt remotiſſima quæque abditiſſimáque admoueantur intuentium oculis, & tantùm nō manibus teneantur; Parnaſſi arcana nulla ſunt vlli: nec modò Mons ipſe biceps, hortorum amœnitates, laureæ circùm ſyluæ, ipſa Apollinis Regia, ſed etiam

Perſ. in prol.

Apparet domus intus, & atria longa pateſcunt; Virg. lib. 2. Æneid.

& quidquid in Senatu, quidquid in tricliniis, quidquid in conclauibus agunt Poëtæ, perſpicuè acuminatim obſeruatur. Atque vtinam, quod ingenioſè feliciterque peractum eſt de viſu, idem de auditu dilatando, adiuuandóque auriculari aliqua fiſtula, quod audio noſtros Archimedes hodie meditari, belle ſuccederet; profectò ſicuti meis egomet oculis, quæ narro de Poëtarum cōuentu, ſum cōtemplatus omnia, ſic nullius egens

aurıbus

auribus idem auritus ipſe in hac Hiſtoria teſtis accederem. Nolo tamen minùs idcirco fidei haberi narrationi meæ. Etenim authores ad hanc rem illicò proferam, ſi neceſſe fuerit, non Curatorem viæ Appiæ, qui Annæo Senecæ, quid actum eſſet in cælo ſub mortem Cl. Cęſaris euulgauit; neque Menippum, loquaculum illud & curioſum animal, qui Luciano Deorum ſecreta ſæpenumero palàm fecit: neque Ianum Douzam, qui Iuſto Lipſio Senatus Romani apparatum ritúmque dormienti ſub aſpectum dedit: neque Morpheum, qui Bencio meo Senatuſconſultum de feriis anniuerſariis conſcripſit. Teſtes ego verò habeo complures, qui quotidie illuc ad Poëtarum ſedes abeunt redeúntque, atque in Muſarum iuga quondam inacceſſa, nunc (quæ eſt felicitas huius temporis) arbitratu ſuo penetrant, affirmántque, faciliùs ſibi ad Heliconis caballinum Romæ Montem, quamquam molliore nunc cliuo, aditum patere. Sed inter cæteros amicus mihi eſt vetus, ac planè vetulus, quippe ſexagenario maior, ita illum diu ſoſpitem fortunatumque habeam; qui nunc demum indolis ſuæ memor adiecto ad Muſas animo, illuc recèns adrepſit, exceptuſque inibi peramicè, obſeruauit pro aduenarum natura omnia diligenter, mihíque Poëtarum arcana fidus interpres enarrauit. Ex hoc quæcumq; accepi, exponere iam molior eiuſdem fide verbíſque: quæ verba ſi metro interdum concluſa recitabo, id vos in repentinos amici progreſſus in poëtica referte, ſimul creſcenti Poëtæ propitiã ſenes recoquentem Medeam exorate.

Satyræ aliquorũ.

Tempus veſperæ proximũ.

I A M labor exiguus Phœbo ib decliue ruenti

Reſtabat, iámque occiduo ſurrexerat Aura
Veſpertina mari, quæ nunciet Aura, propinquos
Affore Solis equos, queis frena diurna relaxet,
Puluereúmque lauet puro Thetis æquore currum.

Sed erit, credo, perſpicua magis oratio ſi dicam. Pomeridianum erat tempus, flexo in veſperam die, cùm indicto pridem Senatu, ad Hyampeum, alterum bicipitis Parnaſſi iugum concurſus fieri Poëtarum cœpit.

Curia Poëtarum in Parnaſſo.

VERTICIS in ſummo, ſeniam quà nobile ſyluæ
Irriguis nigreſcit aquis, contermina templi
It moles cælo, & nemoris ſuperincubat vmbris.
Hæc auro & latè candenti Regia ſaxo
Auguſtum ſede in media conclaue coërcet,
Immortale opus: internum cui Pieris orbem
Concilio Vatum fabricata, ſedilibus æquè
Strauit odorata è cedro, Patrúmque Latinas
Atque Italas variè ſcidit in ſuffragia claſſes.

Poëtæ ad Senatum accedentes.

Vno verbo, hæc Poëtarum Curia, hic locus habendi Senatus eſt. Iámque huc frequentes vndique cõueniebant, more planè Romano, QVI Senatores, quibúſque in Senatu ſententiam dicere licebat: hoc eſt ex cenſu tum veteri, tum nouo. Digna res erat viſu riſúque, contemplari vultus, & veſtium ornatus alios atque alios. Primi illi

Priſci æui Poëtæ.

Poëtarum, Accij, Pacuuij, Næuij, homines priſci ac boni, complexi alter alterum ſine fuco ac fallacia, more maiorum, hoc eſt, ſuo expediti ac leues properabant aut nudo capite, aut tutulis incluſo, penulis ad collum iunco paluſtri obligatis, ac paulo infra cincturam productis, femoralibus, & caligis ſanè adſtrictis, atque artus exprimẽtibus, ſocculis obſtraguli loco ſpina ruſcóque

conſer

conſertis.Inter quos videre erat Ennium Patrem
——genua agra trahentem,
Quaſſantémque vtrique caput,—— Virgil. li. 5 Aeneid.
Sanchonico bardocucullo tunicatum, manuleatum, ſculponeatum, aurito pileo quàm ampliſſimè fungino more petaſatum. Quorum appendix Turpilius ſequebatur præ vetuſtate ſitúque marcentibus oculis,putríque naſo,atque auribus corroſis, ideóque vti ſpretus deſertúſque à ſociis,paulo attentior ac triſtior agmen cócludebat. Sed qui elegantiori atq; imperatoria ætate vixêre,inceſſu habitúque lógè alio gradiebantur: vultus pleriſque graciles ſubalbidíque; cothurni aliis, aliis ſocci, omnibus hedera doctarum præmia frontium blandè capillamentum implicabat: chlamys ſerica ad terram fluitabat multiplex ac ſinuoſa; ad collum verò anguſtis replicatíſque minutim plagulis, reiecto ad tergũ breui reticulo, aurea ante pectus fibula coërcebatur. Denique alios ex ore veſtiúmque cultu noſtrorum temporum Poëtas ſtatim agnoui. Facies nitidiores, & vt in dies homines ſapiunt magis, bene curata cute habitiores: compta & calamiſtrata coma, aut etiam ſparſa ferociter & negligentiam diligentiſſimè mentita, barbula poëtico metro compoſita: galerus cum argentea ſpira & clauiculis capitatis,breue rotundúmque pallium: collo torques, ferrum lateri, omnia militi, quàm Poëtæ ſimiliora. Quamquam officioſa inter eos verba,grandes quæſitæque è cælo appellationes,ac cælo, cùm ſudum ſerenúmque eſt,illuſtriores tituli, mira deliciarum lenocinia aucupiáque, crebra inter eundum de gradu, déque

Medij têporis Poëtæ.

Poëtæ recentiores.

Officioſa atque aulicaverba.

Proſopopœia officiosè cõcertantiũ.

que ſitu certamina, meros Aulicos oſtendebant:

DEXTER ego lateri gradiar tibi? ſydera teſtor,
Non patiar. Quidni maior patiare? ſiniſter
Ergo ibis? Nigras hodie mihi ſurgere luces
Phœbe iubes. i pra, comitum dulciſſime. Cur hac?
Imò ego ponè ſequar. Non, ſi me traxeris, ibo.
Tene ego præcurram? peream malè: frigora flammis
Iungentur prius, & bruma miſcebitur æſtu.
Sed præeo, quando ipſe iubes: mihi teſtis Apollo,
Inuitus præeo. dum ſpiritus hos reget artus,
Dum memor ipſe mei, ſemper mihi corde ſub imo,
(Ni mihi cor excors) hærebit gratia facti.

Nugis hiſce ac tricis inuicem altercantes, in Curiam plerique pergebant: paucis exceptis,

——— *quos æquus amauit*
Iuppiter, atque ardens euexit ad æthera virtus:

Virgil. li. 3. Aeneid.

qui à turba ſolitarij, meditantéſque ſecum, credo, quid in Senatu paratè dicerent, aſpectu ipſo priſcam illam Poëtarum maieſtatem præ ſe ferebant. Ingreſſis Curiam, ecce lictores laureatis cum faſcibus ad fores ſequuntur. Conſules Apollinari laurea trabeáque cõſpicui, Senatus, vt eſt moris, aſſurgit, clauſóque templo de legitimo Patrum numero quæſitum. Quos deſiderari ex omnibus compertum eſt, ex Latinis Plautum, ex Etruſcis nouum hominem, quem adnitente P. Ouidio Conſule in Senatum nuper admiſſum, ſuperiore anno in ſexto P. Virgilij, & ſecundo Annibalis Cari Cõſulatu, Seuerinus Boëtius Cenſor, cùm illius Poëſim bonis obeſſe moribus oſtendiſſet, exutum hederâ, præcinctúmque peregrinæ arboris coronamento. Fracaſtorij manu plexo,

Pœna impudici Poëtæ.

xo, Parnaſſi finibus abire iuſſit, Caſtalia aqua, & igni poëtico interdixit. At verò M. PLAVTVM L. Annæus Seneca Cenſor hoc eodem anno Senatu mouerat per quinquennium, quòd nimirum Patribus ſeriò conſulentibus frequenti congreſſu, cùm Ennio, cui aſſidebat, pileum diſſimulanter è capite detractum ante Conſulum pedes abieciſſet; admonitus, Patribus non placere quemquam Poëtarum in Senatu ſcurram agere, non modò dicto audiens non fuit, ſed paulò pòſt vltimo Senatu, Statio Papinio Neapolitano, eleganti cum ſagulo recèns à Claudia vxore ſibi tranſmiſſo, carbaſiſque ad collum bipedalibus, quaſi maioribus velis in Curiam magnificè ſe ſe inferenti, ſecúmque neſcio quid grande follicantibus buccis ampullanti, clàm à tergo papyraceum ſulphureo oppletum puluere crepitaculum latenter affixit; quod, vbi ille ſubſellio ſecurus incubuit, concepto igne, multiplici ſtatim ſclopo ſtrepitare cœpit, furentémque ac ſuſſiante retrò flamma excitum è ſella repentè Statium, atque in medium ignea cum cauda ambuſtóque ſago proſilientem, implorantémque Poëtarum fidem, risêre primùm Patres, quòd homini mimalloneos carminum bombos identidem inſtanti opportunè ea fibula videretur affixa; poſtea verò oppleta fumo tetróque odore Curia, exire inde properè coacti, malam Plauto crucem precati minatique ſunt. Ergo facta, vt moris eſt, à Claudiano Conſule, qui Senatum habebat, dicendi poteſtate, Cẽſor VERBA fecit de MOMI litteris in Senatu recitandis: ipſúmque Momum paulò antè ex annua peregrinatione reuerſum

Plautus Senatu motus.

Eius ſcurriles luſus aduersùs Ennium. Et in Statium.

Momus in Senatum introductus.

ante Vrnam ſtatuit. Huic mos eſt quotannis Parnaſſi verticem conſcendere, ad Senatum intromitti, quidquid inter homines ſiue clam,ſiue palam de re poëtica tacendum æquè ac dicendum ſentiatur, nullo cuiuſquam metu liberè profari. Proceſſit igitur in medium libellorum faſciculis onuſtus, quos hoc vno anno, dum Vrbes inuiſeret, ac mores multorum obſeruaret, partim ipſe memoriæ cauſâ conſcripſit,partim à publicis priuatiſque Academiis traditos accepit, vt eo in Poëtarum Concilio recitaret:quibus in Cenſoris Vrnam coniectis,nam

Momi libelli.

Vrna in Poëtarum Senatu.

CONCILIO in medio ſedet ingens Vrna, capaci
Quantum vteri concha, gracili tantum inuia collo.
Vatibus hanc perhibent ducendis ſorte libellis
Quæſitorem Herebi dono Minoa dediſſe.
Argento pars interior nitet interraſo,
Artis Mentoreæ facili circumcaua torno.
Aurea ſed faciem multis emblemata ſignis
Phidiaco variant calo,qua baltheus Vrnam
Signifer obliquat,biſſeniſque vna figuris
Monſtra vehit, totidémque micat Zona aurea bullis.
Argumentum ingens:pendent hinc omnia,motu
Ex vno pendent pecudúmque hominúmque labores:
Frondibus hinc latè colles,& gramine multo
Prata virent,bifidis verruntur cærula caudis,
It fera per ſaltus,cæli ſpatia ampla volucres
Impediunt,hominúmque augentur cœtibus Vrbes,
At parte è calathi gemina,quà tortilis anſa
Circinat vtrimque anguſti chryſendeta labri,
Implicitâ manibus ſortes,& lumine caſſa

Zodiacus in Vrna.

Sortes.

Collo

Colludunt, fatúmque regit, ludúmque coërcet.

Sed hæc verſuum parerga moleſtè nimis interturbant inchoatam narrationem: redeo, vnde digreſſus ſum. In Cenſoris Vrnam coniectis litterarum faſciculis, ſic exorſus eſt Momus. VELITIS iubeatis, Patres Conſcripti, lina incidi, faſciculos explicari, libellos propalàm legi. Cùm conſules iuſſiſſent, ille mota tantiſper Vrna libellum extrahit, tantáque voce, quantam exerunt Grammatici pueri, dum in Comitiis ſuis ſolemne carmen, QVOD bonum fauſtúmque ſit, præfari ſolent epiſtolam, quam ſortitus eduxerat, recitarè cœpit.

SOCIETAS TYPOGRAPHORVM

Senatui Populóque Poëtarum S. D.

Querela Typographorum.

CRESCIT in dies magis magiſque numerus eorum, qui noſtra opera in voluminibus edendis abutuntur. Id vitio potiſſimùm fit veſtri generis hominum, qui QVÆ noctu ſomniant, hæc mane lucem videre illicò geſtiunt, occaſionémque Iliadum & Æneidum vndique venantur. Nullus hodie mortalium aut naſcitur, aut moritur, aut præliatur, aut ruſticatur, aut abit peregrè, aut redit, aut nubit, aut eſt, aut non eſt (nam etiam mortuo iſti canunt) cui non illi extemplò cudant Epicedia, Genethliaca, Protreptica, Panegyrica, Epitalamia, Vaticinia, Propemptica, Soterica, Parænetica, Nænias, nugas. Nulla eſt intemperantior hominum natio, nulla aduerſum nos contumacior: ſi quid in verſu, quod non rarenter accidit, illis excidit, continuò in nos, pro ea quam ſibi ſumunt mentiendi licentia, confertur abundè culpa. Malum ſerpit quoti-

Prurigo ſcribendi.

diè latiùs: nos onere opprimimur, nullo (quod caput eſt) operæ pretio. Edita enim horum pleraque vix in manus hominum veniunt, cùm aut exploſi iam antea nomen ſcriptoris, aut prodigioſi veſtibulum operis ſtatim lectores abſterret; nóſque, raro deinceps emptore, ad apinas & nugas ne trioboloquidem venales quoquo poſſumus modo diſtrahendas, cogimur malè properata volumina aliò transferre, ac ſcombris inuolucra & tunicas dare; aut in vicum deferre

Finis non nullorum voluminum.

Hor. lib. 2. ep. 1.

——— *vendentem thus & odores,*

Et piper & quidquid chartis amicitur ineptis.

Hæc pauca de multis vobis indicare viſum eſt. Vos ordinis veſtri bono ac famæ conſulite, nobis tantum oneris detrahite, ac valete.

Vix Momus abſoluerat, cùm Cenſor iram inter & riſum; Quid nobis, inquit, quotidie cum Typographis? an ſi quid illi fortè decoquunt, & iacturam fortunarum faciunt, idcircò reſarciendum nobis eſt? Reſarciendum, reſpondit Momus, ſi veſtra cauſa iacturam faciunt. dicam enim liberè more meo,

Hor. in Arte poët.

Ludere qui neſcit campeſtribus abſtinet armis,

Indóctúſque pilæ díſcive, trochíve quieſcit,

Ne ſpiſſæ riſum tollant impunè coronæ.

Qui neſcit, verſus cur audet fingere? ———

Sed video cur tã facilè Poëtis ignoſcatis: nempe non ignari malorũ miſeris ſuccurrere didiciſtis.

Id. ibid.

Scimus, & hanc veniam petimúſque damúſque viciſſim.

Quid pro Typographis decretum.

Annuebat verſibus ſuis Horatius; cùm Claudianus Conſul, indicto manu ſilentio; ad Horatium librorum Quæſitorem ac Muſæi cuſtodem deferri

ri libellum iuſſit, ei cauſam permiſit: Sermonem ſcriberet de libris nonum premendis in annum, pœnas præproperis ingeniis ſtatueret, déque re tota ad Senatum referret. Cui Conſulum alter Torquatus Taſſus addendum putauit; Videret Quæſitor, ne in Apollinarem Bibliothecam noui quotidie libri admitterentur, antequam de iis ſtatueretur aliquid certi. hunc enim aditum ſi ſibi interdictum ſentirēt fartores iſti carminum, fortaſſe tardiores in conſcribillandis paginis deinceps futuros. At Horatius id verò feciſſe ſedulò ſe ad eam diem affirmauit, idque ſatis apparere ex aggeſtis cumulatíſque codicibus, qui tam multi ante fores Bibliothecæ præſtolabantur ingreſſum, vt ſanè pauciores Maro deſcripſerit animas apud Cocyti ſtagnum orantes,

De libris in Parnaſſi Muſæum non admittendis.

Tendentéſque manus ripæ vlterioris amore.

Virg. lib. 6. Aeneid.

Sed ſe non minus Portitore illo Stygio inexorabilem fore: etiamſi offenſurus iterum eſſet Torquatus ipſe Conſul, & ex vtroque pede laboraturus. Etenim Torquatus paucis antè diebus Bibliothecam ſub veſperam ingreſſurus, dum enititur aperire ſibi aditum, ea voluminum multitudine penè occluſum, imprudens offenderat in codicem neſcio quē ab Academicis FVRFVRARIIS Florentiæ conſcriptū, prolapſúſque ſuborta capitis oculorúmque vertigine, ex læuo etiam tum pede claudicabat. Tunc Conſul Torquatus, nec tam dixit placere ſibi librorū turbam in Bibliothecæ veſtibulo, qui ſi quotidie, vt iam cœperant, eo loco accreſcerent, quo dein modo patere per eos cumulos in Muſæum potuiſſet acceſſus? Quare quamprimùm eos amoueret inde: ac,

Torquati caſus.

ac pauciſſimis exceptis,qui digni illo litterarum Sacrario ei viderētur,reliquos alium aliò diſtraheret:partim valuatum rimis obſtruēdis,vt Anagrammatarios pleroſque & minutos litterarum glutinatores: partim flabellis ad ventulum concinnādis,vt Amadigios omnes,& promercalium nugarum inſtitores : partim feneſtrarum velamentis contra pluuiam & Solem opponendis,vt confidētiloquos iſtos & duros Capitones,qui loricato ſunt pectore aduersùs omnem iniutiā:&c, ſi qui adhuc ſupereſsēt,prę̄ſertim ex iis qui fœdè Principibus adulantur,traderet eos funerum Curatoribus,vt in proximis Mœcenatianis exequiis, ad ſtramineam eius viri ſtatuā poëtico tormento explendam,inculcandam , farciendam liberaliter adhiberent;atque ea ratione , impoſita pyræ honoraria illa imagine tot gravida præconiis inflatáque,ſimul cum ea,Poëtarum vota multorum conflagrarent,atque in cinerem nihilúmque deſinerent. Cæterùm , ad auertendos in poſterum huiuſmodi librorum concurſus; OPTIMVM factu ſibi videri,ſi eos non à Parnaſſi modò Regio, ſed etiam à finibus idem Quæſitor abſtineret,nec priùs admitteret ad faſtigium Montis , quàm in conſtituto ad radices hoſpitio quatuor dierum decadas exegiſſent , ſuſpicionémque ſui purgaſſent. Ad quæ Venuſinus,facturum ſe libenter imperata reſpondit:imò,ſi Senatui videretur,acturū ſe aliquid , quod ſubitariis iſtis ingeniis morā eſſet non minimam allaturum:nempe Ex codicibus quos admiſſurus eſſet , electurum ſe vnum aliis deteriorem , eúmque non illicò inſerturum in pluteos & loculamenta cum cæteris,ſed ignominiæ

Quò deſtinandi aliquorū libri.

Adulatores Principum.

Cautio antequam ad Parnaſſum admittantur libri.

Ex admiſſis libris deterrimus quomodo plectendus.

niæ cauſâ in media Bibliotheca ſublimem apud Filices muſcarios appenſurum, ac retenturum ibi tandiu, dum liber illo nequior acceſſerit, qui eum loco trudat, ipſe ſuccedat; tunc demum redigendum in claſſem; ſuáque in arcula nidóque componendum. Hæc autem etſi magnopere probauit Claudianus Conſul, quia tamen peculiari Senatu opus habere dixit, pollicitus ſe breui de ea cauſa Patres conſulturum, ſtaturúmque id, quod plures cenſuiſſent, re tum infecta, diſceptationem diſtulit in aliud tempus. Et iam Momus alium ex Vrna ſortitus erat ſupplicem libellum, iuſſuſque perlegere inſcriptionem tergo additam, quæ erat;

POETIS PRISCIS AC BONIS LECTORES.

In veteramentarios carminum ſutores.

Explicata pagina, interiorem epiſtolam recitauit. **Lectorum querimonia.**

NEC pudor eſt, nec modus vllus hac tempeſtate carminum ſcribendorum: inuaſit enim mortales hæc peſtis, exedítque multos mala hæc ſcabies, Poëtæ vt vulgò ſalutentur: ideóque nouis quotidie voluminibus, in quibus tamen NIHIL eſt noui præter titulum, ad legendum homines inuitant, & tantùm non mercede conducunt. oculi legendo, manus volutando dolent: vſque adeò aliis, atque aliis poëmatibus continenter obruimur. Sed quod magis dolet, opera expectatióque legentium luditur. Ad nouum opus inauditúmque commentum euocati magna ſpe ingredimur, cùm paulatim vetera fermè omnia, & exoleta, ſed expolita & fuco interpolata reperimus: *prefractam ſtrigilem, & ſoleam*, vt ait Lucilius, *dimidiatam.* Scilicet huc tandem recidit hu- **Calliditas furacium Poëtarũ.**

ius

ius æui Poëſis. eruta ex antiquitatis tumulo ferramenta paſſim recoquuntur recuduntúrque, & inducto alio rebus colore ac forma (quàm tamen diſpari forma, quàm inepta?) pro nouis repentè mercibus extuduntur. Vos, quorum res agitur, quorúmque opera miſerum in modum à ſcrutariis iſtis refiguntur, ac dilacerantur; videte per Apollinem, Poëtæ, ne fraus hæc, quæ artis hodie locum & quæſticulum inuenit, impunitate ſuccreſcat, atque aliquem furacibus iſtis ac veteramentariis ingeniis, pro veſtra ſapientia, modum ponite. Plura in hanc ſententiam noſtro omnium nomine ſuperaddet is, qui has litteras afferet ac tradet Momus. Valete.

Momi narratio.

Vix ea, cùm rogatus à Senatoribus Momus, vti proferret in medium, ſi quid appendicis loco euulgandum putaret; Pauca, inquit, ſed paucis multa. Eram Florentiæ, addiderátque ſe mihi comitem ſeſquipetrarcha neſcio quis, qui me infimis in horas precibus obtundebat, vt opuſculum deferrem ad vos ſuum, immortalitatíque in Apollinari Muſæo conſecrarem. hoc ego ſocieno per Vrbem intentus mortalium ſtudiis curſitabam. Acceſſimus ad Cerarij Fictoris officinam, qui cereas icunculas ac ſigilla Deorum, hominúmque, ac ſtirpium, ligneo teretíque ſcalpro conformabat. Erat illi tum fortè in manibus arundo, quam è cera, certa per interualla diſtinguebat nodis, educebat ex ea fundebátque geniculatim folia, leue faſtigium craſſiore paniculæ coma finiebat. hæc dum ageret, adfuit qui laurum arbuſculam ab artifice poſtulauit, vt venderet. tunc ille; Hæc, inquit, quam molior arundo,

Fictor Cerarius.

Mira eius in fingendo celeritas.

do, lautus erit. nullâque interpoſita mora, è calami foliis alia demittit ad truncum, alia ſpargit in ramos, ramos frondibus opacat, baccas occultat inter frondes; hæc addenſat, illa incidit, alia dilatat, vno verbo, pro arundine laurum emptori tradit. Diſcedebat hic, cùm ecce alius vir honeſtus & grauis, qui magni Alexandri icunculam mercari cupiebat, quam quia inter ea ſigilla non vidit, abibat. reprehenſum hominem voce, mox etiam pallio, ſubſiſtere Cerarius enixè rogat, oſtendítque pro Alexandro Mercurij ſignum perilluſtri ceratione perfectum. negat emptor; exoculatum eſſe adeò ſe, qui non videat QVID diſtent æra lupinis: Alexandro ſibi opus tunc eſſe, non Mercurio. At ego, inquit artifex, Alexandrum tibi vendo. Hic ego intentiſſimis oculis expectabam, quibus tandem præſtigiis pileatum Mercurium, alatum, nummatum, caduceatum, nulla non re diſſimilem Alexandri, traducere ad Alexandrum poſſet; cùm ille tanta celeritate, vt aliis exuiſſe Mercurij pedes, ſuas induiſſe manus videretur, è loculatis arculis nunc excerpens aliquid, nunc aliquid eò reponens, diſcolores illas ac miniatulas ceras facili tractatione variare cœpit: Mercurij caduceum, quod erat lææ manus geſtamen, adſtringit ac producit in haſtam: crumenam nummorum plenam, quæ pendebat è dextera, comprimit atque in fulmen exacuit, opportuna ſanè traiectione: è talaribus atque ex alis ocreas ad genua vſque deducit: galerum ac pinnas in galeam ac plumas altè ſuſtollit, oculos rotundat, genas exporrigit, producit naſum atque amplificat (nam Alexandrum

Arundo in laurum.

Mercurius in Alexandrum.

drum hac etiam parte fuiſſe magnum ferunt) dilatat frontem,in ſiniſtrum humerum ceruicem aliquantulùm proiicit,colores confinio temperat, nigrum,ſubnigrum, auſterum, lacteum, luteum, ſubalbidum, purpureum, lentum; vitreum, furfuroſum modò diluit, modò infuſcat, modò exacuit,modò obtundit, atque ita commutabiles illas cerulas hinc atque hinc traducit, operíque addit adimítque, vt Alexandri ſimulacrum momento enatum videremus, ignoraremus autem quid de Mercurio factum foret. Hærebam hîc ego attonito ſimilis: ſed comes vt erat natura procacior, ad artificem; Itane verò, inquit, mi homo, tam facilè vnáque productione naſi tu nobis Alexandros extemplò paris? Quid ni? reſpondit, cùm producendum eſſe naſum, non corripiendum veſtra de ſyllabis Senatus conſulta proclament? nos autem id artis didicimus à Poëtis, cum quibus commune habemus fingendi nomen.Doctè enimuerò,inquam,& ſupra ceram, & ſcalpum conuerſúſque ad ſocium, INSERE nunc Melibœe pyros. Riſit ad hæc emptor Alexandri, &; Hoc ipſum, inquit, recurrebat animo, dum Cerarium id operis molientem intuebar: videbar enim mihi Poëtam inſudantem videre carminibus concinnandis,atque vnde vnde transferendis,operíque ſuo per æqua,per iniqua conſuendis. Nam quid hac tempeſtate ſolemnius?priſcorum reliquiæ conquiruntur, noua priſcis adduntur oppidò pauca, multa diſſimulantur,foris intima, intus extima conuertuntur, quadrata rotundis permutantur, quid verbis opus eſt? ex antiquo nouum repentè opus inter

Scommata & ioca.

Cerarij & Poëtæ cóparatio.

Interpolatores carminum.

Poëtæ

Poëtæ manus enaſcitur : & nobis interim, qui hæc audire cogimur, aut legere feſtinamus magnificis illecti deceptíque titulis, propter quos deſeri poſſit,vt ait ille, vadimonium;fraudi plurimũ eſt ad eadem toties nullo operæ pretio reuocari. vt ſanè in deterius abitura res ſit, niſi aliqua demum animaduerſione hæc Poëtarum coërceatur impunitas. Obmutuerat ſatis meticulosè argutulus comes ille meus,alióque ſimulabat ſe animum, dum ea dicebantur, auocaſſe; cùm ego ad emptoris aurem inſuſurrans; Bono, inquam, ſis animo : ego ad Senatum Poëtarum propero:animaduertent illi, vt opinor,in horum licentiam, tibíque ac cæteris idem ſtudentibus exoptantibúſque conſultum erit. Et verò,Patres Cõſcripti,ſi minùs lectorum vos querelæ ac preces mouent, moueat decus certè veſtrum, ac dignitas iſtius ordinis,qui iam vulgò,ſi neſcitis,ridiculo eſt.veſtra ſunt quæ ſutores iſti diſſuunt, conſuunt ſibi, vos iſti expoliant, vos expilant, exoculant, expectorant, euiſcerant:ſibíque aliena dum accommodant, quos inter homines cachinnos,Deus immortalis,quæ ioca,quas fabulas excitant? Vidi ego iampridem Romæ, in Vrbe vti ſcitis, mores aliunde omnium complectente, hominem noua indutum & collectitia ſanè ſyntheſi,hoc eſt,ex aliquorum,quos hîc intueor,veſtibus contexta ridiculum in modum. ſurripuerat Dantis Aligerij ſagum holoſericum ſubſutum lacinia Damaſcena, oblongis anguſtiſque manicis : ſed,ne furtum deprehenderetur, inuerterat, próque veteri ſubſuto nouum abdiderat, ídque mirificè variauerat. Nam reſectis ex Cino

Plin. in Præfat.

Expilatores veterũ Poëtarũ.

Ad explicand aliquorum furta.

Veſtis variè conſarcinata. Piſtorienſi fimbriis, detractis à Boiardo ligulis, reciſus è Guittone Aretino anſulis, veluti polymitam veſtem verſicoloribus liciis ac cæſuris intexuerat. Ita verò induerat inductis in manicas pedibus non planè incommodas ſibi caligas, ſed femoralia paulo arctiora confecerat: collare autem ſagi ad renes, atque vmbilico tenus diſtributum ſuis aciculis obfirmauerat: reliquum extremúmque ſagum ſublatum vſque ad collum, eiuſdem veſtis cingulo coërcuerat, atque in hunc modum magnificè ſe circumſpiciens, ac noui ſe operis artificem venditans, homo belliſſimus ſegmentato & collatiuo cum centone per Vrbem incedebat. Cui ego hæc pauca:

Hor. lib. 1. ep. 5.

Quid ſi fortè ſuas repetitum venerit olim
Grex auium plumas? moueat Cornicula riſum
Furtiuis nudata coloribus. ——— ———

Hæc Momo dicenti, atque eloqui planiùs eadem paranti Céſor, admonente P. Virgilio interceſſit negauítque æquum ſibi videri, in ea inſectatione vſque adeò prouehi, vt nullo diſcrimine ſimul inuoluerentur optimi quique ſapienter ac feliciter imitantes, tempeſtiuíſque alluſionibus carmen eruditè condientes; & audaculi neſcio qui nullo modo, nullo metu in aliena inuolantes, nihil ingenio promptum, nihílque labore partum habentes, ac non niſi rapto, apertáque populatione victitantes. Placuit ea verò Conſulibus interceſſio viſumque, VTI A. Perſius Conſul deſignatus, adhibita ad eam rem opera Samonici Sereni, cauſam ſedulò cognoſceret, medicamentúmque, quod olim idem Serenus prurigini arcendæ compoſuerat, transferret ad pruriginoſos hoſce

Diſcrimẽ inter imitatores & fures.

Quid decretum contra furaces Poëtas.

hoſceVates,quo ea ſcribẽdi ſcabies inungi ac deliniri poſſet. Quamquam palàm tunc Perſius teſtatus eſt,non opus eſſe eo lenimento cum furaci hominum genere ac refractario : ſed ſi Patribus videretur ; ſe oſtenſurum IGNEM ex fatidicis Idæ lignis nuper ab ſe repertum , in quem quidquid miſtum ex rebus diſſimilibus cõflatúmque coniicitur , illicò ſecernitur , atque ex ſeparatis partibus , ſi quæ veteres ſunt , flammis abſumuntur, nouæ perdurant. id optimum fore Poëtarum experimentum aut ſupplicium : quorum libris antequam in poſterum euulgentur , iniectis in decretorium hunc ignem , quidquid flammis illæſum inuictúmque ſupererit,id tantummodò nouum , vernaculúmque , ac proprium cenſendum eſſe;cætera,quæ conflagrabunt , tanquam aliena, furtíque damnata meritò pœnas dediſſe exiſtimandum. nec dubitare ſe ; quin , ſicuti recens à lacu vinum dum deferueſcit,tumore poſito extenuatur decreſcítque , ita multorum libri apud igneum hunc exploratorem adſtringendi contrahendíque ſint adeò , vt ſæpenumero ex magno ac tumido aliena fartura volumine,extracto exſiccatóq; quidquid erat inanis,& nõ proprij ſucci,atq; adeò in libellũ ſanè tractabilẽ manualẽq; redacto,nõ plures quàm ſex ſeptémve ſuperſtites futuræ ſint paginæ , quas iure ſcriptor agnoſcat ex illo incendio reliquias ſuas.ſic nouos Poëtas à ſcrutaria,quam ignauiter artem factitant,abſterrendos : & lectores moleſtia , & in quam inducuntur,fraude liberandos. Riſit eo nimirũ commento Momus,quòd videret,Cõſulum alterum, ac Senatores aliquot ad Perſianum illum ignem

Carm. prur. & ſcab. arcenda. Inuentum ad Poëtarum furta deprehendẽda.

Et caſtiganda.

Digitized by Google

pluſ nimio refrixiſſe. Nihil tamẽ cunctatus iniecta in Vrnã dextera libellũ eduxerat, explicabátque, cũ Cõſul imperauit, vt duos preterea ſortito extraheret, quos nulla interpoſita commentationũ mora continenter recitaret, ac Senatus dimitteretur. paruit ille, vocem contendit, ac legit.

Interpretum Virgilianorũ poſtulatio.

P. Virgilio Maroni interpretes svi.

Laboramvs in explanandis Æneidos tuæ locis, nec pœnitet operæ ac laboris: in pleriſque enim aut acu planè tangimus id, quod dixiſſe te oporteat, aut aliquid affingimus, quod te dixiſſe non pudeat. Vnus incidit nodus ſanè Gordianus, cuius occultum cœcúmque caput extrahere nullus adhuc interpretum auſus eſt, ſed ſacro omnes ſilentio præteriuimus. Nimirum laqueus eſt ex eo genere, qui fauces ſtatim obligat, ac ſpiritum intercludit. Cur enim inducto apud inferos Anchiſe, qui Æneam Romanorum Reges ordine & accuratè docet, è ſeptem Regibus vnum prætermittis? Nam à Romulo exorſus.

lib. 6. Aeneid. Primus Romanorum Rex.

Quin & auo comitem ſeſe Mauortius addet
ROMVLVS, Aſſaraci quem ſanguinis Ilia mater
Educet. viden' vt geminæ ſtant vertice criſtæ,
Et pater ipſe ſuo Superûm iam ſignat honore?
En huius nate auſpiciis illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo,
Septémque vna ſibi muro circumdabit arces
Felix prole virûm. qualis Berecynthia mater
Inuehitur curru Phrygias turrita per vrbes,
Læta Deûm partu, centum complexa nepotes
Omnes cælicolas, omnes ſupera alta tenentes.

Secundus Rex.

Addis deinde Nvmam,

Quis procul ille autem ramis inſignis oliuæ

Sacra

Sacra ferens? noſco crines incanáque menta
Regis Romani, primus qui legibus Vrbem
Fundabit, Curibus paruis, & paupere terra
Miſſus in Imperium magnum.——

Adiungis demum cæteros,

——— Cui deinde ſubibit Tertius.
Otia qui patriæ rumpet, reſidéſque mouebit
TVLLVS in arma viros, & iam deſueta triumphis
Agmina: quem iuxtà ſequitur iactantior ANCVS Quartus
Nunc quoque iam nimiũ gaudẽs popularibus auris.
Vis & TARQVINIOS Reges; animámque ſuperbam Quintus & ſeptimus.
Vltoris Bruti, faſcéſque videre receptos?

Hæc de Regibus Romanis. At in hoc cenſu, Servivm Tullum, qui medius inter Tarquinios Priſcum, & Superbum fuit; tu bonus Regum Cenſor omiſiſti. Ecquæ te cogitatio aliò tunc agebat, quóve abalienato tunc animo peregrinabaris, vt tibi Rex tam probus, ac Romanæ rei propagator excideret? Hæc vna res (ingenuè fatemur) vniuerſam Interpretum nationem conturbauit, viſáque eſt, de qua te ipſum conſultum vellemus, ac nodum te ſolo vindice dignum tu tanquam è machina diſſolueres, ac lectoribus occaſionem ſubtraheres quidquam aut de Authoris, aut de Interpretum indiligentia ſuſpicandi. Vale. [Sextus cur relictus?]

Epiſtolam vix recitauerat Momus, cùm ex imperio Conſulum detulit ad Virgilium, qui petitioni Interpretum ſatisfaceret; legítque ſubinde aliam in hunc modum. [Cauſa ad Virgilium delata.]

Antiqvarii, chronographi, mythologici Q. Val. Catvllo svo.

Interpretum Catullianorum quæſitum.

TRIUMVIRATUS noſter paucis te vult, elegantiſſimè Catulle, id quod refert tua plurimùm, & noſtra non parum, qui tecum facimus. Summa hæc eſt, nam breuiloquentem eſſe Magiſtratum decet. In nuptiis Pelei, & Thetidos, paucos intra verſiculos, doctos (Iuppiter) & laborioſos, tui tamen te cepiſſe videtur obliuio. Principio enim cantas, ARGO, qua vecti ſunt Heroës ad Colchicam expeditionem, primam fuiſſe nauim.

Carm. 65.

Peliaco quondam prognata vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni naſſe per vndas,
Phaſidos ad fluctus, & fines Ææteos.
Cùm lecti iuuenes, Argiuæ robora pubis,
Auratam optantes Colchis auertere pellem,
Auſi ſunt vada ſalſa citâ decurrere puppi,
Cærula verrentes abiegnis æquora palmis.
Diua quibus retinens in ſummis vrbibus arces,
Ipſa leui fecit volitantem flamine currum
Pinea coniungens inflexa texta carinæ.
Illa rudem curſu PRIMA imbuit Amphitriten.

Prima nauium.

Addis; è pelago excitatas eius nauigij nouitate Nereidas, visámque à Peleo Argonauta Thetidem illicò adamatam inter cæteras Nymphas, eíque à Ioue in matrimonium collocatam.

Tum Thetidis Peleus incenſus fertur amore,
Tum Thetis humanos non deſpexit Hymenæos,
Tum Thetidi Pater ipſe iugandum Pelea ſenſit.

Deſcribis ad hæc torum genialem purpurea cõſtratum veſte, qua in veſte inter alias acu variatas figuras pingis Ariadnam eiulantem ob Theſeum celeri cum claſſe fugientem.

Puluinaris deſcriptio.

Puluinar verò Diuæ geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum,

Tincta

Digitized by Google

Tincta gerit roſeo conchylis purpura fuco.
Hæc veſtis priſcis hominum variata figuris
Heroum mira virtutes indicat arte.
Namque fluentiſono proſpectans littora Diæ
Theſea cedentem celeri cum CLASSE tuetur
Indomitos in corde gerens Ariadna furores.

Iam verò ſi Argo prima nauis ponti fuit, &c.

Illa rudem curſu prima imbuit Amphitriten;

quomodo ante illam, Theſei mentionem facis cum claſſe ac velis remiſque in patriam remeantis? Hîc AQVA hæret. Conuenimus Antiquarij, Chronographi, & Mythologici: & neque antiquitatis memoria, neque ex temporum computatione, neque ex fabularum inuolucris quidquam ad componendum diſſidium eruere potuimus. Ad te rem integram referimus. TVTE hoc intriſti, tibi omne eſt exedendum. Vale. Nodus in Catul.

Legerat Momus, & ex authoritate Conſulum Catullo dedit, qui in ſequenti Senatu nodum ſolueret ſtatímque poſtremum ex iis, quos ſortitu extulerat, libellum recitauit. Ei commiſſa ſolutio.

ACADEMICI IN ITALIA EI, QVÆ IN PARNASSO COGITVR, ACADEMIÆ POETARVM. Academicorum petitio.

FLORET inter cæteras Academicorum exercitationes hoc tempore, ſtudium conſcribendorum INSIGNIVM, eóque perductum eſt, vt ex Academiis foras deriuatum illitterati pariter, litteratíque complexi ſint: atque è plebe iam quilibet in triuiis, & compitis auctionariis hoc de argumento paſſim philoſophatur, ac vulgus ipſe zonariorum ſellurariorúmque ſermonem hac ſuper re ſecurè miſcet, ſibíque certa quædam, quæ ſuſpendat ante officinam Inſignia ſymboláque Exercitatio Inſigniũ condedorum maxima.

procudit. Sed quò res facta vulgatior eſt, eò eſt etiam in plures diſtracta ſententias, atque obſcurior proinde, difficiliórque reddita. Quin etiam ij, qui lucem ac facilitatem rei afferre conati sũt; conantúrque hodie complures ſententiis plerunque pugnantibus pertractant hanc prouinciam, legéſque pro arbitratu quique ſuo huic generi commentationis imponunt: ac cæteri, qui ex hiſce ſcriptoribus hauriunt, ſi paulo verecundiores ſunt, ancipites ſuſpensíque omnia verentur, quaſi plenum opus aleæ tractent, & incedant per ignes ſuppoſitos cineri doloſo. Vſque adeò in ſumma ſententiarum pugna.

Sed ars incerta.

Perſ. ſat. 5.

VELLE ſuum cuique eſt, nec voto viuitur vno.

Quas ob cauſas.

Quòd ſi iſti, qui in hac arte familiam ducere tantopere cupiunt, ac leges præceptionéſque tam facilè ſanciunt, eas rationum præſidiis, vt par erat, ſtabilirent; profectò ſi minùs moueret nos authoritas docentium, ſaltem argumentorum firmamenta mouerent. Nunc autem quando in hoc genere ſcribendi nec Ariſtoteles, Phalereóſve, aut Tullios habemus, quorum teſtimonia rationis loco ſint: nec adhuc in magna Doctorum copia videmus argumentorum momenta, in quibus acquieſcere iure poſſimus; ad vos, quod vnum ſupereſt, veluti Ad ſacram anchoram confugimus, petimúſque vti rem pro imperio definire, leges conſcribere, præcepta monſtrare, præceptorum cauſas rationéſque ſubiicere: ac modum huic artificio tandem aliquando ponere pro veſtra humanitate velitis. Nos quidquid ex iſto Senatu proueniet, id ratum fixúmque & immutabilis oraculi loco omnes habebimus. Valete.

Tum

Tum Claudius Conſul, Torquato Collega ſuggerente, intuitus in Petrum Bembum; Tuum, inquit, munus hoc eſto, Bembe, vt commentarium perbreuem & capitalem hoc ſuper argumento conficias, atque ad proximas Kal. frequenti Senatu recites. tunc enim rogatis, vt moris eſt, Patrum ſententiis, Senatus conſultum de Inſignium natura conſcribemus. Hæc cùm dixiſſet, Senatúmque tenere ſe vltrà negaſſet, Curia ſtatim omnes exceſsêre. Petrus Bembus cognoſcendis Inſignibus præfectus.

PRÆLECTIO SECVNDA.

Plautina Prima.

SIVE

Poëtæ Comici virtutes ad Plauti commendationem explicari cœpta.

NOVVM opus enũcio in præſentia Rhetoribus meis (Præſules ſapientiſſimi) iubeo illos deponere tantiſper è manibus Ariſtotelẽ, eiúſque viri præceptiones, quibus informantur ad Eloquentiã, intermittere, dum huius loco Plautum hodie ſubiicio, ac priſtinam faciem continuati dudũ operis muto. Id ego aggredior authore te, IVLI STROSA, Præſul & munere, & ingenio clariſſime. nam cùm tu me nudius tertius, vt ſæpe ſoles, humaniſſimè conuenires, ac te in perendinum affuturum mihi ex hoc loco dicenti ſignificares, cúmq; ego pro noſtra amicitia Occaſio prælectionis.

 ſciſcitarer

ſciſcitarer ex te familiariter; qua de re potiſſimùm diſſerẽtem audire me minùs ingratum tibi futurum eſſet;tu laudare continuò Plautum cœpiſti: percontanti rurſum mihi,è Plauti Comœdiis quid te iudice ſeligerem;non opus eſſe dixiſti,delectum habere in eo Poëta, in quo nihil eſſet non electè egregiéque conſcriptum:ſatius eſſe de ipſo generatim vniuerſéque diſputare. de quo tu paucis multa complectens oſtendiſti,eum tibi in Romano ſermone Principem videri,quem Ennio æqualem antiquitas, quem operũ multitudo,hoc eſt,vt aliqui ſentiũt,triginta ſupra centum Comœdiarum numerus, quem feſtiuiſſimi lepores,quantùm vnquam leporum fuit eritque, facilè commendent. Quæ dùm audiebam ipſe, proculdubio intelligebam, deduci indicarique mihi laudationis fila, quæ ſi apud vos, Rhetores, conueſtirem, facili negotio à vobis impetrarem,cum vt eſſe Plautum iudicaretis,qui ſummo loco habendus inter Comicos videatur. Vtar igitur eo, quod indicatum mihi eſt, argumento, idque ea ratione pertractabo, vti Rhetorem & amicum decet: hoc eſt, præſentis materiæ memor in Plautum laudes abundè congeram, more, inquam, noſtro, qui quæcumque in manibus ſunt, ea ſumma eſſe, cæterorum obliti liberaliter affirmamus: & gratificaturus homini Plautinæ factionis, Plauti virtutes hinc atque hinc ſeligam, vitiis, quæ ei tribuuntur, amici gratiâ interim ſilentio prætermiſſis: modò vos, Rhetores, admonitos ſemel habeam, huius Poëtæ Comœdias non videri planè accommodatas ætati ac moribus veſtris, quorum inſtitutioni hæc

Ratio agendi in hac prælect.

præci

Digitized by Google

præcipuè dirigenda ſunt liberalium ſtudia doctrinarum. eſſe alios è prima nobilitate ſcriptores,à quibus linguæ candorem, abſque vllo vitæ commaculandæ metu haurire ſecurè poſſitis. Ac de Plauti quidem tum vita, tum Comœdiis vbi generatim aliqua proloquutus fuero,ad eius virtutes ordine ac partitè accedam; ita tamen,vt ſi minùs hæc veſtro digna conſpectu, Viri eruditiſſimi,videbuntur,oratos vos etiam atque etiam velim, vt culpam,quam conferre poſſetis in ingenium meum,quod ſcio quàm non ferax ſit, ab eius anguſtiis,in anguſtias temporis ſpatiúmque dierum omnino duorum mihi relictum ad dicendum in præſentia,transferatis. Materies prælect.

Natale ſolum M.Plauti SARSINA fuit, ignobili,&,vt ait ille,ſurda Oppidum fama,ſi non huius gratiâ laudabiliter audiret. Sarſinam in Prouincia Flaminia, vulgò Romandiola, reponunt hodie Blōdus Flauius,Leander,Maginus,aliíque: olim in Vmbria ſtatuebant Veteres, vt eſt apud Plinium,Strabonem,Pomp.Feſtum, ac reliquos. Nec mirum, cùm agri, quem Vmbrorum gens antiquiſſima primùm obtinuit circa Ariminum, poſtea potiti ſint Galli. Sarſinatem appellant Plautum tum is,quem poſtremo loco nominaui, Pomp.Feſtus, tum bonus ſanè temporum cuſtos Euſebius, ſecutíque ambo deſcriptionem Italiæ veterem, Vmbrum vocant. M. Accius NOMEN homini fuit, ſed cognomento à planitie pedum indito, Plotus eſt appellatus. qui enim pedibus ſunt planis,plotos vocant Vmbri;poſtea Plautus cœptus eſt dici. Ita nos Pom. Feſtus edocuit;cuius viri teſtimonium facit, ne Plautinum nomen

Patria Plauti. lib.3.c.14. De verborū ſignif. In Chro. Nomen Plauti.

men deductum opinemur à canibus, quorum aures, cùm languidæ ſunt ac flaccidæ, latiúſque patent, vt idem ſcripſit, plauti canes appellantur: niſi fortè etymon vtrobique idem eſt. FLORVIT in hac Vrbe, circa annum ab ea condita quingenteſimum quinquageſimum quintum, quo tempore abrogata eſt lex Oppia apud Liuium. *Tunc ſimul M. Porcius Cato*, inquit Gellius, *in Ciuitate Orator, & M. Plautus in ſcena vigebant.* Fortuna, non conditione aut natalibus ſeruire coactus eſt: expertúſque rerum viciſſitudines primùm Poëta, & quidem pecunioſus, tum mercator, ad hæc decoctor, poſtremò piſtor, ſimúlque Comœdiarum ſcriptor iterum fuit. Etenim Romæ compoſitis, datíſque ad Populum fabulis, ingentem pecuniam in operis artificum ſcenicorum ſibi comparauit, vt Varro teſtatur apud Gellium. Hinc maioris ſpe lucri ad mercaturam animum adiecit, nummíſque negotio attributis, ſolum vertit, ſed malè re geſta, inops excuſſúſque fortunis omnibus Romam rediit, vt idem Varro author eſt apud eundem. Quam eſſe cauſam ſuſpicor, cur nihil ille crebrius habeat in ſuis fabulis, quàm mercatum, inſtitorem, trapezitam, pecuniam mutuò acceptam, argentum fœnori datum, ſyngraphas, tabellas, rationes, nummaria negotia. Paupertate, quærendíque victus causâ, in magna præſertim annonæ difficultate, piſtori operam locauit ſuam, occupatus molis truſatilibus circumagẽdis: quantúmque temporis ab hoc opere piſtorio, ac vertendis lapideis hiſce orbibus ſupererat, tantùm operi poëtico, vertendíſque è Græco fabulis, ac vendendis impen

Tempus quo floruit Plautus.

lib. 34.

lib. 17. c. vlt.

Conditio & vita eiuſdem.

lib. 3. c. 3.

Piſtores quando Romæ cœperint.

in Chron.

pendebat, vt Euſebius, atque ante hunc Varro, ſcriptum reliquêre. Neque verò, cùm legimus piſtorem fuiſſe, aut piſtori operam locaſſe Plautum, de eo exiſtimandum eſt verba fieri, qui panes publicè conficiat, ac venales exponat; hoc enim genus artificum Romæ non fuiſſe Plautino æuo diſcimus à Plinio ita ſcribente: *Piſtores Romæ non fuerunt ad Perſicum vſque bellum, annis ab Vrbe condita ſuper quingentos octoginta; ipſi panem faciebant Quirites.* Erant autem piſtores, vt ait Varro, qui in piſtrino pinſerent farinam. Coqui verò, aut mulieres, ad priuatos domeſticorum vſus coquebant panes, vt Plinius ſubdit laudato antè loco, & oſtendit hoc ænigma Næuij Poëtæ. Apud Gellium loco cit. lib. 18. c. 12. lib. 1. de vita P. R.

Coquus edit Neptunum, Venerem, Cererem.

Hoc eſt, interprete Nonio, piſces, olera, panem. Non tamen negauerim, piſtores quoque adhibitos ad panem coquẽdum, eoſdémque fuiſſe etiam coquos, quò ſpectat Plauti ludus in Captiuis:

Multis, & multigeneribus opus eſt tibi Act. 1. ſc. 2.
Militibus, primò dum opus eſt Piſtorienſibus.
Eorum ſunt genera aliquot Piſtorienſium.
Opus Paniceis, opus Placentinis quoque,
Opus Turdetanis, opus eſt Ficedulenſibus.

Hos autem piſtores, quos & coquos deſcribit Plautus, non fuiſſe forenſes ac publicos, ſed domeſticos modò docuimus. OBIIT Romæ Plautus, vt obſeruat in Bruto Tullius, P. Claudio, & L. Portio Coſſ. & Catone Cenſore, cuius cenſuram incidiſſe in annum ab Vrbe condita quingenteſimum ſexageſimum ſextum author eſt Liuius, hoc eſt, quindecim annis ante Ennium, quem an- Mors Plauti. lib. 39.

no quingenteſimo octogeſimo primo mortuum eſſe;ex eodem Cicerone conficitur.Sepulcro hoc Epigramma fuiſſe inſcriptum, quod ipſe confecerat; aſſerit Varro apud Gellium. quod quamquam ad hanc vſque diem ita vulgò lectum eſt,

lib. 1. c. 24.

Poſtquam eſt morte captus Plautus,
Comœdia luget,ſcena eſt deſerta,
Deinde riſus,ludúſque iocuſque & numeri
Innumeri ſimul omnes collacrymarunt.

Comœdiarum numerus.

exiſtimo tamen ab illo ſic fuiſſe ſcriptum,

Poſtquam eſt mortem aptus(hoc eſt, adeptus, ab apiſcor)*Plautus,Comœdia luget,*
Scena eſt deſerta,hinc riſus,ludúſque iocuſque,
Et numeri innumeri ſimul omnes collacrymarunt.

Hoc autem *dubitaſſem*,inquit Gellius,*an Plauti foret*,(credo,quia Plauto indignum ei videbatur)*niſi à M. Varrone poſitum eſſet in libro de Poëtis primo.* Reliquit Plautus COMOEDIAS à ſe ſcriptas omninò multas: quarum alij apud Gellium numerant centum & triginta, alij centum apud Seruium, alij apud eundem quadraginta. Sed his omiſſis,aſſentiendum potiùs arbitror M.Varroni in libro de Comœdiis Latinis, qui vnam & viginti Plautinas fabulas primùm agnouit, mox etiam iis addendam putauit Bœotiam, horum præcipuè verſuum indicio,quos eſſe Plautiniſſimos ait Gellius.Paraſitus ibi eſuriens hæc addit.

lib. 3. c. 3. In primū Aeneid.

lib. 3. c. 3.

Vt illum Dij perdant,primus qui horas repperit,
Quique adeò primus ſtatuit hîc ſolarium,
Qui mihi comminuit miſero articulatim diem.
Nam me puero vterus hic erat ſolarium
Multo omnium iſtorum optimum,& veriſſimum,
Vbi iſte monebat eſſe,niſi cùm nihil erat.

Nunc

Nunc etiam quod eſt, non eſtur, niſi Soli lubet.
Itaque adeò iam oppletum eſt oppidum ſolariis,
Maior pars populi aridi reptant fame.

Præterea Neruulariam addit idem Gellius ex Fauorini iudicio, & ex ſuo Fretum. Tres autem in piſtrino ſcriptas à Plauto docent Varro, aliíque, quarum nomina duarum recenſet idem, quem ſæpiùs laudo, Gellius; Saturionẽ, Addictúmque: apta nempe nomina homini eſurienti, & molis circumagendis addicto. vt propterea veniat in mentem ſuſpicari, tertiã Comœdiam fuiſſe Neruulariam. Ex quibus ſi ſumma ineatur, ſex & viginti à Plauto relictæ videntur fabulæ: reliquas, quæ tribuuntur Plauto ſimilitudine nominis, Plautianas à Plautio compoſitas fuiſſe Lælius autumat apud Gellium. *Scriptas verò in piſtrino Comœdias, mirum videri debet nemini*, inquit Hieronym. Magius (fuit hic capta Cypro in Aſiam abductus, atque enecatus) *mira res hac videbitur, me captiuum, & Turcæ hominis ſeruum, in ergaſtulo vacuum à libris, de Tintinnabulis, & Equuleo libros conſcripſiſſe:* Atque hæc habui cõperta, quæ de Plauti vita proferrem; quibus ſi iudicium de eiuſdem fabulis addidero, abſoluam ea, quæ priori loco mihi vniuersè dicenda propoſui, de Plauti cùm vita, tum ingenij monumentis.

[Margin: Ibidem. | In piſtrino aliquæ Comœdiæ ſcriptæ. | Ibidem.]

Duo ſunt, ſi generatim Plautinas fabulas inſpectemur, quorum gratiã Plauto plurimùm detulit antiquitas; Latini ſermonis ELEGANTIA, ET RIDICVLVM. Non inibo ſuffragia ſcriptorum, qui ELEGANTIÆ laudem ex antiquitate tribuerunt Plautinæ dictioni. omitto Macrobium, qui duos tuliſſe vetuſtatem ait eloquẽtiſſimos, Plautum,

[Margin: Iudicium de Plautinis fabulis. | Elegantia earum. | lib. 2. c. 1. Sat.]

tum, & Ciceronem. omitto I Cæſarem Scaligerum qui in libris de cauſis linguæ Latinæ Plautum Romanæ linguæ legem appellat: & in Hypercritico, dum pleróſque ſcriptorum ſeuerè perſtringit, Plautum veneratus, *Plautina*, inquit, *dictionis genus non eſt noſtrum emendare, qui illi ſanè barbari ſumus: aut ſi Latini, Latini profectò eius beneficio ſumus*. omitto M. Ant. Muretum, cui author Latinitatis longè optimus habetur, atque appellatur. omitto Iuſtum Lipſium; à quo Muſarum dicitur, & gratiarum ortus. omitto alios, à quibus decima Muſa nominatur. Duumuirûm iudicio contentus ero; quorum alter Gellius, hoc eſt, optimus cenſor antiquitatis, alibi Plautum appellat Latinorum verborum conſeruatorem elegantiſſimum: alibi linguæ & elegantiæ in verbis Latinæ principem. Alter M. Varro doctiſſimus Romanorum (vt eſt apud Quintil.) dicere ſolebat, Ælij Stilonis ſententia, Muſas Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latinè loqui vellet. Iam verò in RIDICVLO (quod erat alterum) omnium fermè confeſſione ſuperat Plautus, atque adeò in Comœdia, quæ riſui hilaritatíque inſeruit, ſummum obtinet locum, quod attinet ad hanc partem. Quare in Saturnalibus Macrobius, *Animaduerto*, inquit, *duos quos Eloquentiſſimos antiqua tulit ætas, Comicum Plautum, & Oratorem Tullium, ambos etiam ad iocorum venuſtatem cæteros præſtitiſſe: Plautus quidem ea re clarus fuit, vt poſt eius mortem Comœdiæ, quæ incertæ ferebantur, Plautinæ tamen de iocorum copia noſcerentur.* Imò victos hac in re Græcos affirmat Sid. Apollinaris in laude Narbon. Vrbis.

lib. 6.

lib. 1. c. 7.

lib. 7. c. 17.

lib. 10. c. 1.

Ridiculum earundem.

Et

Et te tempore qui ſatus ſeuero,
Graios, Plaute, ſales lepore tranſis.

Vt meritò Plautus de ſe vaticinatus ſcripſerit, luxiſſe Plauto mortuo Comœdiam, riſúmque lacrymatum eſſe. At ridiculo plus nimio operam dare, atque adeò putidior ea in re videtur eſſe non nemini. ſanè dum Poëſeos naturam contemplatur in epiſtola ad Piſones Horatius, amicos admiratoréſque Plauti hoc nomine reprehendere non dubitat. in promptu eſt locus.

An Plautus ridiculo plus indulſerit.

Horatius de ridiculo Plautino.

At noſtri proaui Plautinos & numeros, &
Laudauêre ſales, nimiùm patienter vtrumque,
Ne dicam ſtultè mirati. ſi modò ego, & vos
Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto,
Legitimúmque ſonum digitis callemus, & aure.

Verùm ſuper hoc Horatiano iudicio, quod celebre eſt, quid ipſe iudicem, paucis aperiam, quando locus & cauſa poſtulant ſententiam meam. Principio non dicam in Horatium, quod Ioſephus Scaliger non tacuit, dum in Animaduerſiónibus, *Quis adeò*, inquit, *eſt auerſus à Muſis, vt lepore ac ſalibus Plauti, & Laberij non tangatur? Horatij iudicium ſine iudicio eſt, qui etiam de Cherili Poëta verſibus nimis præpoſterè iudicauit.* Non hoc, inquam, eloquar in ſcriptorem emunctæ profectò naris, acerrimíque iudicij. facere tamen haud poſſum, quin Horatianum dictum paulo ſeuerius, acerbiúſque pronunciem. Cur enim penè vnus audeat ab antiquitate, quam ipſe Horatius aduersùm ſe nominat, diſſentire? Certè M. Tullius, cùm iocandi genera diſtingueret, alterúmque conſtitueret elegãs, ingenioſum, facetum; *hoc*, inquit, *genere non modò Plautus noſter,*

Diſputatio de Horatiano teſtimonio.

lib. 1. Off.

ſter, & Atticorum antiqua Comœdia, ſed etiam Philoſophorum Socraticorum libri ſunt referti. Quare non omnino malè Turnebus, cùm Plautum facetum Comicum commendaſſet; *in huius*, inquit, *ſalibus æſtimandis accedo potiùs ſententiæ veterum ingenuorum Romanorum, quàm Flacci Venuſini hominis libertino patre nati.* Nec præter rem Iuſtus Lipſius *amare ſe* dicit *elegantes & vrbanos Plauti ſales: nec Venuſini illius aliter cenſentis verſus vnquam ſine indignatiuncula legere.* Quamquam ego cauſam, cur ita ſenſerit Horatius, non illam agnoſco, quam referunt, aut Pet. Victorius, dum dubitat; *Proficiſcíne id potuerit à iudicio deprauato, quòd amiſſus magna ex parte tunc foret lepos Latini ſermonis, ac puritas illa vetuſtáſque inquinata: de quo multo antea Cicero cum Pœto queſtus fuerat in Epiſtola*, aut Ianus Parrhaſius in Plauti Amphitruonem in hunc modum; *Ingenio Plautus fuit perurbano, & maximè feſtiuo; quod non abſque ſuſpicione liuoris eleuatur ab Horatio.* Sed exiſtimo referendam eſſe cauſam, tum in Naturæ diſſidium inter Plautum, atque Horatium, cùm alter garrulus & facetus, alter iracundus foret ac taciturnus: tum in temporum, morúmque varietatem; decorum enim Horatiani ſeculi à liberiori ac populari genere iocandi abhorrebat. Denique non negauerim ridiculum aliquantò crebriùs, quàm deceat, à Plauto quæſitum, congeſtúmque: quæ fuit, opinor, cauſa, vt magnam Plautinæ fabulæ partem agant paraſiti, lenones, infimíque ſerui, id quod grauioribus præſertim viris ſæpiùs in Comœdia placere probaríque haud poteſt. Hoc autem nomine peccari

lib. 25. aduer. c. 16.

Ant. lect. lib. 2. c. 1.

Var. lect. lib. 15. c. 13.

ri interdum à Plauto, profectò ſi non perſonam amici,ſed iudicis induiſſem,poteram in præſentia promptis exemplis palàm facere. Sed iam ab his, quæ generatim vniuerſéque de Plauto dicta ſunt,transferte animum,Auditores,ad præcipuas eius virtutes,laudéſque(quod altero propoſui loco) quarum gratiâ ſpectabitur ille propiùs probabitúrque. VERBORVM in eo vim,ac varietatem animáduertite: in SENTENTIIS pondus momentúmque conſiderate: in DECORO perſoníſque effingendis atque aſſimilandis ingenium multiplex variúmque perpendite: PRAECEPTA denuni, nam hîc quoque non deſunt, inſtruendæ vitæ in memoriam reuocate. Quamquam ex hiſce quatuor capitibus,vt occurram faſtidio, duo tantùmmodo in medium nunc afferam,reliqua, quæ poſteriore loco nominaui,duo differam, ſi ita videbitur,in alium diem.

Virtutes Plautinarum fabularum.

Et verò quæ Vis ineſt in verbis,vt res in illis viuunt ac planè ſpirant, VINVM *memoriæ mors*, quàm pulchrè dictum? *Pumiceos oculos habeo, non queo lacrumam exorare*, quàm aptè? *Beneficus es oratione, ad rem auxilium emortuum eſt*, quid illuſtrius,vt Cicero loquitur,& euidentius: *Domi habes hortum & conditamenta ad omnes mores maleficos*, quàm eleganter occaſio peccandi deſcribitur? Serui modeſtè ſe cibo alentes,vt oſtendant ſe pro ſeruorum facultatibus ſumptum facere in cœna, inducta allegoria, *Nos*, inquiunt, *efficimus pro opibus noſtra mœnia*. Eadem tranſlatione de homine ſupponente manum mento, *Ædificat, columnam mento ſuffulcit ſuo, vide os columnatum*. De homine, qui arcanum ſibi creditum non diuul-

Vis in Plautinis verbis.

gat, quàm ingenioſè? *Mihi quod credideris, ſumes vbi poſueris.* Vulgaris hæc eſſet oratio, nec concinnitatis aliquid haberet; Abiit iam meridies, quæramus locum aliquem occultum, vbi expleamus cœnando hoc reliquum diei, quanto hæc à Comico ſuauior, efficaciórque?

Paraſiti dictum.

Dies iam ad vmbilicum dimidiatus eſt mortuus,
Sepulcrum queramus, vbi hunc comburamus diem.

Non malè quis ita loqueretur; Heus tu pranſus es abſente me? ſed non paulo concinniùs expreſſiuſque paraſitus, cui de conſumpto amiſſóque prandio ægriùs erat, quàm olim Achilli de Patroclo interfecto. Hem vappa hominis, cur auſus es ſepelire hoc prandium, & illi iuſta facere, cùm ego legitimus heres, cui funeris curatio incumbit, nō adeſſem? ſic enim Plautus loquitur.

Feciſtis funus abſente me prandio,
Cur auſus facere, cui ego æquè ac heres eram?

Hominem minuſculum, magnóque ſe pileo petaſóve contegentem, quàm lepidè illudit?

Fungino hic genere eſt, capite ſe totum tegit.

Quæ mihi verba in mentem reuocant hominis ruſtici dictum ſanè non ruſticum. In quo referendo permittite me, Auditores, abire pauliſper à propoſito, eáque, qua Prælectores ſolent, libertate vti. Dynaſta fuit inter Cātabros haud ignobilis: nomen ne quærite; erat ille multorum nominum, longumque eſſet negotium ſimul omnia expedire: nempe tam prolixo appellationum ϭυλλάζῳ cenſebatur, vt monitore ad confirmandam memoriam, ac nomenclatore neceſſe haberem; imò (nam libet iocari cum Plauti ſycophanta)

Homo multorum nominū.

Si ante lucem ire occipiam à primo nomine,
Concubium ſit noctis, priùs quàm ad poſtremum perueniam;

& opus cibo & viatico mihi ſit ad hæc nominum ſpatia conficienda. Hic tamen appellationum homo multarum ac multigenerum, quem immani fortaſſe corporis mole aptáque ſuſtinendis tot nominũ titulis ipſi vobis tacitè conformaſtis, quem toto ſuprà vertice ſublimem facile crediſtis, quem, vt opinor, multiplicem, ac Geryonaceo de genere, aut Enceladi Typhœíve ſobolem, ſeu centumgeminũ Briareum exiſtimaſtis, hominis, inquam, hyperbolem, veſpertinam vmbram, Rhodium Coloſſum, Gigantomachiæ Colophonem, vnam ex Herculis columnis, hoc eſt, hominem cui poſſit inſcribi, *NON plus vltrà*; hic (ne vos pluribus morer) homo bipalmaris erat, homo inquam? hominis indicium dicere volebam, ſomnium hominis, ſalillum animæ, hominis quadrantem, particulam fruſtumque hominis, ſigillum, compendium, aut ſi mauultis, hominis breuiarium. videri illum quidem hominem natura voluit, conatáque eſt, & verò apparebant huius conatus in illo veſtigia, ſed opus non abſoluit, ac pro homine hominis ſpecimen dedit. Nimirum lepidiſſimus hic Regulus, qui ſuis ſe appellationibus facilè inuoluebat, totus effluxerat in nomina. diceres punctum ac centrum videri, ex quo lineæ complures abeunt, ac punctum vndique circunſtant, ipſum verò centrum effugit aciem oculorum: ita illa multiplex nomenclationum ſeries, & multiformis appellationum veluti ductus circa Comitem apparebat quidem,

Ingens ſtatura.

Minimæ ſtatura.

imò denſatum ſpiſſúmque nominum agmen ſplendidè incurrebat in oculos, ipſum verò Comitem rurſum, prorſum, vndique ſi quæreres, nuſquam inuenires. Hic igitur (nam accedo ad aratoris dictum) bene pileatus, ocreatuſque Cantaber inter venandum dum aprum equo inſidens auidiùs inſectatur, ita ſe in ſyluas ſaltuſque induit, vt iam longè relictus à ſuis, viarum ignarus atque inſolens hâc atque illâc erraret. Fortè illum ruſticus non procul aſpexit, ſed equum per ſyluas vagum ratus, de ſeſſore diu dubitauit: cùm famuli ſollicitè anxiéque erraticum dominum quæritantes aratorem offendunt, ſciſcitanturque ex eo, Comitémne viderit? ille ſubridens, Vidi, inquit, illâc paulo antè prætereuntē equum. At Comitem? inſtant illi. Comitis, inquit, nihil: par ego quidem ocrearum in ephippio equi tranſuerſum, ac peramplum im medio pileum vidi, Comitem verò iſtum, quod ſciam, non vidi. Aſſerentibus illis, inter ea dominum latere; Atqui, reſpondit, de homine vos loqui exiſtimabam, non de fungo, quo illi dicto exhilarati, ocrearum indicio ad errabundum dominum peruenerunt. Sed ego à Plauto ſcilicet aberraui, dum fungos lego. redeo ad Poëtam.

Cantabri error.

Ruſtici dictum.

Hæc porrò verborum ſupellex quàm non curta eſt, quàm varia, quàm copioſa. Seruos verberibus dignos (libet ex vno exemplum petere) quot modis interpretatur expolitque? *Verbero, verberabiliſſimum caput, plagigerum genus hominum, gymnaſium flagri, ſtimulorum tritor, carnificinum cribrum, tribunus vapularis: pectam te pugnis: monumentis te commonefaciam bubulis: vlmea*

Varietas in Plautinis verbis.

Verberādi vox quot modis expoſita à Plauto.

mea catapultæ tuum hodie transfigent latus : ego faciam tua latera lorea : virginis loriſque variaberis: ita te hinc ornatum emittam , tu ipſe vt te non noneris:in te irruent montes mali : mali meſſem metes : virgis dorſum deſpoliabo tuum : ego te faciam pilum catapultarium : quaſi in libro cùm ſcribuntur calamò littera , ſtylis te totum vlmeis conſcribam : vt myrtheta iuncis ; item ego te virgis circumuinciam : caueſis ne bubuli in te cottabi crebri crepent:ni offerrumentas plures habebis in tergo tuo quàm vlla nauis longa clauos , tunc ego ero mendaciſſimus : virgis te vſque ad ſaturitatem ſauciabo : tibi meſſis fiet in ore mergis pugneis : faciam vt hinc te formicæ fruſtillatim differant : caſtigabò bubulis exuuiis : tibi vlmeam vberem eſſe ſpera virgidemiam , eueturámque hoc anno vberem meſſem mali : parata ſunt iam ſcapulis ſymbolæ : væ illis virgis , quæ in tergo morientur tuo : ſexcentoplago nomen indetur tibi : vlmorum Acheruns (quaſi verò ſicut Acheron animarum vorago eſt , ita tergus virgarum diſſipatio ac mors ſit.an ad Acheruſion,quod eſſe omne ſatum ſyluoſum arbuſtiuúmque ex Ariſtotele aliqui docent,alluditur?) *tuum pulchrè corium pingam* Cæl. Rhod. li. 10.c.8. *pigmentis vlmeis : ita ego iſta latera loris faciam validè vt varia ſint , vt ne periſtromata quidem æquè picta ſint Campanica ; neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia : ſtatuam te vbi viuos homines mortui incurſant boues : meus eſt baliſta pugnus,cubitus catapulta eſt mihi, humerus aries , tum genu vt quemque icero , ad terram dabo , dentilegos omnes mortales faciam , vt quemque offendero.* Sed ego ire diem video , dum formas enumero , quibus Poëta commentatus eſt plagoſum hoc nego-

tium,cui,vt opinor, ipſe in piſtrino molas agens nimio crebriùs aſſueuerat. Illud leuiculum, ſed additamenti loco haud ingratum fortaſſe fuerit alicui ex Rhetoribus meis, quòd Plautus cùm fermè ante duas ſeculorum decadas tam procul à noſtra memoria moribuſque vixerit, tamẽ adeò expreſſam in illo orationem moréſque noſtrorũ temporum agnoſcimus,vt inter cæteros ſcriptores vnus interdum Italiciſſare videatur. Videte, obſecro vos, quantùm hæc ſapiunt idiotiſmum noſtrum,ſiue ſententias malitis, ſiue verba. *Vterus eſt ſolarium omnium optimum & veriſſimum: Vocem te ad cœnam, niſi cœnem foris: Meam culpam habeto,ni te probè excruciauero: Mores mali quaſi herba irrigua ſuccreſcunt vberrimè: Verecundari neminem apud menſam decet: Me intus expleui probè, & quidem reliqui in ventre cella vni locum, vbi reliquiarum reliquias reconderem: Urna hac litterata eſt,ab ſe cantat, cuia ſit: Tax tax tergo meo erit: Etiamſi ſupplicaſſis, moriri certum eſt: Si poteſſis tacere; nolo murmurillum: Homo malus, ebriacúſque es: Quantùm eſt mihi cordolium: Non curo minacias tuas: Hic opus eſt vt pappet,baba,tata,papa*; aliáque ſexcenta,quæ Plautus homo priſci æui tanto ante nos,quaſi nobiſcum ita loquitur,vt iam tunc Italici ſermonis lineamenta duxiſſe videatur. Dixi de verbis,quod primo loco pollicitus ſum.Quorum in vſu vnum neceſſe habeo admonere adoleſcentes, ne licere ſibi arbitrentur Plautinas vbique voces vſurpare. ſunt apud illum innouata non pauca: ſunt multa ad riſum excitandum compoſita, quæ ineptè quis ad ſeria conuertat; vt is, qui pro eo,in quo ſumus, ieiunij magni tẽpore,

Italorum oratio Plautinæ ſimilis.

Cautio in vſu Plautinarum vocum.

pore, Plautinè dixit Eſuriales ferias. ſunt aliqua perantiqua ac fermè deſita, cum quibus idem agendum eſt,atque cum veterum vaſis ac ſigillis, quæ domi habere ſolent ad ornatum locupletes atque elegantes viri, non depromere ad quotidianam ſupellectilem,atque deterere.

Sententiæ Plautinæ.

Iam verò animũ,Auditores, cogitationémque conuertite, ſi placet,à verbis ad SENTENTIAS, quæ Plautinis in fabulis,neſcio quo ſapore leporéque concinnatæ, haud ſcias vtrùm mellis plus obtineant an aculei. Harum dum ego delectum non habeo, ſed veluti tumultuarias copias, vt quæque ſeſe offerunt, in aciem educo: vos, Rhetores, ex his pauciſſimis, de reliquis omnibus in eadem officina conflatis coniecturam facite. Agite igitur,& de conditione in qua ſunt hodie non pauci mortalium,Plautum ingenioſè conquerentem audite.

Ita ſunt omnes noſtri ciues, SI QVID bene
Facias, leuior pluma gratia eſt:
Si quid peccatum eſt,plumbeas iras gerunt.

In homines ingratos & memores iniuriarum.

Nempe plumbeo plerũque ſunt obtuſóque & iacente animo ij, qui rebus omnibus,prætérquàm iniuriis,indormiunt. At contrà euenire par erat. Gratia hærere debuit in animo ſtabilis,non qualibet offenſionis aura inſtar plumæ commoueri, aut etiam auolare, atque euaneſcere: iniuria verò & contumelia ægrè in pectus deſcendere admittíve, admiſſa non pertinaciter inſidere, & plumbo grauior immobilíórque conſiſtere. Sanè Pompeio Magno non magis laudi datum lego, quòd tribus ampliſſimis triumphis tres orbis terrarum partes complexus ſit, quàm quòd eſſet,

Pompei Magni laus.

lib.2.hiſt. vt Paterculus ſcribit, *amicitiarum tenax, in offenſis exorabilis, in accipienda ſatisfactione facillimus.*

Addite hoc ad vini notam inſectationémque:

Vini reprehenſio.

MAGNVM hoc vitium vino eſt, pedes
Captat primùm, luctator doloſus eſt.

Seneca paulo ſeueriùs, & vt Philoſophus aliquã-tò etiam veriùs, animum dixit priùs à vino tentari, quàm pedes. *Sicuti*, inquit, *in vino non antè lingua pedéſque titubant, quàm mens oneri ceſſit, & inclinata vel prodita ea, ita iſta oratio* (Mæcenatis orationem carpit mollem, atque eneruatam) *nulli moleſta eſt, niſi animus labat.* Epiſt.114.

Virg. 4. Geor.

——Rege incolumi mens omnibus vna eſt,
Amiſſo rupêre fidem.——

Rex noſter animus eſt, cùm hic vacillat, nutant omnia. & ante Senecam Horatius, pedum inſtabilium motus in ebrij capitis trepidatione referes,

Sat.1. li.2.

——Salta (inquit) *Milonius, vt ſemel icto*
Acceſſit feruor capiti, numerúſque lucernis.

In magniloquos abſque re.

Hoc verò quanti eſt in homines argutulos, ſed inſtrenuos, & lingua quàm manu promptiores?

SINE virtute argutum ciuem mihi habeam pro Præfica,
Quæ alios collaudat, ſeſe verò non poteſt.

Nempe, vt idem alibi loquitur, THESAVRVS ſtultis in lingua eſt ſitus. Neque hoc minoris eſt:

Nauis & mulier.

NEGOTII ſibi qui volet vim comparare, nauem & mulierem,
Hæc duo ſibi comparato.

Neque hoc etiam:

Exempli vis.

VIAM qui neſcit qua deueniat ad mare,
Eum oportet amnem quærere comitem ſibi.

Ex quo aliquis deducit:

Ego

Ego malè dicendi vobis neſciui viam,
Nunc vos mihi amnes eſtis:vos certum eſt ſequi.
Si bene dicetis,veſtra ripa vos ſequar:
Si malè dicetis,veſtro gradiar limite.

Illud autem oraculum putate.

I D optimum eſt, tute vt ſis optimus, id ſi nequi-ueris, Probitatis gradus.
Saltem vt optimis ſis proximus.

Cui hoc adiungite ab eodem Apolline;

NIHIL eſt miſerius, quàm animus hominis con-ſcius. Cõſcientia.

ſemper videlicet timidum eſt ſcelus: &, ſi tortores deſint alij, ipſe ſibi animus tortor eſt, & vt ait ille,

———prima hac eſt vltio,quòd SE Iuuen. Sat. 13.
IVDICE, nemo nocens abſoluitur.———

At verò de breui hominum felicitate quàm verè dictum! Breuis hominum felicitas.

Quaſi ſolſtitialis herba pauliſper fui:
Repentè exortus ſum, repentinò occidi.

Quid illud? quàm bene, quamquam ab auaro ſordidóque prolatum? quod tamen huiuſmodi eſt, vt in eos nepotulos perpulchrè cadat, quos aliquando videmus magna famulorum, veſtiúmque pompa, & cœnis quàm lautiſſimis planéque triumphalibus per aliquot dies Regem agere: deficiente mox cenſu excuſſáque crumena, ad ſuos ſe pagos, ſi qui ſuperſunt, villáſque recipere, vbi tanquam remiſſo pompis humanis nuncio, in mera ſolitudine, inopiáque philoſophari coguntur. Huic malo ſic Plautinus occurrit ſenex. In prodigos.

FESTO die ſi quid prodegeris,
Profeſto egere liceat, niſi peperceris.

Iam

Iam quotidianas hominum vices,quas diuina Sapientia conſulens rebus humanis iuſto ſemper, at arcano plerunque nobis conſilio vel facit, vel permittit, vnico verbo ante oculos poſitas videte.

Rerū vices. *DII nos quaſi pilas homines habent.*

Nimirum

Ludit in humanis diuina potentia rebus.

Ouid 4. de Pon. El.3. Fortunæ ac fati nomen.

Quo nomine Heluius Pertinax Imper.vtramque fortunæ paginam planiſſimè expertus, FORTVNÆ pila palàm appellatus eſt: hiſce enim Fortunæ, Fatíque nominibus tanquam Numinibus olim veteres illam vim & rationem prudentiæ ſummæ, quæ mentis humanæ aciem fugit, explicabant. Sed nulli mortalium hæc appellatio veriùs data,quàm Caio Mario.vt ſane ſi mihi viciſſitudinis humanæ conformandum eſſet exemplar,Marium ego commentarer vnum,noſtræque argumentum mortalitatis in ſcenam producerē. Vultis ſingulos Marianæ vitæ Actus percurrā,ex iiſque quaſi fabulam;quid enim eſt hominis vita paucis contexam?faciam.Arpinum, Roma, Minturnæ, Carthago, iterum Roma Actuum diſcrimina mihi ſunto: Fabulæ nomen eſto MARIVS, ſiue Fortunæ pila. Ergo quod mihi vobíſque, Quirites,vertat bene,fauete linguis,atque adeſte auritis animis.

Marius Tragicæ veluti Fabulæ argumentum.

Marius Arpinatium honoribus impar habitus,diu honores Romæ ſperare, atque enixè petere auſus,patientia repulſarum irrupit magis in Curiā, quàm venit. etenim nulla in honorū petitione notam aliquam non expertus, ſemper vltimo in loco ſtetit,illuſus,derididiculo habitus, bis

Primus. Actus.

vno

vno die repulſam paſſus(id quod nulli vnquam contigerat) ambitus accuſatus,capite penè damnatus Arpinum redit.Libet Actum, choro intercinente,ſubſiſtere. Princip. improſpera.

O fortuna viris inuida fortibus, Seneca in Hercule fur. ch.2.
Vt non æqua bonis præmia diuidis.
Fortuna immeritos tollis honoribus,
Fortuna innocuos cladibus afficis.
Iuſtos ipſa viros pauperie grauas, Virg. in opuſc.
Indignos eadem diuitiis beas.

Sed iam Romam ad Marij decora contemplanda mecum redite.Ex illo Mario tam humili Arpinate,Romæque tam ignobili ac reiiculo candidato, ille Marius euaſit, qui Carthaginem diuicit, qui Africam ſubegit,qui Regem Iugurtham egit ante currum, qui Theutonicorum, Cimbrorúmque exercitus, hoc eſt,trecenta bellatorum millia deleuit, qui ſextum Conſulatum ſumma Fortunæ incitatione geſſit, qui Populo Romano acclamante TERTIVS Romæ conditor appellatus eſt. En vt tandem Secundus Actus. Progreſſus rerum geſtarum feliciſſimi. Hor.lib.3. od. 2.

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ
Intaminatis fulget honoribus?
Virtus recludens immeritis mori
Cælum,negata tentat iter via.

Verùm transferte hinc animum Minturnas, & Fabulæ Cataſtrophem conſiderate. Hic Marius occupante Romam Sylla profugiens,ad Circeum delatus,in littus expoſitus, proditus deſertúſque à nautis,dumin magna ſolitudine,rerúmque inopia,fame penè periit;à ruſticano ſene,cuius ad pedes ſupplex ac lacrymans acciderat Marius, Marius inquam, Tertius Actus. Calamitates.

Ille

Digitized by Google

Ouid. 4. de Pon. El. 3.

Ille Iugurthino clarus Cimbróque triumpho,
Quo victrix toties Conſule Roma fuit,

in tugurio primùm excipitur, mox in paludem immiſſus, calamis & virgultis bis occultatur: demum inde extractus ab hoſtibus nudus cœnóque oppletus, ad Minturnenſes abreptus, carcere apud eos, ac pædore conficitur. Itáne verò?

Lucan. lib. 2.

Cùm poſt Teutonicos victor, Libycoſque triumphos,
Exul limoſa Marius caput abdidit vlua;
Stagna auidi texêre ſoli, laxæque paludes
Depoſitum, Fortuna, tuum: mox vincula ferri
Exedêre ſenem, longúſque in carcere pædor.

Et parũ ſcilicet hoc erat. Mittitur in conclaue, vbi Marius ſeruabatur, à Minturnenſibus percuſſor, Gallus an Cimber? Fuerit Cimber, vt memoria reportatæ à Cimbris victoriæ augeret morituro Mario dolorem. Sed deponite, qui vos fortè inuaſit exanimauítque metum. Marium Superi tegunt. Etenim dum Cimber furore percitus cubiculum ingreditur intimum, ac obſcurum; fama eſt ingentem repente flammam ex oculis Marij prodeuntem ſatelliti viſam eſſe, vocémque inſuper redditam. TVNE homo C. Marium occidere audes? Cõfeſtim igitur proripuit ſe inde barbarus, abiectóque ferro, tota inclamare Vrbe cœpit; NON poſſum C. Marium interficere. Hinc ſtupor, ac religio primùm, tum miſeratio fortunatiſſimi quondam ſenis, deníque ſententiæ pœnitentia omnes inceſſit. Nimirùm

Mirum facinus.

Senec. in Thy. ch. 3.

NVLLA ſors longa eſt: dolor, & voluptas
Inuicem cedunt, breuior voluptas.
Ima permutat breuis hora ſummis.
Nemo confidat nimium ſecundis:

Nemo

Nemo deſperet meliora lapſis:
Miſcet hæc illis,prohibétque Cloto:
Stare Fortunam: rotat omne Fatum.
NEMO tam Diuos habuit fauentes,
Craſtinum vt poſſit ſibi polliceri.
Res Deus noſtras celeri citatas
Turbine verſat.

Ergo Marius è cuſtodia lætus emittitur, euolutúſque ingenti periculo,nauim cóſcendit,& Carthaginem tempeſtate defertur: qua in Vrbe mutata rurſum fortunæ facie luctuoſus vos fabulæ Actus, Quirites, expectat. Nam egredienti Mario è naui ecce lictor à Sextilio Africæ Prætore, qui Mario Africam ne attingat interdicit; ni pareat, mortem minatur. Hîc Marius præ dolore obmutuit:rogatúſque à ſatellite, quid Prætori reſponderet; Age, inquit,nuncia te C.Marium in Carthaginis ruinis conſpexiſſe ſedétem,ſedentem autem? quid ſi paulo pòſt etiam panem oſtiatim Carthagine emendicantem conſpexiſſes? Equidem non poſſum hîc tantiſper non commoueri, Auditores, rémque Tragica planè comploratione lamentari:dum mihi ſeſe ob oculos offert Marius florentiſſimus olim Imperator, regionum Regumque victor, Pater Patriæ, Vrbis conditor, Italiæ conſeruator, omnia vnus adeptus; nunc verò in ſumma ſenectute exul ac vagus à Patria toties ſeruata, vndique excluſus, vbique proditus deſertuſque, eò demum inopiæ ac miſeriarum redactus, vt Carthagine à ſe paulo antè fortiter expugnata,homo id ætatis,id potentiæ, homo quantùm hominum fuit feliciſſimus, victum ſibi palàm quæritaret, compellarétque

Quartus Actus.

Marij reſponſum.

Cum proſperis aduerſa collata.

rétque prætereuntes, VT Mario gentium, quondam victori fruſtum panis ad vitam ſuſtentandam præberent. Huccine ergo; Mari, victoriæ ac triumphi tui reciderunt? ad hoc te iſta adorati mundo capitis canities, iſta viuax, & verò digna, quæ viueret, ſenecta reſeruauit, vt hoſtilem in terram fortuna delatus, in ea, quam olim victor peragraueras, regione, omnium ludibrio læſus, emendicato ab hoſtibus victu vitam indigniſſimè concluderes? Vbi illa viri maieſtas, hoſtium ille terror, vbi Romæ plauſus & gratulatio, vbi captiuorum pompa, vrbium ſpolia, orbis terrarum Imperium?

Commiſeratio.

Iuuenal. Sat. 10.

Exilium, & carcer, Minturnarúmque paludes,
Et mendicatus victa Carthagine panis
Hinc cauſas habuêre. Quid illo ciue tuliſſet
Natura in terris, quid Roma beatius vnquam,
Si circumducto captiuorum agmine, & omni
Bellorum pompa, animam exhalaſſet opimam,
Si de Theutonico vellet deſcendere curru?

Sed habuit nimirum Marius prope Carthaginem ſedens; quo ſe modo illarum ruinarum aſpectu conſolaretur, & Carthago habuit vnde leniret apud Marium fatum ſuum: NEC minus ſedentis Marij, quàm iacentis Carthaginis excidium erat. nempe ſi Marius

Lucan. l. 2.

——— *pelago delatus iniquo*
Hoſtilem in terram, vacuiſque mapalibus actus,
Nuda triumphati iacuit per Regna Iugurthæ,
Et Pœnos preſſit cineres: ſolatia fati
Carthago Mariúſque tulit, paritérque iacentes
Ignouêre Deis. ———

Et quo igitur vnquã loco licuit veriùs exclamare,

Quam

Quanti caſus humana rotant? — Senec.in Hip.ch.4. Idem in Agam. ch. 1.
MINVS in paruis Fortuna furit,
Leuiúſque ferit leuiora Deus.
Vela ſecundis inflata notis
Ventos nimiùm timuêre ſuos.
Nubibus ipſis inſerta caput
Turris, pluuio vapulat auſtro.
CORPORA morbis maiora patent.
Et cùm in paſtus armenta vagos
Vilia currant, PLACET in vulnus
Maxima ceruix. Quidquid in altum
Fortuna tulit, ruitura leuat.

Quint. Actus.

Verùm quis credat? nondum Marius planè periit. ex iſto homine iam depoſito, iam ſæpe defleto, ex iſto penè ſepulto hominis cadauere neſcio quid ſupereſt adhuc Marij. Sic eſt. bene habet, Quirites: faciem fortuna Mario refert. En ille ex Africa in Italiam redit, collectóque tumultuario milite, & quadraginta nauibus inſtructis, Proconſul à Cinna Conſule ſalutatur, Vrbem Romam victor ingreditur, ſeptimùm Conſul (quod ante ipſum mortalium nemini contigerat) creatur, in Patria, amicorum inter manus, decimo ſeptimo Conſulatus ſui die, opibus congeſtis, quæ multis Regibus ſuffeciſſent, plenus honorum pariter atque ærumnarum tandem aliquando moritur.

Marij & fabulæ finis.

Ille fuit vitæ Mario modus, omnia paſſo — Lucan. lib. 2.
Quæ peior fortuna poteſt, atque omnibus vſo
Quæ melior, menſóque homini quid fata pararent.

Vt meritò claudere fabulam liceat, exclamaréque cum Plauto.

DII nos quaſi pilas homines habent.

Hactenus de verbis, atque ſententiis. Ex quarum laudibus eſſet fortaſſe nonnihil, quod exciperem, minúſque commendarem, ſi per omnes Plauti fabulas irem, eſſet, quod alij frigidè, alij intempeſtiuè dictum arbitrarentur. Sed hæc neque tempus, neque perſona, quam ſuſtineo, laudatoris admittunt: quin etiam cùm ex quatuor initio propoſitis, par alterum ſuperſit; Decorum à Plauto ſeruatum, & præcepta ad vitam in hominum conſuetudine degendam ſubminiſtrata, differre placet vobis ita ſentientibus, Præſules Reuerendiſſimi, in alium diem: vt hæc dilatio & vobis continuum audiendi laborem minuat, & mihi ad gratias, quas indecorum eſſet in præſentia extemporarias agi, cum otio meditandas, rationem fortaſſe aliquam, copiámque ſufficiat. Vos interim valete, Rhetores, & Plauto, ſi quid placui, plauſum date.

PRÆ

PRAELECTIO TERTIA.

Plautina Secunda.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SIVE

Virtutes reliquæ Comici Poëtæ ad Plauti quoque commendationem abſolutæ.

DE Accio Plauto Comœdiarum ſcriptore feſtiuiſſimo iterum dicimus, (Viri & nobilitate, & ſapientia clariſſimi) ſed non eadem gratiâ hæc addimus, qua prima dedimus. Plautinam tunc elegantiam ac ſales ſecunda eorum, qui me audiebant, admurmuratione plauſúque perſequutus ſum: nunc eiuſdem Poëtæ luſus ac ioca modeſtiæ fines prætergreſſa excuſare cogor planè reorum more. Iamdudum eſt, cùm ego ex hoc loco de Plauto vt dicerem, aliquis me è veſtro ordine, Præſules, inuitauit. parui ſtatim viro de me meíſque, ſi quæ ſunt, litteris humaniſſimè ſentienti. diſputationem inſtitui, Comicorum virtutes collegi, Plautum, quoniam honoris eum causâ commentabar, in cælum tuli. Sed ex ea diſputatione (quam inchoatam non tum abſolui) dum reliquias more meo moror ac differo, in ipſa cunctatione circumegit ſe annus, incidítque interea Satyram ſcribẽti dicentíque mihi mẽtio de Plauto, qui in Senatu Poëtarum ita ſe cũ Ennio, Statióque procaciter ac ridiculè geſſit, vt cenſoria nota ſubmouendus fuerit à Senatu, & auditorum etiam odia, quorum hîc nonnullos intueor,

Occaſio Plautinæ prælect.

In Momo.

inuidiámque ſubierit. Quæ me res impulit, vt quæ mihi ſuperfuerant dicenda pro Plauto maturarem aliquando, ſi fortè hominem è Poëtarum choro gradúque miſerè deiectum cum Poëtis ac vobiſcum in gratiam reuocarem. Quare cùm duo ſint, quæ me in Plauti commendationem laudéſque compellant hodierna die, & Præſulis amiciſſimi rogatus, & Poëtæ lepidiſſimi calamitas; nemini veſtrûm (Rhetores) mirum videatur, ſi ſuſcepta & patroni & amici perſona, Plauti virtutes, relictis, ſi quæ ad virtutes adhæsêre labeculis, vnicè conſectabor. Ergo omittam in præſentia honorifica de Plauto ſuffragia multa multorum, neq; Plautum cæteris anteponam ob dicendi genus, quod in eo continenter eſt, acre, viuidum, peracutum, plenum animæ ac ſpiritus. Non reducam vobis in memoriam dictionis varietatem & copiam, qua vnam eandémque rem modò latè ac fusè, modò carptim ac definitè, hîc otiosè atque cunctanter, ibi curſim ac intra modum, nunc in receſſu, nunc in fronte, diſſimulanter, obliquè, propalàm, ſeriò, iocò, ſexcentis modis quaſi vnum hiſtrionem variè perſonatum ſæpiùs educit, eundémque multiplicat in ſcena. Neque vos ad ſententiarum vim, momentúmque, aut ad ſales ac facetias traducam, quibus conſperſæ affatim Comœdiæ, cinctutum quemque ac triſtem facilè diſſoluant, atq; à mœſtitia ipſa riſum impetrent. Nihil horum, de quibus abundè diſſerui in priore diſputatione, hodierna die in Plauto magnifaciam: ſed duo mihi in præſentia erunt egregia, quorum alterum difficillimum eſt Comœdiam ſcribenti, alterum audienti.

Vis in Plautinis verbis.

Et varietas.

Et ſententiæ & ſales.

dienti ſaluberrimum; DECORVM, inquam, perſonarum, & PRÆCEPTA vitæ in vtraque fortuna traducendæ. Vtrumque autem quanta cum laude Plautus complexus ſit, paucis (quoniam vtrumque ſupereſt ex iis quatuor capitibus, quæ olim ſum pollicitus) pro veſtra beneuolentia, qua toties mihi adfuiſtis, accipite. Materies huius prę-lect.

Atque in DECORO quidem perſonarum, quocum eſt coniuncta oratio morata (qua nihil ſcriptores experiuntur in vniuerſa dicendi facultate difficiliùs) mirus hic homo eſt hominum, ac morum faber. Non ibo per ſingulas claſſes, ſiue SENIS rugoſi paſsíque, ſelicernij, acheruntici, ſuſpicioſi, ſibi ab vnoquoque præcauentis, omnia ſecus interpretantis, nihil vehementer concupiſcentis, cuncta perfrigidè tractantis, & ſola febre calentis. ſiue SERVI ſubdoli, vafri, verſipellis, ſcitioris quàm eſt plebiſcitum, verſutioris quàm eſt rota figularis: technas ac dolos tacitè ferentis, ac ſe artificem fraudis ſepiarum inſtar, atramenti effuſione occultantis: ingenio tanquam cultro vtentis, quo hominum exenteret marſupia: inſidias veluti Troianum equum fabricâtis, quo non in Arcem, ſed in arcam faciat impetum: furis, trifuris, crumenicidæ, cum ſenis manibus genere Geryonaceo, quem ſi Argus ſeruet, qui oculeus totus fuit, is nunquam ſeruet. ſiue BELLATORIS magnifici, & gloriarum pleni, qui rerum quæ ſunt, quæque non ſunt, centones farciat, qui ſe hâc atque illâc quaſi pompam pancraticè atque athleticè præterducat: qui ſe omnibus faciat ferocem, nullíque niſi vulnera ac cædem debeat: qui ſe vrbicapum, Martis nepotem, Decorum in Plautinis Comœdiis. Senex. Seruus. Bellator.

Regúmque occiſorem dici velit: qui machæram futura hoſtium ſtrage conſoletur: qui hominum animas exorbeat, legiones hoſtiles aſpectu territet, occurſu fuget, ſpiritu difflet quaſi vetus folia.

Auari deſcriptio.

His ſilentio prætermiſſis, hominem ILLIBERALEM, perparcè parcum, auarum, ſordidum, rapacem, hiulcum, miluinis & aquilinis vngulis, animaduertite, Auditores, quàm graphicè ponit ob oculos, & conquiſitis vitiorum ſordibus, quæ in hoc hominum genus confluunt, quàm appoſitè monſtrum concinnat non ſine riſu atq; indignatione exſibilandum. Primùm perpetuus eſt pecuniolæ ſuæ cuſtos, veluti ſacrorũ æditũus:

Peruigilat noctes totas, tum autem interdius
Quaſi claudus ſutor domi ſedet totos dies.

Ad hæc inhumanus ipſe ad inhumanitatem ſeruos informat.

Inhumanitas auaritiæ propria.

Caue quemquam alienum in ædes intromiſeris.
Quòd ſi quiſquam ignem quærat, extingui volo,
Ne cauſa quid ſit, quòd te quiſquam quæritet:
Nam ſi ignis viuet, tu extinguere extemplò.
Tum aquam aufugiſſe dicito, ſi quis petat.
Cultrum, ſecurim, piſtillum, mortarium,
(Quæ vtenda vaſa ſemper vicini rogant)
Fures veniſſe, atque abſtuliſſe dicito.
Profectò in ædes meas, me abſente, neminem
Volo intromitti: atque etiam hoc prædico tibi,
Si bona fortuna veniat, ne intromiſeris.

Inhumanus enimuerò dominus, & odioſus adeò monitor, vt famulos cogat etiam ad ſuſpendium. certè anus illa, vt auari intemperias heri effugeret, de tumultuario mortis genere ſecum deliberare cœpit.

Neque

——neque quidquam melius, inquit, *eſt mihi*
Vt opinor, quàm ex me vt vnam faciam litteram
Longam, mi laqueo collum quando obſtrinxero.

Sed reſiſte hîc paulùm (ſic enim audire mihi videor ex auditoribus non neminem) quænam LITTERA hæc LONGA eſt, quam faciunt ij, qui ſe ſuſpendunt tantiſper (vt alius Plautinus quoque ſeruus loquitur) donec tranſeat ægrimonia? Dicam: nec verebor, ne mihi prælegenti, varietatémque aduersùs faſtidium captanti, vitio dentur huiuſmodi parerga. Sunt, qui nullam certam litteram deſignari putent, ſed characteres ſolito grandiores atque palmares, vt poſſint ab omnibus procul legi. ita par eruditorum nobile Dion. Lambinus, & Andreas Turnebus. Sunt, qui non diſſimili ratione litteras interpretentur, quæ nominibus præponi ſolent, & capitales appellantur. Alij, in quibus nomen profitetur ſuum Ioſeph Caſtilionius, litteram L, alij Græcum Λ, alij T eſſe Plauto litteram longam arbitrantur. Sed primos acriter inſectatur Iuſtus Lipſius tanquam oblitos Romanorum moris, apud quos olim minuſculæ, quibus nunc vtimur, vſurpatæ nō fruêre notæ. Sed immeritò eos carpit, mea quidē ſententia. neque enim ignorauerunt illi, vnum Quiritibus fuiſſe ſcribēdi genus: ſed cùm ſcirēt illud potuiſſe aut produci grandibus & maximis litteris, vt ait Cicero, & cubitum longis, vt ludit Plautus aut minutis litterulis, vt loquitur idem Tullius; exiſtimarunt, Plautinum iocum ad aliquam ex litteris cubitalibus eſſe referendum. Potiùs conuicio Lipſiano vapulare debuerant ſecundi, qui longam Plauti litteram, primū in vnaquaque ſen-

Diſputatio de Plautina littera longa.

Quid de ea alij ſentiant.

In Aul. Plau. lib. 24. c. 32.

lib. 2. c. 9.

De rect. pron. c. 8.

tentia characterem, & veluti ductorem elementarij agminis interpretantur. Nec minùs aberrant, qui ad L, confugiunt: cum figuram huius litteræ non magis pedibus exprimant qui pendent, quàm qui ſuis humi veſtigiis inſiſtunt. nam qui ad flexum obſtipúmque collum id fortè referrent, inuertere deberent elementum. Addite, quòd iſti imperitè ſentiunt, L, ſicut apud nos, ita apud Veteres fuiſſe cæteris longiorem: ſiquidem, vti dicebam, litteræ olim Romanis quadratæ, ac pares erant. Nec mihi ſententiam ſuam ſatis probant, qui hominem pendentem diuaricatis cruribus, cum Λ comparant, quaſi eadem vtriúſque figura ſit: hi enim non videntur inter hominis partes enumerare caput & pectus, quas partes in Λ non reperiunt. Doctius interpretamentum eſt Cœlij Rhodigini, qui ad elementum T, Plautinas ambages ait referri oportere: quia qui pendet, eius planè litteræ reddit imaginem: pendulum enim libratúmque corpus lineam à ſummo ad imum productam exprimit, tignum verò aut trabs, ex qua laqueus demittitur, tranſuerſum litteræ ductum fingere videtur. Atque hinc eſt, quòd in iudicio vocalium Lucianus facetè inducit Σ obloquentem aduersùs T litteram furacem, ac dignam, quæ ſupplicium in ſua figura ſuſtineat, atque in crucem ac furcas, quas ipſa exprimit, extollatur. Sed hæc quamquam erudita, non tamen oſtendunt T litteram eſſe longam, eminentémque, quod ad Plauti iocum explicandum neceſſarium erat. Quare longè iis, quos adhuc nominaui, perſpicaciùs homo omnium oculatiſſimus I. Cæſar Scaliger (à quo

lib. 10. cap. 8.

lib. 1. de cauſ. lin. Lat. c. 4.

quo mutuatus idem videtur Iuſtus Lipſius) vnum vidit inter elementa characterem cæteris proceriorem, ac pendentis ſtaturæ accommodatum, I litteram loquor, quæ ex gemino II ſæpè ab Veteribus contrahebatur in vnum, ac ſupra cętcros apices litterarum extendebatur. vt graphicè quidem videatur referre eum, qui ſe ipſo productior oblongiórque fit, dum rectus pendet. Verùm quamuis hæc ita ſe habeant, ingenioſéque dicta ſint omnia; tamen ex animo nunquam meo auelli potuit iniecta pridem ſuſpicio inſignioris alicuius mendi, quo locus ille vitiatus fruſtra viros doctiſſimos in iſtæc diſſidia velitationéſque diſtulerit: donec me, è veſtro eruditorum numero, Auditores, ſed qui mihi ex omni numero eximius ſemper fuit, Hieronymus Aleander coniectura in hunc locum ſua mirificè confirmauit. Etenim hic, quòd præter alia indecorum ei videretur, anum & ſeruam argutari de re litteraria, litteratíſque tantùm viris cognita, imò (vt Taubmannus hîc ait) ne ductis quidem omnibus; admonuit me, quem in Plautina illa littera hærentem animaduerterat, vt viderem, nunquid aliò transferri poſſet Plauti iocus, & alterutro ex his modis legi. aut,

Noua huius loci interpretatio.

In Plaut.

——neque quidquam melius eſt mihi,
Vt opinor, quàm ex me vt VVAM faciã LINEA
LONGA, mi laqueo collum quando obſtrinxero.

ſic enim non modò perſonæ decorum ſeruatur, ſiquidem muliercularum potiùs eſt, vuam ad domeſticos vſus filo ſuſpendere, quàm litteras facere; ſed etiam ad nomẽ σαφυλὴ, hoc eſt, *vua*, quo nomine anus illa vocabatur, alluditur. id quod inſo-

lẽs Plauto nõ eſſe ex nominis ſignificatione iocũ captanti,quis ignorat? aut (quoniam *litteram*, & *longum* conſtantiſſimè legitur,hoc in libris manu exaratis,illud vbique)minore litterarũ varietate›

——neque quidquam melius eſt mihi,
Vt opinor,quàm ex me vt V V A M faciam A D
L I T T E R A M,
Longum mi laqueo collum quando obſtrinxero.

Nempe ad litteram , & nominis ſui ſimilitudinem Staphyla ſe vuam faceret, ſi ſe pẽdulam demitteret.Quæ viri eruditiſſimi coniectura,quam mecum ille dubitando potiùs, quàm certi quidquam aſſerendo communicauit, vt ſimillima vero videatur mihi, faciunt profectò, tum quòd ea locutio ab vna ad ſuſpendium tranſlata planè Plautina eſt. ſic enim ipſe alibi : cùm adoleſcens ſeruum alloquens dixiſſet,

In Pœn. Act.1.ſc. 2.

Auſculta mihi modò,ac ſuſpende te;

reſpondentem audit ſeruum,

Si quidem tu es mecũ futurus pro vua paſſa penſilis.

tùm quòd longam lineam lego in hanc ſententiam eandem apud Columell. dum , *ligato pede*, inquit , *longa linea, gallina cuſtoditur.* tum demum quòd fili flexus circa racemi caput,ac nodi complicatio , vuæque demiſſo multo meliùs rem ipſam obiicit oculis , quàm cuiuſlibet litteræ conformatio. Sed de quæſtione hac ſuſpendiaria, in qua ſex ſeptémve de littera vna ſententias recenſuimus,dictum ſatis. Reuertor ad Plautinas auari hominis notas. Solertiſſimus ille porrò eſt, & conficiendæ pecuniæ articulos nouit omnes. In re aliena ad ſe corriuanda O r c v s eſt, ac vultur, qui cadauer expectet : at in re ſua elargienda,

gienda, PVMEX non æquè eſt aridus. Cuſtodia rerum ridicula.

Rem ſuam periiſſe, ſeque eradicarier,
Et Diuûm atque hominum clamat continuò fidem,
De ſuo tigillo fumus ſi quà exit foras.

Quinetiam cùm it dormitum, follem quo excitare igniculum ſolet, obſtringit ob gulam, ne quid animæ amittat: aquam plorat, cùm lauat, profundere: quin ei pridem tonſor vngues demiſerat, collegit, & omnia abſtulit præſegmina: quid verbis opus eſt? AB HOC homine famem vtendam ſi roges, nunquam dabit. Denique meticuloſus, ſollicitus, ſuſpicioſus, obſeruari ab omnibus putat, quo pecuniam loco cõditam habeat; ideóq; exoculatos homines vellet, quibus veretur oculos eſſe in occipitio. At dolo ablata ereptáque pecunia, hic enimuerò miris actus intemperiis, ac de mentis ſanitate deiectus incurrit in obuium quéque, de theſauro interrogat, pallium excutit, ſcrutatur inter tunicas, manum dexteram, ſiniſtram, tertiam expoſcit, implorat quãtùm eſt hominum ac Deorum, ipſe ſe excruciat, ipſe ſe ad inſaniam, ad ſuſpendium cogit.

Metus amittendæ rei.

Inſania finis auaritiæ.

Perge. PARASITI, famelica hominum natio, & frugibus cõſumendis nata, quàm veris ſuíſque expreſſi coloribus Plautinam in ſcenam veniunt? QVASI mures ſemper edunt alienum cibum, ſuo verò ſucco viuunt tanquam cochleæ, ſi ros non cadit. vna illos alit ac ſuſtinet ſpes cœnatica; nimirum hoc illi negotium vnicè curant, nihílque metuunt magis quàm

Paraſiti deſcriptio.

Ne triſti domicœnio laborent:

idcirco tanquam vmbræ te te conſequuntur, tibíque calceatis cum dentibus præſtò ſunt. nec

Mart. lib. 5. ep. 79.

propter

propterea collatinos hoſce ventres vnquam placaueris: oppleas tu illos licèt, continuò tamen fame fauces lippiunt, ieiunos videbis tãquam inane dolium, bicongium, barathrum. Vſque adeò ſemper adhæret ad infimum ventrem fames, & edilitatem perpetuam ſine populi ſuffragio gerunt. Vultis aliquem ex hiſce capitonibus audire? Nam quia edacitate nemo poſſit eos vincere, his cognomentum factum eſt duris capitonibus.

Fames mater paraſiti.

Famem fuiſſe ſuſpicor matrem mihi,
Nam poſtquam natus ſum, ſatur numquam fui,
Sed quam ego matri mea refero inuitiſſimus,
Eam mihi numquam retulit mater gratiam,
Nam me illa in aluo menſes geſtauit decem,
At ego illam in aluo geſto plus annos decem.
Atque illa puerum me geſtauit paruulum,
Quo minùs laboris illam cepiſſe exiſtimò.

Eadem filia.

At ego non pauxillulam in vtero geſto famem,
Verùm hercle multo maximam, & grauiſſimam.
Vteri dolores mihi oboriuntur quotidie.
Sed matrem parere nequeo, neſcio quomodo.

Partus elephanti.

Audiui hoc ſæpe vulgò dictum dicier,
Solere elephantum grauidam perpetuos decem
Eſſe annos, eius ex ſemine hæc certò eſt fames:
Nam iam complures annos vtero hæret meo.
Nunc ſi ridiculum hîc hominem quæret quiſpiam,
Venalis ego ſum cum ornamentis omnibus,
Inanimentis explementum quærito.
Oratio vna interiit hominum peſſumè,
Eáque optima herclè meo animo & ſcitiſſima,

Inuitatio ad cœnã.

Qua antè vtebantur: VENI illò ad cœnam, ſic face:
Promitte verò, ne grauare, eſt commodum:
Volo inquam fieri, non omittam quin eas,

Nunc

Nunc repererunt ei verbo vicarium,
Nihili quidem herclè verbum,ac viliſſimum:
VOCEM te ad cœnam niſi egomet cœnem foris.
Ei herclè verbo lumbos defractos velim.

Sed reuocemus intrò ad ſiparium Gnatones iſtos plus æquo ſupparaſitatos: ecce enim foras exit ADOLESCENS attentus ac triſtis,& quem ſui planè pœnitet,ac palàm pudet.quanto cum decoro, quàm moratè,quàm ſcitè loquitur.

Adoleſcentis pertæſi mores priſtinos deſcriptio.

Recordatus multùm,ac diu cogitaui,
Argumentáque in pectus multa inſtitui
Ego,atque in meo corde.ſi quod eſt mihi cor,
Eam rem volutaui,& diu diſputaui,
Hominem cuius rei,quando natus eſt,
Similem eſſe arbitrarer;ſimulacrúmque habere:
Id reperi iam exemplum.
NOVARVM ædium eſſe arbitror ſimilem ego hominem.

Homo cui rei ſimilis.

Quando hic natus eſt,ei rei argumenta dicam.
Ædes cum extemplò ſunt paratæ,expolitæ,
Factæ probè,examuſſim;
Laudant fabrum,atque ædes probant;ſibi quiſque
Inde exemplum expetunt,ſibi quiſque ſimile
Suo vſque ſumptu,operæ nec parcunt ſuæ.
At vbi illò immigrat nequam homo,indiligénſque
Cum pigra familia immundus,inſtrenuus;
Hic iam ædibus vitium additur.
Bonæ cùm curantur malè.
Atque illud ſæpe fit,tempeſtas venit,
Confringit tegulas imbricéſque:ibi
Dominus indiligens reddere alias neuolt:
Venit imber,lauit parietes,perpluunt
Tigna,putrefacit aër operam fabri.

Domus ob incolarum deſidiam ruinoſa.

Nequior iam factus eſt vſus ædium,
Atque haud fabri culpa: ſed magna pars hominum
Moram hanc induxerunt: ſi quid nummo ſarciri poteſt,
Vſquedum mantant, neque id faciunt, donicum
Parietes ruunt: ædificantur ædes totæ denuò.
Hæc argumenta ego ædificiis dixi. nunc etiam volo
Parentes fabrorum ſimiles.
Dicere, vt homines ædium eſſe ſimiles arbitremini.
Primùm parentes fabri liberorum ſunt,
Et fundamentum ſubſtruunt liberorum;
Extollunt, parant ſedulò infirmitatem,
Vt & in vſum boni, & in ſpeciem populo
Sint, ſibique aut materiæ non parcunt,
Nec ſumptus ibi ſumptui eſſe ducunt.
Expoliunt, docent litteras, iura, & leges,
Sumptu ſuo, & labore nituntur, vt
Alij ſibi eſſe ſimiles illorum expetant.
Filij à parentum poteſtate diſcedentes.
EGO ad id frugi vſque & probus fui, in fabrorum poteſtate dum fui:
Poſteaquam immigraui in ingenium meum,
Perdidi operam fabrorum illicò oppidò:
VENIT ignauia, ea mihi tempeſtas fuit,
Ignauia in rerum initiis.
Ea mihi aduentu ſuo grandinem, imbrémq, attulit,
Hæc verecundiam mihi, & virtutis modum
Deturbauit, detexitque me illicò.
Poſt illa me obtegere negligens fui:
Amor pluuiæ ſimilis.
Continuò PRO imbre Amor aduenit in cor meum,
Is vſque ad pectus permanauit, permadefecit
Cor mihi. nunc ſimul res, fides, fama, virtus,
Decúſque deſeruerunt: ego ſum in vſu
Factus nimio nequior, atque adepol ita

Hæc tigna humidè putrent, non videor mihi
Sarcire poſſe ædes meas, quin tota
Perpetuæ ruant: quin cum fundamento
Perierint, nec quiſquam eſſe auxilio queat.
Cor dolet, cùm ſocio, nunc vt ſum, atque vt fui,
Quo neque induſtrior de iuuentute erat
Arte gymnaſtica, diſco, haſtis, pila,
Curſu, armis, equo; victitabam volupè
Parſimonia, & duritia; diſciplinæ aliis eram,
Optumi quique expetebant eam doctrinam ſibi.
Nunc verò nihil ſum, idque meopte ingenio repperi.

Verùm transferte iam aures atque animum ad SERVORVM par, qui in occurſu miris ſe conuiciis, contumeliiſque abundè conſalutant. credat quis iratos malè eſſe, & pugnis rem illicò decreturos, niſi ſciat decorum à Plauto ſeruari. Nimirùm ſicut honeſti, ac bene liberalitérque educati ciues ab officioſis vltrò citróque verbis negotium exordiri ſolent, ita hæc vilia hominum capita, nihil ſeriò dicere, ageréve incipiunt, quin tantiſper maledictis, & conuiciis proludant. Seruorum morúmque ſeruilium deſcriptio.

Officioſæ ſeruorum ſalutationes.

Gymnaſium flagri ſalueto.
Quid agis cuſtos carceris?
O catenarum colone.
O virgarum laſciuia.
Vin' te follem pugillatorium faciam?
Et pendentem incurſem pugnis?
Vin' tibi oculos elidam, vt Sepiis faciunt coqui?

Satis amicè ac liberaliter, vti ſeruos decet. Sed quid ille, qui argentum ſocio daturus, ſic eum cùm primùm videt, officioſè ſcilicet compellat?

Congeſtæ contumeliarũ appellationes.

Ehò impure, inhoneſte, iniure, illex, labes populi,
PECVNIÆ accipiter, auide, atque inuide,

Pro

Procax, rapax, trahax: trecentis verſibus
Tuas impuritias traloqui nemo poteſt.
Accipiſne argentum? accipe ſis argentum impudens.

Alter, qui linguam habebat referendæ natam gratiæ,

Par pari redditum.

Siue reſpirare me (inquit) *tibi reſpondeam.*
Vir ſumme populi, ſtabulum ſeruitritium,
Carnificinum cribrum, ſubiculum flagri,
Compedium tritor, piſtrinorum ciuitas,
Perenni ſerue, lurco edax, furax, fugax,
Cedo ſis mihi argentum, da mihi argentum, impudens,
EODEM mihi pretio ſal perhibetur, quo tibi.

Vultis aperiam, Auditores, cuius eſſe rei ſimiles hoc genus homines exiſtimem? dicam, & vt ſpero, aſſequar oratione, quod mente comprehenſum habeo; ſi tamen priùs, quid mihi acciderit paucis antè diebus, verbo expediam. Eram noſtris ſub ædibus hîc ac viæ Latæ quadriuium, vbi Baiulus è ſaxo non infabrè factus aquam fundit è cado, quem circa locum, tanquam ad ſignum militiæ cogi quotidie ſolet manipulus Baiulorum, hoc eſt, hominum, quos non minùs quàm fontinalem illum Baiulum marmoreos credas, atque è ſaxo ſemiſculptos, aut duro dolatos è robore, ac malè complanatos. Sedebant hîc ad fontem duo ex hoc ordine malè tum quidem feriati, ſecum neſcio quid altercantes, credo de humeris maiori aut minori pretio locandis; cùm ecce tertius ex eadem familia re bene geſta atque geſtata ſuperuenit ex aduerſo, clarâque ſiniſtra, alterum qua parte occipitium in collum deſinit toroſum planè ac ceruicoſum, quanta maxima poteſt

Baiulus è ſaxo fabrefactus.

Baiulorũ deſcriptio.

poteſt vi ictúque palmari ac ſonanti cædit: eodémque tempore, dextera in pugnum contracta, alteri humeros quaſi fores validiſſimè pulſat,hîc ſocius qui mecum ibat, veritus ne id principium pugnæ foret, parùm abfuit, quin illicò accurreret, ac veluti rixantibus intercederet. Sed ego, bono, inquam,ſis animo:hi,ſi neſcis, delicias ſibi faciunt, ſcalpúntque ſe molliter, dum ſicuti vides ſeſe pugnis fodiunt: ſalutationis hoc genus eſt manu loqui, atque VT æra campana,quorum lingua malleus eſt, non alia ratione, quàm pulſando loquuntur; ſic iſti, quorum in manibus eſt lingua, pulſantes ſeſe conſalutant. Cuius rei ſimiles.

At quanto nobiliùs SENEX honeſtus & grauis, cui cor modeſtè ſitum erat, cum adoleſcente contendit ſuper dote?dum adoleſcens ſororem ſuam ſeni primario ciui tradere ſine dote indignum putat, ille non niſi indotatam accipere conſtituit.In quo ridiculum quid interuenit tam aptum ad ſeueritatem fabulæ mitigandam, moréſque iuxtà collatos exprimẽdos,vt neſcias vtrũ plus admireris, facetúmne mancipij atque opportunum in re ſubita commentum, an ſenis ſerium honeſtumque reſponſum. nam cùm adoleſcens obfirmato animo dotis loco agrum ſuburbanum offerret, eius ſeruus qui ægrè ferebat abalienari ab domo fundum ac villam, id eſt (vt ille aiebat) nutricem ſuam; ad ſenem clàm accedit,& quaſi cum eo ſecretum communicaturus ſic in aurem inſuſurrat: Viri grauis honeſtique deſcriptio.

Per Deos,atque homines dico, ne tu illunc agrum Agri infortunia.
Tuum ſiueris vnquam fieri,neque nati tui.
Ei rei argumentum dicam.

Primùm omnium, olim terra cùm proſcinditur,
In quinto quoque ſulco moriuntur boues.
ACHERVNTIS oſtium in noſtro eſt agro.
Tum vinum, priuſquàm coactum eſt, pendet putidum:
Poſt id frumenti cùm alibi meſſis maxuma eſt,
Tribus tantis illîc minus redit, quàm obſeueris.

Mores mali ſerendi.

Opportunè ac ſapienter ad hæc ſenex:

Hem ISTO in agro oportet conſeri mores malos,
Si in conſerendo poſſint intercidere:

At alter nihilo minùs pergit in malorum Iliade:

Neque vnquam quiſquam eſt, cuius ille ager fuit,
Quin peſſumè ei res vorterit, cuius fuit.
Alij exulatum abierunt, alij emortui,
Alij ſe ſuſpendêre: audi cætera,
Nam fulgurita ſunt hîc alterna arbores,
Sues moriuntur angina hîc acerruma,
Oues ſcabra ſunt, tam glabra quàm eſt hæc manus:
Hominum nemo extat, qui ibi ſex menſes vixerit,
Ita cuncti ſolſtitiali morbo decidunt.
HOSPITIVM eſt calamitatis, quid verbis opus eſt?
Quancumque malam rem quærens illîc reperies.

Mali quò amādādi.

Hîc oblata rurſus occaſione ſenex appoſitè ac feſtiuè:

Iſte eſt ager profectò, vt te audiui loqui,
Malos in quem omnes publicè mitti decet.
Sicut fortunatorum memorant inſulas,
Quò cuncti, qui ætatem egerunt caſtè ſuam,
Conueniant; contrà iſtuc detrudi maleficos
Æquum videtur. ——----

Verùm

Verùm hæc verba tam ſcitè prolata transferunt iam me à perſonarum decoro ad alteram partem, in qua de PRÆCEPTIS, quæ Plautus ad vitam honeſtè traducendam ſuppeditat, dicturus ſum. Sed audio, qui me hinc abeuntem reuocet reprehendátque, quaſi in iis quæ hinc atque hinc ex Plauto legimus exemplis non tantùm inſit quantùm præ nobis ipſi tulimus momenti ad Plautini decori commendationem: vt enim nullus adeò malus eſt liber, quin complectatur aliquid boni; ita licèt laudandi ſint quos ſedulò conquiſiuimus loci, poſſe tamen ex eodem Poëta nonnullos excerpi reprehenſione dignos. Scio malorum quoque ſcriptorum voluminibus commune hoc eſſe: ideóque non videri Plautum vbique vniuerſéque propterea commendandum; ſcio à nonnullis hoc ipſo violati interdum decori nomine illum perſtringi. ſcio Velabrum, tres Viros, Tuſcum vicum, Cloacinæ ſacrum, aliáque Romana nomina Plautinis inſerta Comœdiis, quæ Thebis aut Epidauri dabantur, negotij moleſtiæque plurimùm attuliſſe Latinis Ariſtarchis. Sed hæc ad calculos vocare, diſceptaréque diligentiùs, an aliquo Plautus loco declinaſſe videatur à via, non eſt meum, qui (vt ſæpe ſum prolocutus) laudatoris ſuffragatoríſque, non iudicis partes ago. Aggrediar igitur ad eã, quã propoſui, reliquam diſputationem. Quamquã perſtringendo rẽ paucis, curabo vt vnius partis prolixitatem alterius breuitate compéſem. Aio Plautinas Comœdias abundare documentis ad rerum opportunitates & commoda vtiliter occupanda, vitámque in ciuili hominum conſuetudine componendam:

Quid obiicitur aduersùs Plautinũ decorum.

Vitæ documenta ex Plautinis fabulis.

nendam: ídque interdum in vniuerſa Dramatis fabula doceri, quæ humanæ ſpeculum vitæ refert in eam intuentibus: ſæpe in ſingulis præceptionibus indicari, quæ traditæ in loco, mirum quantùm mores inſtruunt, hominémque ſe ipſo ſapientiorem ſedulò reddunt. Age, quiſquis ſub Domino es, atque in Aula degis, diſce ab Epidico Plautino, quid te potiſſimùm deceat.

Præceptũ famulis datum.

PLVS ſcire ſatius eſt, quàm loqui ſeruum hominem:

Ea ſapientia eſt.———————

Diſſimulatio doctrinæ.

Sapienter ac propemodum ex oraculo. Diſſimulare ſapientiam in tempore, nulli profectò non vtile; at apud alium ſeruienti neceſſarium ornamentum eſt. Falluntur, qui ſe argutulos diſertóſque videri volunt apud Principem, à quo ſi conſulantur, facundiam illicò perquàm meditatè promunt omnem, quantúmque præceptorum collegerint toto anno, ſemel effundunt. PRINCEPS non præceptorem, ſed indicem cupit: amat diſcere, non doceri. Atque ego quidem ſi (quantùm ad hoc attinet) Aulico proſpicerem, qui adhiberi ſolet in conſilium; amicè commonerem, ne multis ambitioſéque in noua ſententia proponenda philoſopharetur: neue eius rei, quam eſſe è re Principis exiſtimet, author ipſe magnificè videri vellet: atque hanc ob cauſam inter priuata etiam cum eo colloquia abſtineret ab aperta ratiocinandi vi, & Inductionem libentiùs vſurparet, quòd per hanc minùs docere videamur, quàm per illam. cùm enim Inductio interrogationis genus ſit, in quo paulatim à primo quis progreditur ad poſtremum, dum aſſenſionem

Inductio aptiſſimũ docendi adiumentum.

nem captat,& rem denique cõcludit euincítque; ita diſſimulat victoriam, vt non tam ipſe qui dicit, quàm is quicum dicit, in veritatis cognitionem veniſſe videri poſſit. minùs autem exiſtimat ſe victum,qui fateatur ipſe per ſe,quàm ſi ab alio concluſus vrgeatur. Fingite me cum domino agere illiberali, intentóque cumulandis opibus, non autem adhibendis ad humanos vſus;propoſitúmque mihi eſſe, eò illum deducere, vt fateatur, diuitem in vſu pecuniarum eſſe, non in earum tantummodo poſſeſſione. Principio (libet enim paucis proludere in hanc ſententiam, potiùs artificij explicandi causâ, quàm exercendi: vt ex hac velitatione ſignificem quid in pugna; ſed cautiùs ſit agendum) transferam ab eo,quem alloquor, orationem, atque inſtar Apologi, quid mihi acciderit cum honeſto laudatóque viro, ſi vnam in eius laudibus excipiam profundum auaritiam,explicabo.dicam; inter alia,quæ vltrò citróque ſermocinando contulimus, vbi ad rem, quam volebam, penitus deuenimus, ſciſcitatum eſſe me:num ille ſtatuam Marij appellaret crederétque dominum Marianæ villæ, vellétque aliquis huic marmoreo domino ſimilis eſſe? negaſſe tunc illum, rogatúmque cauſam, eam dixiſſe, quia vti fruíque ea villa ſaxum nequeat.rurſum me percontatum eſſe, num Tantalum,qui

Differendi modus cum auaro domino.

———*à labris ſitiens fugientia captat*
Flumina,——— Hor. ſat. 1.lib.1.

Dominum putaret fluminis & pomorum? eandem ille ob cauſam negaſſe, ac memorem Senecæi chori,illa retuliſſe:

Digitized by Google

Stat luſus vacuo gutture Tantalus:
Impendet capiti plurima noxio
Phineis auibus præda fugacior;
Hinc illinc grauidis frondibus incubat,
Et curuata ſuis fœtibus ac tremens
Illudit patulis arbor hiatibus.
Hæc quamuis auidus,nec patiens moræ
Deceptus toties tangere negligit,
Obliquátque oculos, oráque comprimit,
Incluſiſque famem dentibus alligat.
Sed tunc diuitias omne nemus ſuas
Demittit propiùs,pomáque deſuper
Inſultant foliis mitia languidis,
Accendúntque famem,quæ iubet irritas
Exercere manus:has vbi protulit
Et falli libuit,totus in arduum
Autumnus rapitur,ſyluáque mobilis.

Denique interrogatum à me eſſe, an crumenam, aut arcam nummorum plenam, aut ſeruum theſauri cuſtodem, cenſeret dominum pecuniarum? quod cùm conſtanter ille pernegaret,eóque cauſam perpetuò referret, quòd ſeruus vti diuitiis nequeat arbitratu ſuo: tunc verò laudata, quam is in promptu habuerat, cauſa, ex eo petiiſſe, vt eiuſdem cauſæ memor videret, quid reſponſurus ſit, ſi interrogetur, an qui compoſitis nummis, cumulatáque magna opum vi,ob auiditatem noui quotidie lucri,non vtitur,ſed

———congeſtis vndique ſaccis
Hor. ſat. 1. lib. 1. *Indormit inhians,& tanquam parcere ſacris*
Cogitur, aut pictis tanquam gaudere tabellis,

an hic inquam, qui in magna diuitiarum copia, tamen

QVÆRIT, & inuentis miſer abſtinet, & timet vti,

Dominus ſit appellandus, an cuſtos? Atq; hac potiſſimùm ratione, ſed longè cautiùs & callidiùs pertractata, præſertim cùm res difficiliores incidunt, agendum exiſtimo cum Principibus viris, quibus ita ſubiiciẽda eſt veritas, vt ipſi eam inueniſſe ſuopte ingenio, ſéq; ipſi correxiſſe videantur. Hactenus qua ratione aduersùm dominos ſe gerant famuli. Perge, diſcant etiam à Plauto, quid cum famulis agant domini, qui ſi certam expeditámque viam velint de ſeruitio domeſtico, déque familia benemerendi, efficiendique ne quid domi turbetur, auferatur, in patremfamilias coniuretur, Pœnulum audiant id compendio monſtrantem.

Præcepta dominis datum. Victus liberalitas.

QVEM tu aſſeruare rectè, ne aufugiat voles,
Eſca atque potione vinciri decet,
Facilè aſſeruabis, dum eo vinclo vincies:
Ita iſtac nimis lenta vincla ſunt eſcaria,
Quàm magis intendas, tanto aſtringunt arctiùs.

Sen. de benef. lib. 1.

Ita ſe res habet: hoc hamo capiuntur homines ſæpiùs, quàm piſces. Rectè ille, elephantorum feritatem vſque in ſeruile obſequium demeretur cibus. ſed quid ego elephantos loquor? homines victitantes aliena quadra, diuitúmque arroſores, vt loquitur Seneca, atque arriſores, quàm obnoxij viuunt potentium imperiis? dúmque ad illorum arbitrium nutúmque ſe totos fingunt, & accommodant, quàm dura, quàm indigna patiuntur? vt non neceſſe habeam è vetere Comœdia recordari paraſitos, quibus imminuebatur identidem ſocco caput, atque Aulæ in faciem

Ep. 26. Paraſiti.

frangebantur: cùm nulla ſit hoc tempore hominum natio æquè patiens iniuriarum, atque ea quæ hiſce vinculis eſcariis obligata eſt.

Iuuenal. ſat. 5.

Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus,
Et ponêre foris: ſi quid tentaueris vnquam
Hiſcere, tanquam habeas tria nomina.———

TRIA inquam NOMINA: quid ad hæc hærentes vos aſpicio, Rhetores, idque ex me more veſtro ſciſcitari geſtientes? At reuereri vos addecet tam multos, qui me honoris causâ circumſtant, Præſules ſapientia ac rerum adminiſtratione clariſſimos: quorum in me audiendo humanitate non vſque adeò abutendum vobis eſt, vt etiam ad apinas & tricas veſtras recognoſcendas hodie compellatis. Quamquam vos, viri eruditiſſimi, horum cupiditati facilè, vt arbitror, ignoſcetis: quódque vobis prima addiſcentibus gratum erat ſcire, neſcire nunc veſtri olim ſimiles Rhetores meos pro veſtra facilitate non permittetis. præſertim cùm in hoc ſoluendo trium nominum nodo, magni quoque litteratores operam ponere non indignum litteris, ac lectoribus ſuis arbitrati ſint. Angelus Politianus, magno vir ingenio, triúmque linguarum peritia nobilis, exiſtimat tribus nominibus Libertos indicari, qui cùm manumittebantur, ad nomen ſuum addebant nomina Patronorum. ita Eutychidem libertate donatum à T. Cæcilio, T. Cæcilium Eutychidem, & Dionyſium à Pomponio manumiſſum, M. Pomponium Dionyſium appellari M. Tullius Attico gratulatur. Sanè Tertullianus ſeruos ad libertatem vocatos, veſtis albæ nitore, annuli aurei honore, & Patroni nomine, ac tribu, menſáque

Tria nomina quid apud Iuuenalem.

In Miſcel.

lib. de Reſur. carn. Manumiſſionis inſignia.

ſáque honorari ſolitos dicit. quare hæc erit ſententia Iuuenalis. Adeò tecum ſuperbè aget conuiuij dominus, quaſi eius libertus ſis, ab eóque manumiſſus,ideóque perinde ac ſi in te magnam imperij partem adhuc obtineat, ſi quod verbum inter epulas excidet incauto tibi, iubebit ille te à conuiuio ſtatim auferri veluti hominem ſibi obnoxium, quem libertate ſuíſque nominibus donauerit.At Laurentius Valla perpetuus Cẽſor litterarum, tribus nominibus mancipium ſignificari nequiſſimum, alludíque arbitratur ad vetus ænigma, TRIA cappa peſſima. ſiquidem apud Græcos,ſerui qui aut Cilices erant,aut Cretenſes, aut Cappadoces, mortalium verſutiſſimi habebantur; vt Iuuenali ſenſus ſit: Tecum actum iri crede in conuiuio, ac ſi ſeruus eſſes ex iis, quos Græci ſceleſtiſſimos exiſtimant, adeóque rapieris repentè de menſa, non ſecus ac ſi in te tria illa nationum nomina confluerent.Verùm Io. Britannicus Poëtæ Iuuenalis interpres haud ignobilis, aliò rem ab aliis trahit, affirmátque, tribus nominibus nobiles deſcribi, qui prænomine,nomine, & cognomine vtebantur. quò illa ſpectant tum Auſonij in Gryp. ternarij numeri,

Hominũ verſutiſſimi qui.

Nobilium appellationes.

Tres equitum turmæ,tria nomina nobiliorum:

Edyll. 4.

tum Pauli Manutij huc transferentis Adagium, HOMO trium litterarum, quo nobiles affirmat indicari, quorum tria nomina primis tantùm litteris ſcribebantur; quaſi Iuuenalis dicat. Si tu inter epulandum tentaueris vnquam hiſcere, ac ſermonem miſcere nobilium libertate tanquam tribus inſignitus nominibus; aſportaberis illicò è conclaui, nec vlla habebitur ratio nobilitatis.

In Adaag.

Homo trium litterarum.

Homo trium literarum aliter vſurpatum.

Poſtremò non deeſt, qui hominem trium nominum interpretetur furem, vt idem ſit, quod apud Plautum in Aulularia ludentem, homo trium litterarum. Nam hunc, cui non licere ſuper menſam quidquam loqui Iuuenalis hîc ait: paulo antè dixit, obſeruari magna ſeruorum ſuſpicione tanquam furem, ideóque ad bibendum phialam, non poculum ex auro gemmíſque dari,

Vel ſi quando datur, cuſtos affixus ibidem,
Qui numeret gemmas, vnguéſque obſeruet acutos.

Et hoc ipſo loco cum furace illo paſtore comparatur, quem prædas abigentem Hercules è ſpecu magna arreptum vi pedibus abſtraxit: quaſi idem periculum immineat huic conuiuæ, nempe ob eandem culpam:

Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus,
Et ponêre foris, ſi quid tentaueris vnquàm
Hiſcere, tanquam habeas tria nomina.———

Redeo ad Plautum. Vultis Dominos æquè, ac Servos paucis litteris, vnóque verſiculo ad omnem vitam perſanctè ac ſapiéter informari? accipite quid ſenex adoleſcenti filio de dictis melioribus inſtillet.

Præceptū dominis ac ſeruis datum.

BENEFACTA benefactis aliis pertegito, ne perpluant.

Enimuerò ſiue ad virtutes, ſiue ad beneficia dictum referas, nihil illo reperies humanæ vitæ ſalutarius. Refer ad perpetuam, nec vnquam interſiſtentem virtutum exercitationem, præceptum habes ad ſanctimoniæ palmam contendenti expeditiſſimum. Qui vnico virtutis facinore ſecurum ſe arbitratur, errat, niſi aliarum quoque exercitatione virtutum ſtabiliat firmétque

Virtutum exercitatio.

id

id,quod ſolum per ſe nutat ac ruit. VIRTVS virtutis eget fultura, ne cadat. non ſatis eſt ieciſſe fundamenta, parietes extuliſſe, mediana cubicula ſeparaſſe; ſine tecto accipiet domus inimicum imbrem, factóque vitio paſſim perpluet, atque ad terram corruet. Ita & tu te ſimilem domui crede:ſi quid bene pudicéque ſemel feceris, ídq; eſſe diuturnum cupis, adde nouum facinus quo prius tegas, atque hoc rurſum alio facinore ſartum tectúmque cura: alioqui,ſi benefacta benefactis continenter aliis non integes, breui perpluent. Refer hoc Plauti dictum ad beneficentiam, præceptum habes ex intima prudentia petitum. Quiſquis in alium beneficus es, ne malè operam ponas, neve corruptum videas beneficium tuum; nouo beneficio vetus protege, atque vt nouam iſtam liberalitatem ab accipientis obliuione veluti à tempeſtate pluuiáque defendas, benefacta benefactis aliis pertegito,ſic nunquam perpluent. QVI inſtat & onerat priora ſequentibus, etiam è duro & immemori pectore gratiam extundet. BENEFICIIS illum tuis obſide, vt quò ſe cumque vertat, memoriam tui fugiens ibi tete reperiat. Beneficētia non intermittenda.

Sed hæc peculiaria ſinguláque,quibus humanæ vitæ comparari adiumentū, ornamentúmque à Plautinis fabulis oſtendimus,præcepta fuerint: libet iam ad diſputationis calcem, manipulum congerere præceptorum;atque hunc poſtremum fabulæ actum de Plauto concludere eo modo, quo Plautus ipſe primum actum Comœdiæ ſemel inchoauit. Ergo quicumque aut clam remotíſque arbitris honeſti quid agunt,aut flagitia

nullo teſte ſecuri committunt; vt ſciant obſeruari tacitè omnia, ac ſuam quemque pœnam præmiúmque manere, audiant vocalibus è ſtellis vnam inter homines aſſiduè verſantem, explorantémque ſedulò mortalium vitam, atque ad Iouem accuratè ſingula referentem.

Præcepta omnibus data. Arcturus explorator rerum humanarum.

Qui gentes omnes, mariáque, & terras mouet,
Eius ſum ciuis ciuitate cælitum.
Ita ſum vt videtis, ſplendens STELLA, candida,
Signum quod tempore ſemper exoritur ſuo,
Hic atque in cælo nomen Arcturo eſt mihi:
Noctu ſum in cælo clarus, atque inter Deos,
Inter mortales ambulo interdius.
Et alia ſigna de cælo ad terram occidunt.
Qui eſt Imperator Diuûm, atque hominũ Iuppiter,
Is nos per gentes alium in alias diſparat,
Hominum qui facta, mores, pietatem, ac fidem
Noſcamus: vt quemque adiuuet opulentia.
Qui falſas lites falſis teſtimoniis
Petunt, quique in iure abiurant pecuniam,
Eorum referimus nomina exſcripta ad Iouem.
QVOTIDIE ille ſcit, quis hic quærat malum.
Mali res falſas qui impetrant apud Iudicem,
Iterum ille eam rem iudicatam iudicat,
Maiore multa multat quàm litem auferunt.
Bonos in aliis tabulis exſcriptos habet.
Atque hoc ſceleſti illi in animum inducunt ſuum,
Iouem ſe placare poſſe donis, hoſtiis,
Et operam & ſumptum perdunt, ideo fit, quia
NIHIL ei acceptum eſt à periuris ſupplicij.
Faciliùs ſi qui pius eſt à Diis ſupplicans,
Quàm qui ſceleſtus eſt, inueniet veniam ſibi:
Idcirco moneo vos ego hæc, qui eſtis boni,

Boni malíque ſcripti in Iouis tabulis.

Quique ætatem agitis cum pietate, & cum fide,
Retinete hæc porrò: poſt factum vt lætemini.

Quo equidem commento quid vſquam, oro vos, Auditores, non dicam ad ingenij ſpecimen illuſtrius, ad orationis elegantiam concinnius, ad decori temperamentum accommodatius; ſed ad morum diſciplinam, ſanctitatémque vitæ ſalutarius excogitari ac fingi potuit? profectò nihil: niſi hæc ſalutaria vitæ monita (permittite me hæc addere, Auditores, ne quem adoleſcentium in errorem ac fraudem inducat oratio mea) niſi hæc, inquam documenta impuris amoribus; obſcœnáque imitatione Plautus corrupiſſet. Etenim AFFECTO ſemel animo aliquã turpitudinis labe (Affici autem, aut certè afflari à Plautinis fabulis neceſſe eſt) ſerò per admonitionum ſubſidia ſalus adornatur. MALE per mediam Suburram itur ad ſobrium vicum, aut ad Pudicitiæ ſacellum. Quod etiam atque etiam admonere neceſſe habeo Rhetores meos, vt intelligant, Plauti Comœdias nõ eſſe accõmodatas eorum moribus qui ſaluã integrámque & vitæ, & linguæ caſtimoniam velint: ſed eam apud cautiores interim candidioréſque ſcriptores tutò ac luculẽter addiſcendam eſſe. Sed non id ago in præſentia: neque hiſce, quæ laudaui, præceptis deleri poſſe illius in amore ſordes vnquam putaui. Id autẽ ago, ídque nunc molior, vt collectis iis, quæ Poëtam Comicum decent, virtutibus, ſimul obſequar ipſe alienæ voluntati, ſimul ſi quid aliquando peccauit Plautus paulo licentiùs in eo conuentu Poëtarum, ſi quid aduersùs Ennium Statiúmque aliquantò petulantiùs, ac ſupra Comicam hilaritatem

Admonitio ad Rhetores.

Pudicitiæ præcauendum.

rem admiſit; hiſce tam multis ex aduerſo documẽtis, dignus habeatur qui eluere iam labeculas illas, atque omnem à ſe culpã noxámque amoliri ac deprecari meritò poſſit. Id quod ego ſi à veſtra facilitate impetrauero, Auditores, ſi in priſtinam apud vos gratiam, & quod inde fiet, ſi in Senatum veſtris ſuffragiis veterem feſtiuúmque Poëtã reſtituero; ſatis ille gratulationis ac plauſus datum à vobis fuiſſe fabulis ſuis mea opera exiſtimabit.

PRÆLECTIO QVARTA.

Piſtor Suburranus.

SIVE

Πρόβλημα, *Cur ſternuentes ſalutentur.*

SEDEBAM paucis antè diebus in hemicyclo cum aliquot viris amore mihi ac ſtudiorum ſimilitudine coniunctiſſimis (Præſules & munere iſto, & ſapientia Illuſtriſſimi) cùm ecce ſe ad numerum amicus addit peritiſſimus omnium, quæ Romæ vſquam aut eueniunt, aut euenire homines rerum nouarum cupidiſſimi comminiſcuntur. Hic inter cętera refert oſtentum obueniſſe Romæ ingens: PISTOREM Suburranum poſteaquam ter ac vicies continenti ſpiritu ſternüiſſet, vigeſimo quarto ſternutamento animam efflaſſe. Hic eorum, qui hæc mecum audiebant, vnus intempeſtiuè tunc quidem facetus; Bellè factum, reſpondit, vt qui vigeſimam quartam iam

Occaſio prælect.

pulſa

pulſauerat, ei noctescerect. quo ioculo cęterishaud perinde delectatis, ego rem aliò transferens; Miſeram hominum conditionem, inquam, ſcilicet hoc etiam ad reliqua mortis genera addendum eſt, vt inter ſternuendum quis occumbat. Sciebam mille vias lethi: audieram caſibus propè innumeris mortalium vitam eſſe expoſitam: legeram apud Lucianum acino vuæ ſuffocatum periiſſe Sophoclem. non me fugiebat Diodorus Dialecticæ magiſter, qui ludicra quæſtiúcula ſuper cœnam non protinus ad interrogationem Stilponis expedita, perſtrictus ob id à Ptolomæo, præ pudore nimio pòſt expirauit. Sed nihil eo admirabilius, quod contigiſſe Zeuxidi inter pictores ſua ætate facilè principi ſcribit Verrius. Hic VETVLAM coloribus expreſſerat in tabula edentulam ac vietam, annis ac viribus defectiſſimam: dúmque re abſoluta, vti fit, ad opus agnoſcendum redit, ridiculo illo aſpectu delectatus, dum aniculam contemplatur ſuffarcinatam, breuiculam, aridam, exſuccam, exanguem, bucculentam, recedentibus oculis, pendentibus genis, extante deorſum mento, depreſſo introrſum ore, ſuperſtáte naſo neque integro, neque ſicco; enimuerò ſuborto affatim riſu, intercluſo ſpiritu, ridiculum ſanè in modum ſeriò extinctus eſt. Hæc, aliáque compluria legeram, inaudiueram, noueram. iam verò etiam ſternuentem mori deplorandum eſt. Tunc ex ea virorum corona, qua concludebar, aliquis non malè litteratus in me intuens, mirari ſe dixit, cur in mentem mihi non venerit Gregoriani temporis, cùm graſſante per Italiam lue, paſſim homines ſternutamento

Mortis admirandæ genera.

In Macrobiis. Laërt. l. 2.

Vetulæ deſcriptio

to animam agebant: ex quo factum, vt ſternuentibus, in magno quippe diſcrimine, ſalutem cæteri precarentur: qui mos exinde relictus hodiéque viget, vt honorem habeamus ſternuenti, eúmque ſaluere officioſè iubeamus. Cui ego, non id reſpondi tritum exploratumque perinde haberi apud omnes: ſed, vt ſe cumque res haberet, certè quod de ſalute impertienda dicebatur, ducebaturque à Gregoriani temporis calamitate, ſatis vereri me, ne fabula non bonis authoribus emanaſſet in vulgus. Id autem, dum aliquo euincere teſtimonio antiquitatis aggredior, à primario viro (abs te, inquam, Octaui CORSINE Præſul Illuſtriſſime) vocor repentè aliò, & cogor Senatum illum ſapientium, conceptumque animo ſermonem illicò relinquere: ſed relicta ſemel ea cupiditas acriùs animum ſtimulauit meum, vt ea ſuper re pluſcula inueſtigarem, atque apud vos, id quod ago in præſentia, de conſuetudine ſternutamenta ſalutandi non ingrata, vt arbitror oratione diſſererem: ac tibi præſertim, Octaui, hoc qualecumque demum eſt munus offerrem elucubratũ magnam partem inuitatu tuo; ſi fortè poſſem hac ratione perſoluere aliquid ob eam, quæ abs te confertur in me, laudem, dum præſtanti ingenio prudentiæque tuæ quantùm homines tribuunt, tribuunt autem perſanè multùm, tantùm propemodum tribuere & mihi, qui in te neſcio quid olim poſuerim, videntur. Age igitur, quamobrem ſternutamenta honore proſequimur, ſternuentíque ſalutem dicere conſueuimus, inquiramus.

Sternuentem ſalutandi mos vnde.

li. 1. Hiſt. de Reg. It.

Et Carolus quidem SIGONIVS, ſi virum erudi

eruditum in paucis audire volumus, quæſtionem facilè profligaſſe videri poteſt, dum annum exequitur quingenteſimum nonageſimum, quo anno Chriſtianæ Reipublicæ moderabatur GREGORIVS, re quàm cognomento maior. *In dies, inquit, magis peſtilentia ſæuiebat. ad cæteros autem caſus, quibus homines fœdè paſſim abſumebantur, hoc etiam mali acceſſerat, quòd multi cùm ſternutarent, alij cùm oſcitarent, repentè ſpiritum emittebant. quod cùm ſæpius eueniret, conſuetudo inducta eſt, quæ nunc etiam obſeruatur, vt ſternutantibus ſalutem precando, oſcitantibus ſignum Crucis ori admouendo præſidium quærerent. Quibus rebus permotus Gregorius ad cætera cæleſtis iræ piacula, poſtero anno religioſam in die Reſurrectionis ſupplicationem inſtituit, atque ſolemni pompa ſanctam Dei Genitricis imaginem extulit.* Habetis iam, Rhetores, ab Hiſtoria cauſam, cur ſalus ſternuentibus imploretur. ſed, aut omnia me fallunt, aut Sigonius, & quotquot hunc morem deducunt à Gregoriani temporis peſtilentia, ſtrenuè allucinantur, minúſque animo vident, cùm non ſupra milleſimum annum videant id, quod multis ante Gregorium ſeculis fuiſſe, compertum habeo. Non multis agam in re haud obſcura. Aio conſuetudinem ſternutamenta venerandi antiquiorem eſſe, quàm vt à Gregoriana memoria emanaſſe putandum ſit. L. APVLEIVS, qui trecentis non minùs annis ante Gregorium ſcripſit, dum in Metamorphoſi facinus commemorat ſternutamento detectum; ait, apud fullonis vxorem latuiſſe iuuenem marito infenſum, ſed ſuperueniente fullone, mulierem metu exanimatam id

Sternuentium oſcitantiumque mortes.

An ex hoc cōſuetudo bene precandi.

Quantò antiquior Gregoriano æuo mos hic fuerit. lib. 9.

Excitatū ſulphure ſternutamentum

in re trepida cepiſſe conſilij, quò iuuenem occultaret. Erat ibi viminea cauea è ſalicibus ſeu malleolis apta in apicem cumulúmve contexta, qua ſuper crate lintea ac vela mulier explicuerat, vt inalbeſcerent ſubiecto ſulphuris fumo. ergo eo ſub integumento iuuenem concludit occultátque, & menſæ, quæ erat apud hanc caueam, accumbit ipſa cum marito. *Interim* (verba recito Apulei) *acerrimo grauiq; odore ſulphuris iuuenis ineſcatus atque obnubilatus, intercluſo ſpiritu diffluebat, atque (vt eſt ingenium viuacis metalli) crebras ei ſternutationes commouebat. Maritus è regione mulieris accipiebat ſonum ſternutationis, cúmque putaret ab ea ſternutamẽtū proficiſci, ſolito ſermone ſalutẽ ei precabatur, ſed cùm iteraretur rurſum, ac frequẽtaretur ſæpiùs, rei nimietate commotus, quæ res erat, tandem ſuſpicatur, & impulſa menſa, remotáque cauea, producit hominẽ crebros anhelitus agrè efflantem.* Animaduertitis, Auditores, ſolito ſermone ſalutẽ ſternuenti dictam? non ergo à Gregorij tempeſtate inducta hæc conſuetudo. Omitto Athenæum Apulei æqualem, qui oſtenſurus ſacrum fuiſſe veteribus humanum caput, affert indicij loco ſternutamentum, quod homines venerari atque adorare ſoliti ſunt. Sed ante vtrumque PETRONIVS ARBITER (quem Tiberio Principe vixiſſe fama eſt) in Satyrico ludens non diſſimili figmento deſcribit remotum è rixa Gytona puerum, atque intra grabbatum & culcitras occultatum: dúmque omnes putant fugiſſe puerum inter turbam, nec quò abiiſſet, ſuſpicari poſſunt, *Gyton* (ita Petronius loquitur) *collectione ſpiritus iam plenus continuò ita ſternutauit, vt grabbatum concuteret*

lib.2.c.15.

teret : ad quem motum Eumolpus conuerſus, ſaluere Gytona iubet. Videtis, Auditores, ſalutem ſternuẽtibus imploratam quinque fermè ſeculis ante Gregorium. Perge, Tiberius Imperator triſtiſſimus hominũ, vt ait Plinius, & qui religioſis hiſce officiis minimè capiebatur, nónne dum vehebatur curru per vrbem, ſternuenti honorẽ habebat ipſe, ſibiq; ab aliis exigebat? vt refert hic, quẽ laudo, PLINIVS in Hiſtoriis. Perge adhuc ſupra Tiberij ætatem. ARISTOTELES (videte obſecro, Rhetores quãtùm vos ego à Gregorij tempeſtate remoueam, atque in vltima penè antiquitate reponam) dum naturæ cauſas in Problematum quæſtionibus inueſtigat, meritò ait homines venerari ſternutamentum, ac bene ſternuentibus augurari, eáq; ſuper re populariter inquirit multa ſapientérque definit. Sed illud iucũdum æquè ac antiquũ eſt, quod Græcus Poëta ludit in Proclum, hominẽ Therſite Homerico deformiorem, bene capitatũ, acutè auritum, prolixè ac liberaliter naſutum, atque (vt quod ad rẽ pertinet, ſolùm loquar) naſũ, nẽpe claſſicũ atque inter omnes anteſignanum, tam ampla porrectũ mole deſcribit, vt eũ emungere ac detergere totũ nequiret? quippe maior multo erat, quàm vt ad eũ manus poſſet pertinere. addítque hinc etiam fieri, vt quando ſternuebat Proclus, non imploraret ſibi Deorum opem, neque diceret, *Ζεῦ σῶσον, Iupiter ô adſis* : nimirùm naſus ſatis amplè productus tam longè aberat ab aure, vt ad eam ſternutamenti ſonus non niſi aliquanto pòſt tempore perueniret, cùm videlicet iamdudum ſternuiſſet, nec iam iam amplius ope Iouis opus eſſet. ſic ait:

lib. 28. c. 2.

Sect. 33. Probl. 7. & 9.

Iocus in naſum.

lib. 2. Floril.

Οὐ δύναται τῇ χειρὶ Πρόκλος τὴν ῥῖν' ἀπομύσσειν,
Τῆς ῥινὸς γὰρ ἔχει τὴν χέρα μικροτέρην.
Οὐδὲ λέγει, Ζεῦ σῶσον, ἐὰν πταρῇ. οὐ γὰρ ἀκούει
Τῆς ῥινὸς, πολὺ γὰρ τῆς ἀκοῆς ἀπέχει.

aut, ſi mauultis, idem Latinè à me audite.

Non potis eſt Proclus digitis emungere naſum,
Namque eſt pro naſi mole puſilla manus.
Nec vocat ille Iouem ſternutans: quippe nec audit
Sternutamentum, tam procul aure ſonat.

Maneat igitur, quod præfari voluimus, morem ſalutis implorandæ ſternuentibus ex ea commorientium calamitate nõ emanaſſe, ſed multò ante Gregorianum Imperium cõtra Sigonij placitum valuiſſe. Quæ cùm ita res ſit; quærenda adhuc eſt cauſa, cur ſternuentes ſalutẽtur. Ac mihi quidem (nam à ſtirpe ducenda res eſt) quinque veniunt in mentem cauſæ, ad quas huiuſmodi conſuetudinem reuocare poſſim. Religioſa, Medicinalis, Faceta, Poëtica, Auguralis. Hæc dum in medium affero, vos viri eruditiſſimi, quorum hîc ego florem tota vrbe delibatum video, ſingulorum momenta non tam pro ſapientia veſtra, quàm pro tenuitate interim mea penditote.

Quinque cauſæ, cur ſternuentes ſalutentur.

Prima cauſa.

Principio, vt exordiar à RELIGIONE, ea ſalutatio, qua ſternuentem impertimur, non eſt ſalutis imploratio (libet enim in præſentia ita rem interpretari) ſed veneratio eſt, atque honoris ſignificatio: ſicut, cùm obuios amicos ſalutare conſueuimus, non eis quaſi aliquid aduerſi acciderit, præſentem opem ac ſalutem precamur, ſed officij cauſâ honorem ſalutando habemus. Hinc ſternuenti aſſurgimus, caput officioſè detegimus, reuerenter cum eo agimus: quæ omnia

nia proculdubio venerationis argumenta ſunt. Quo in genere nihil illuſtrius, quàm quod ferũt de MONOMOTAPÆO Imperatore apud Æthiopas, à quibus more gentis Princeps adoratur hic cùm ſternuit, qui adsũt extẽplò venerabundi cõcepta verba, quibus bene proſperéque precari cõſueuimus, tãto clamore proferũt, vt facilè qui agũt in Aula proximíſque cubiculis exaudiant, ac fauſtas cõſalutationes elata & ipſi voce cõgeminẽt: quibus auditis ſequũtur illicò in eundẽ modũ qui verſantur in foro ac domibus adiacẽtibus. quò fit, vt aliis ea ratione alios inuitantibus, & precationum verba præeuntibus, ingenti acclamantium veneratione, tota ſimul vrbe ſternutamentum Principis celebretur. Veneramur igitur ſternuentem. At quamobrem hæc ei religio veneratióque præſtatur? dicã. Sternutamẽtum è capite eſt, hoc eſt, è parte partiũ humani corporis principe, imò & ſacroſancta, vt veteribus habita eſt: ſiue quòd in capite omnium ſenſuum collocata ſit ſedes, ſiue quòd Pallas è Iouis nata cerebro diceretur, ſiue demum quòd officina ſapientiæ appellaretur hominis caput. inde communicata videtur cum ſternutamento ſanctitas, creditúmque olim etiam ipſum ſacri aliquid habere. Video me in re dubia verſari. Sed prouoco ad Ariſtotelem, qui in Animalium Hiſtoriis, ſternutamentum ait eſſe augurale ſignum, vnúmque ex ſpirituum omnium generibus ſanctum, & ſacrũ. Et miremur, ſi ij, quibus ſternutamentum ſacrum habebatur, ſternuentem veneratione proſequerentur? ſed quid multis opus eſt? eundem in Problematis ita de cauſa diſputantem audite.

Nicolaus Godignus in vita Siluerij lib.2.c.11.

Sternutamentum Æthiopici Imperatoris.

lib.1.

Sect.33. Prob.7. *Cur, inquit, ſternutamẽtum pro Numine habetur, non tuſſis? An quia de capite mẽbrorũ maximè omniũ diuino, ex quo prouenit cogitatio, ſuã ducit originẽ?* Atque ex hac fortaſſe cauſa trãſmiſſam ad nos arbitror eſſe conſuetudinem ſternuentem capitis honore, officioſáque verborum appellatione venerandi.

Secunda cauſa. Altera cauſa è MEDICINA petenda eſt, ſi fortè cuipiam hæc plena religionis haud facit ad hanc rem ſatis. Sternutamentum eſſe cerebri motum expellentis ſuperuacaneum humorem adiumento aëris per nares attracti, Philoſophi ſentiunt: & Hippocrates Medicorum Princeps ſcriptum reliquit, ſternutamentum fieri cùm aër inani capite contentus foras erumpit, eò autem ſonum edere, quia per anguſtias ei exitus ſit. Hæc porrò ſalutaris expiratio eſt, vt meritò ſternutamentum appellet Ariſtoteles indicium valetudinis: cuius idem cauſam inueſtigans, illo ait ſignificari bene caput valère, & poſſe concoquere: cùm enim capitis calor humorem ſpiritúmque conuincit, tunc excitari ſternutamentum ſolet. Quid, quòd etiam inter Medicorum arcana illud ab eodem Ariſtotele ponitur, ægros affectóſque & graui morbo decumbentes excitandos eſſe vt ſternutent; id niſi valent efficere, eorum ſalutis ſpem nullam ſupereſſe? adeò ſternuere, ac valère ſeſe excipiunt, & conſequuntur. cuius cauſam pluribus inueſtigat Albertus Magnus rerum admirabilium ſolertiſſimus explorator. Imò ſunt, qui apud Græcos ſcriptores obſeruauerint, ſternutamentum pro ſenſu accipi, idémque interdum eſſe ſternuere, atque ſentire. certè huc alludit Ariſtophanis iocus, in cuius Poëtæ Comœdia

Dio.

Marginalia: Quid ſternutamentum. — Alb. Mag. lib. 1. de Animal. c. 8. — lib. 7. Aphor. 52. — Sect. 33. Probl. 9. — Sternutamentum indicium valetudinis. — lib. 1. de Animal. cap. 8. — In Ranis.

Dionyſius baculo pulſatus, ictum plagámque diſſimulans, irridetur ad Æaco qui percuſſerat, dicitúrque, Ego te fuſte pulſaui; cui reſpondet Dionyſius: *Κᾶτα πῶς ἐκ ἔπταρον;* *At qua ratione non ſternui?* hoc eſt, vt Græco videtur interpreti; *Qua ratione non ſenſi?* perinde ac ſi oſtenderet, plaga ſe affectum non ſecus ac paleæ aut feſtucæ leuioris tactu affici nares conſueuerunt: feſtiuè nimirum conferens fuſtem cum feſtuca, humeros cum naribus, ſenſum cum ſternutamento; vt quemadmodum tactis palea naribus ſternuimus, ita pulſatis fuſte humeris ſentiamus: quare nullius ait ictum fuiſſe póderis, tantúmque hauſiſſe inde doloris ſenſum, quantũ ſi feſtuca leuiter percuſſus eſſet: ideóque mirari ſe, cur tactus ex re, qua euocari ſternutamenta ſolent, ipſe non ſternuerit. Qua ille diſſimulatione, & glorioſi arrogantiam percuſſoris eluſit, & nobis interim indicauit, ſternutamento tantùm ineſſe boni, vt ſenſu vigere, atque ſternuere differant quidem voce, re ſanè ipſa non differãt. Quorſum igitur hæc de ſternutamenti ſalubritate diſputatio? vt intelligatis, eam vrbanitatem, qua ſternuẽtem ſalutamus, lætitię ſignificationẽ eſſe, qua ei accidiſſe aliquid boni gaudemus, officioséque gratulamur. Argumento ſit, quòd alicubi non *Salue* ſternuentibus redditur, ſed *Proſit*. Addite, quòd apud veterem ſcriptorem legi, morẽ fuiſſe apud Græcos, nõ ſalutẽ exoptare ſternuenti, ſed Deum Sotera venerari, quaſi ob rẽ, quæ bene ac ſalubriter eueniſſet, gratiã ſaluti haberẽt; eáque veneratione referrẽt. Verùm, quamuis ex vna parte indicium valetudinis ſit hoc reſpirationis genus, cùm tamen ex

Cur, Proſit, dicitur ſternuenti.

altera, humoris adhuc pluſculum capite concluſum ſignificet, adeò vt nec vulgus ignoret, effectum hunc eſſe bonum è mala cauſa; hinc ſternutamentum & indicium morbi habetur fermè apud omnes, & apud aliquos planè morbus appellatur. imò Hebræis (quorum doctiores hęc tenet opinio) *Aſcerach*, morbum hũc vocari Caſaubonus affirmat in Athenæum. Atque ego ſanè nõ dubito, quin Hebræi, qui ſternuentem hac precatione cõpellant, PRO MEDICINA ſit tibi; ad opem iis quæ ſuperſunt morbi reliquiis implorandã ſolemni eo carmine vtantur. Quin etiam huc ſpectare crediderim morem illum, quem vigere apud Meſopotamiæ populos enarrauit mihi qui vidit: dum conniuæ in ſympoſiis ſicut non antè bibũt, quàm ab ſacrorũ Antiſtite diducta in Crucis formam dextera poculũ ſignetur; ſic vbi ſternuerint, idem ſalutare Crucis ſignum ſuper ſe figurari volunt. nempe vt morbus, qui reſidere adhuc capite videtur incluſus, ea precatione, manúſque potentis imperio diſpellatur. Quæ cùm ita ſint, cùm ea reſpiratione, quæ dixi, duo ſignificentur, meritò nos ſternuenti & gratulamur, quòd aliquid ei ſalubriter obuenerit, & ſalutem precamur, quòd ſalubritatis adhuc aliquid deſit; vtrumque autem coniũgimus, dum eum ſaluere humaniter officióſéque iubemus. Id verò Ariſtotelem vidiſſe, hominem quantùm eſt hominum acutiſſimum, facilè ego quidem ex eius verbis interpretor, dum loco quem ſæpiùs laudo, ait homines perinde quaſi bonæ indicium valetudinis, partis optimæ atque in primis ſacræ ſternutamentum colere, benéque ſternuentibus dicere, atque augurari.

[Margin: lib. 2. c. 15.]

[Margin: Poculum Cruce ſignari ſolitum. Et ſternutamentũ.]

Venio

Venio ad tertiam, quæ non vna eſt, cauſam, ſed eam è multis FACETI homines conflauerunt. Rem in medio ponã, vos eorum, quæ narro, fidem aut originem ne quærite: ſi placuero, authorẽ videtis; ſi ſecus, reiiciam vos ad ſcriptorũ veterum fragmenta, quorum nomina Vaticano iampridem incendio conflagrarunt. Spectabãt olim in Theatro Fabullus, Fannius, & Lemniſcus feſtiua ſanè capitula, & ſcurræ primarum partium; cùm fortè M. Tullio Conſuli ſonorè ſternuenti vniuerſum ferme Theatrum aſſurrexit, quíque propè aderant Senatores, ſaluere Romanum Conſulem iuſsêre. Tunc ij, quos nominaui nugatores ſtrenui, murmurantes ſoli ſecum, & Cõſulem clàm ipſi quoque ſalutantes, Fannius quidem; Dentilegum te diſcupio, inquit, Romule Arpinas. Fabullus autẽ; Supremò ſternuas, inquit, Nugypoliloquides. At Lemniſcus, homo facie ac facetiis ridiculus; Aue, inquit, atque vale cymbalum mundi, alpha togatorum, ſomnium beatitatum, gloriarum theſaure, Ilias pomparum, verborum mercimonium, ventoſum animal, lingua venditaria, præco vocaliſſime, crepitaculum Senatus & fori. tum conuerſus ad ſocios; Numquam ego vidi hominem, inquit, cui opus eſſet crebriùs ſternuere, quàm Tullio. cùm illi cauſam ſciſcitarentur; Nempe, inquit, vt plenum illud vento caput, ſternuendo exoneretur. Scitis enim, opinor, idcirco eſſe à natura conceſſa homini ſternutamẽta, capitis vt ſpatia inani grauíque aëre oppleta, ea reſpiratione laxentur. atque ego quidem non ſoleo ſternuentes perinde omnes conſalutare. ſi quem noui hoc capitis morbo laborare, ac ſternuentem offendo, huic

Tertia cauſa eáque multiplex.

Scurrarũ colloquiũ

Glorioſi hominis appellationes.

Quibus crebrò ſternuendum ſit.

Qui ſternuentium ſalutandi.

ventoſæ cucurbitæ libenter gratulor, quòd eo laxamento grauitatem tumorémque capitis imminuat; cæteroquin exiſtimarem me iniuriam facere ſano capiti, ſi cum eo hæc ridicula gratulationis officia communicarem. Cui FANNIVS; quaſi verò tu hoſpes, inquit, adeò ſis, atque ignarus huiuſce conſuetudinis, vt neſcias vnde hæc ſalutandi origo defluxerit. paucis, aduerte, docebo. Prometheus, is qui (vt aiunt Poëtæ) hominum genus condidit, poſteaquam è luto hominem finxit, aduocauit illuc animantes fermè omnes, vt particulam diſſectam è ſingulis adiungeret principi limo. Nam timoris aliquid à lepore, nō parùm calliditatis à vulpe, ambitionis plurimùm à pauone, à tigride ſatis ferociæ, nonnihil magnanimitatis à leone, ab aſino ſtoliditatis quantùm ſufficit, aliáque ab aliis excerpſit, hominíque opportunè inſeruit, atque in loco, ſimulacrúmque hominis collatiuum abſoluit. Vix luteus homo viuere primùm cœpit, cùm ei ſtatim neſcio quæ ſternutandi cupido animo inceſſit; credo, quia humoris aliquid è recenti luto cerebro inſederat. Ergo bis térve capite minatus, ſternuit denique tanto cum tonitru (illa enim prima omnia longè maiora fuêre, quàm hæc noſtra) vt animantes, quæ circum erant, eo fragore perterritas reíque ignaras huc atq; illuc abegerit, ac longè latéque præcipites fugauerit. Tunc enimuerò Prometheus, vt erat acuto vir ingenio, intellexit in cæteras animantes imperium hominis, quippe qui vnus omnes nutu ſonóque perculiſſet ac fugaſſet, ſtatímque hominem Regem omnium ſalutauit. Ex quo deinde factum, vt quoties ſternueret quis,

Promethei figmentum.

Homo quid ab animantibus habeat.

Vnde fluxit origo ſalutandi ſternuentem.

quis, quaſi ob inſtaurativam memoriā eius ſternutamenti, quo hominum primus imperium cepit, eum ſaluere gratulabundi iubeamus. Hæc vbi abſoluit Fannius; Dicis tu quidem aliquid, inquit FABVLLVS, ſed rei cauſā tentabundus potiùs petis, quàm attingis. accipe à me medullam veri. Finxerat ex humo hominē Promotheus (niſi nos Poëtæ fallūt) cùm è veſtigio impetrat à Minerua tutelari Numine, vt ſpatiari ſibi pauliſper liceat inter ſydera. Habebat ille occultatam ſub pallio ferulam, quam, vbi acceſſit ad Solē, illicò protulit, admouítque ad publicum ignem, atque accēdit, ſtatímque inde ſe proripuit cum accēſa face, & multò, quàm aſcēderat, celeriùs deſcendit: aiūt enim eum, qui ex alto cadat, facere viæ compendium. Cùm terras attigit, rectà ad ſuum hominis figmentum: quod animæ plenum reperit, eíque flagrantem igne ferulam in manū tradit. ille, vbi facem accepit, calefacto, vt opinor, capite ab eo igne, qui vt erat Solis, ita ſternutamēta proritare ſolet, validè ſternutauit, ſimúlque inopinato illo afflatu, & aſperſione facem extinxit. Nimirū perculſus tam repētino caſu Prometheus, præ dolore atque ira, quòd videret ignem atque operam ſe perdidiſſe, parùm abfuit, quin ſublatum è terra ſaxū in hominis ignauiſſimi caput excuteret: feciſſétque, niſi ille idē qui extinxerat, altero ſternutamēto (comitata hæc enim eſſe ſolent, quærítque ſapienter Ariſtoteles, cur bis plerunq; ſternuere ſolemus) ſemimortuā facē vehementi ſpiritu fortè ſuſcitaſſet, ac reſtituiſſet. Tunc verò Prometheus gratulatus eſt homini recuperatam lucem, & ſternutamētum (recuperationis cauſam) veneratus

Promethei furtum.

Sect. 33. Probl. 19.

Mos ſalutandi ſternuentem vnde.

ratus

ratus eſt ipſe, & omnis ab illo poſteritas imitata eſt. Sic ille. At LEMNISCVS; Nugæ ac folia, inquit, niſi hæc addatis: Prometheus hominem finxit, ex eiúſque ſternutamento originem ſalutandi in poſteros propagauit. Vero veriora hęc dixiſtis: vna in re aberraſtis ambo, ego in viam reuocabo. Sternuit is quidem ex argilla fictus homo, nó tamen quia humeſceret ei pluſculum, aut incaleſceret caput, ſed aliã ſanè ob cauſam, quam verbo expedio. Nondum opus planè abſoluerat artifex, illúdque veluti caſtigaturus ex interuallo contéplabatur, vti fit, à frõte, à tergo, à latere, cùm animaduertit naſum exſiccata contractáque argilla paululùm receſſiſſe, aliquo aliquantò breuiorem, quàm ſagacem hominem deceat, apparere. Quare in ampliorem formam redigẽdum cenſuit; dúmque figularem cretam retractat, ac naſum liberaliter producit, fortè venulam inter nares, per quã ſpiritus permeat, imprudens tetigit, ac ſternutamentum continuò prouocauit. Verùm tanta ille vi ſternuit, vt dentes (quia nondum firmiùs adhæſerãt) ad vnum omnes excuſſerit, expuerítque. videlicet exanimatus ea re Prometheus, illicò exclamat; TIBI Iupiter adſit. quam opem, quemadmodum tunc implorauit, ita in poſterum eidem ſternuenti ob metum, ne eadem calamitas rurſus accideret, repetere conſueuit, tradidítque nobis veluti per manus hunc morem, vt iiſdem verbis, DII te adiuuent, ſternuenti præſtò ſimus. Quamobrem vides, opinor, Fanni, cur heſterna die auum tuum ſenem Acheronticum non ſalutauerim ſternuentem: in quo tu me inurbanum, aut ſeueri hominem ſupercilij pro tua humani

Promethei hominis inſtauratio.

Vnde ad nos peruenerit mos ſalutandi ſternuentem.

manitate interpretatus es. Quid enim Deos fruſtra fatigarem, cùm nihil edentula iam ſeni timerem ab eo ſternutamento, quod in homine quid ageret, quóſve dentes excluderet, nō habebat? Vix ea Lemniſcus: cùm emiſſæ in Theatrum feræ aliò repentè oculos mentéſque omnium tranſtulêre. Et vos quoque, Auditores, à fabula & ioco transferre animum ad Poëticam, & Auguralem cauſas, quas veſtræ in me audiendo liberalitati poſtremas hodierno die reſeruaui. Senes ſternuentes cur non ſalutandi.

Quarta à POETIS petenda eſt cauſa. Etenim Homerus, Quarta cauſa.

———à quo, ceu fonte perenni,
Vatum Pieriis ora rigantur aquis, Ouid. de mor. Tib.

exiſtimauit, è ſternutamento præſenſionem elici ſecundam & fauſtam, nimirùm inimicorum inſidias breui detegendas, ac retorquendas in earum authores. Id Poëta docuit in Odyſſea, cùm Penelope poſt recenſitas iniurias ſibi à Procis illatas, hæc addit: lib. 17.

Εἰ δ' Ὀδυσεὺς ἔλθοι, καὶ ἵκοιτ' ἐς πατρίδα γαῖαν,

& cætera, quæ tranſlatis è Græco verbis, ita ſe habent.

At ſi Dulichius, quo non vſquam fuit alter,
Fortior in Danais, qualis bellator Vlyſſes,
Vtilis & diras, & clades pellere tectis,
Iam venturus erit contingens dulcia rura,
Prole ſua iunctus patriis fortiſſimus armis
Vlciſcetur, ait. Cùm ſternutauit in arce
Telemachus clarè: riſit Regina ſalutans Telemachi ſternutamentum.
Omen Penelope, ſubitóque hac verba ſubulco
Addit. Ades Paſtor, celera, reuocetur vt hoſpes
Quamprimùm, anne vides ad ſingula dicta ſonorè

Ster

Sternutaſſe mihi natum? ergo turba Procorum
Cæſa omnis, ſed non incerta morte iacebit.

Inſidiarũ ſignificatio.

Ita Homerus, qui ſicut diſciplinas, artéſque, ac ritus propemodũ omnes edocuit antiquitatem, vt ſcribit in Homero Plutarchus; ſic hiſce verſibus author fuit, vt vulgò exiſtimaretur, ſternutamento arcanam ſignificationem ineſſe aduersùs inſidias ac dolos, crederetúrque, ſi inter loquendum de inimico, ſternutamentum cuiquam excideret, eum omni fraude ſuperiorem eſſe futurum. Cuius moris haud ignarus is, qui naturæ arcana auidiſſimè indagauit, Albertus Magnus ſcriptum reliquit, huiuſmodi reſpirationes apud homines commentitia & vana mirantes duarum rerum ſignum eſſe alterum, argumentum afferre veritatémque cõciliare dicto, cui ſternutamẽtum interueniat: alterum, eum qui ſternuit (præſertim ſi ſternutamẽtũ repetat) breui liberandũ eſſe ab iis, quibus premi videbatur, anguſtiis inimicorum metu. Atque hinc apud veteres conſuetudo induci cœpta eſt, vt ſternuenti propitios præſentéſque Deos implorarent; nempe vt ſi quid ſupereſſet periculi, quod eius capiti immineret ab hoſtili fraude, ea precatione penitus auerteretur.

lib. 1. de An. c. 8.

Quinta cauſa.

Supereſt AVGVRALIS cauſa, quæ huic, qua de agimus, cùm ſimilitudine, tum loco proxima eſt. Et ſternutamentum quidem inter Auguralia fuiſſe ſigna Ariſtoteles, ac Tullius, ille in animalium Hiſtoria, hic in Diuinatione authores ſunt. Nec deſunt qui affirment, propterea dici interdum Græcis ſternutamentum ὄρνιν, qua voce & auis, qua concipitur augurium, & ipſa diuinatio ſignificatur, quia non minùs ſternutamentis,

lib. 1.
lib. 2.

quàm

quàm auibus auguria ſæpenumero captarentur. Hinc illa Veterum religio; ſi mane ſternuiſſent, ominoſum putabant, credebántque irritos fore conatus rei, quam eo incepiſſent die, côtrà, ſi ſternuiſſent à meridie, feliciter euentura omnia ſperabant: cuius inueſtigat cauſam in Problematum quæſtionibus Ariſtoteles. præterea exaudire ad dexteram partem ſternuentem quempiam, felix omen habebatur, triſte ad læuam. Sic Euſtathius obſeruat Iliados ſeptimo, ſic animaduertit Interpres Theocriti in Edyllium, cui titulus Thalyſia. Sic THEMISTOCLI ante naualé pugnam in prætorio ſacrificanti, *clara*, inquit Plutarchus, *ex hoſtiis flamma repentè fulſit, & bonum omen ſternutamento à dextera parte datum eſt.* Imò qui non aliud fuiſſe aiunt celebrem illum, multorúmque diſputationibus nobilitatum Socratis GENIVM, quàm ſternutamentũ; opportunè rem noſtram explicãt. Legimus enim, Socrati quidpiam agere meditãti ſi dextrorsùm aliquis fortè ſternuiſſet, lætum ea re Socratem, ſolitũ fuiſſe cõferre tũc ſe ad agendũ: ſi ſiniſtrorsùm, Genio ita ſignificante, reſtitiſſe atque ceſſaſſe. quin etiam ipſius ſternutamentum Socratis ſi obueniſſet ei aliquid acturo, cõfirmaſſe eius propoſitum: ſi agenti, inhibuiſſe. Nec alia legendum interpunctione Catullum puto de Acme atque Septimio, quàm vt ad approbationem dextram referatur, dum ait:

Obſeruatio tẽporis & loci in ſternuendo.

Sect. 13. Probl. 11.

In vita.

Hoc vt dixit amor, ſiniſtra vt antè,
Dextra ſternuit approbatione. Car. 46.

Sed præter hæc duo, tempus inquam, & locum in quo ſternutamentum ederetur, video nihil certi in eo poſitum fuiſſe: imò animaduerto

ſter

Sternutamentum omen anceps.

Obſeruationes ridiculæ.

ſternutamentum apud Veteres omen ANCEPS ac medium habitum eſſe:neque ex augurali diſciplina planè patuiſſe,proſperéne aliquid,an improſperè portenderet. Si quis conuiuatum dum fercula remouebātur;aut mēſa tollebatur, fortè ſternuiſſet, inter dira habebant, atque ad exitium quod portenderetur auertēdum, menſam iterum afferri iubebant,atque epulatum aliquid reguſtabant, ne cōuiuium tam diro omine deſitum videretur.

lib. 1. de doctr. Chriſt.

Quin etiam,vt D. Auguſtinus refert,Veteres mane ſurgentes è lecto, ſi dum calceum induebant, ſternutamentum obtigiſſet,confeſtim lectum repetebāt,vt auſpicatiùs ſurgerēt, infortuniúmque eo die fortè ſecuturum euitarent.Repetite animo, Auditores,id quod Herodotus ſcribit in Erato de

Lib. 6.

Dens ſternutamento excuſſus quid ſignificauerit.

HIPPIA Piſiſtrati filio. Hic, dum milites ſuos in hoſtilem terram egreſſos impigrè ſapientérque diſponit, ſternutamento ſolito vehemētiore dentem expuit, quem cùm iuſſiſſet ex arena ſuſtolli, nec tamē vſpiam diu multúmque cōquiſitus appareret;ſuſpirās Hippias;Hęc terra,inquit,noſtra nō eſt,milites,nec eam nobis ſubiicere vlla armorum vi poterimus, ſed tantam in ea partem obtinebimus,quantam dēs modò excuſſus tegit.Quid

Front.lib. 1.c.11.

Gubernator Athenienſium claſſis?quæ in Corcyræos dimicatura vix ſoluerat è portu, cū ille ſternuentem ex remigibus neſcio quem fortuitò audiuit,tantóque metu correptus eſt, vt tanquam ſi inauſpicatò ſoluiſſent,receptui canere ſtatim cœperit:recepiſſéntq; ſe in portū, niſi TIMOTHEVS

Quantùm ominis olim in ſternutamento.

Imperator contempto fortiter augurio, augurem meticuloſum obiurgaſſet; *Miraris*, inquiens, *è tot hominum millibus vnum eſſe, cui caput humidius ſit?*

Non

Non ita in Græcorum concilio traducta res eſt: in quo dum XENOPHON verba faceret, ſternuit ex aduerſo militum vnus, ſtatímque felix omen accepêre omnes, ac ducem Xenophontem auſpicatò crearunt. Agnoſcitis igitur, Auditores, ſternutamentum medij ancipitíſque ominis fuiſſe, & modò ſecunda, modò aduerſa præmonſtraſſe. Quare cùm ex Augurum diſciplina non perpetuò conſtaret, quæ fauſta, quæ ominoſa ſternutamenta forent; factum eſt vt Veteres plus nimio ſuperſtitionibus obnoxij, rem dubiã atque vtroque trahentẽ exiſtimauerint bonis eſſe verbis adiuuandam, atque ad auertendã ſi qua immineret capiti cladem, Deorum auxilium ſibi aliíſque ſternuentibus implorarent. Dicebat Xenophon apud milites ſuos, atque ambigebat, ſatiúſne foret, vt ſe vltrò barbaris dederent, an potiùs iniurias ab iis acceptas præſenti animo vltum irent? cúmque in hanc partem Xenophon inclinaret, adderétque ſperare ac polliceri ſibi victoriam, ſi confirmatis paulùm viribus apertè bellum hoſtibus indicerent; ſtatim neſcio quis è concione ſternutauit, quo omine audito cuncti milites ad terram abiecti Deum venerati ſunt. tunc Xenophon intentus in occaſionem dimicandi, *Quoniam*, inquit, *viri fortiſſimi, dum verba de ſalute facimus, nobis ab Ioue omen extitit, eidem Deo votum nuncupandum pro communi ſalute cenſeo: quare, cui videtur idem, manum tollat; ac manum quidem omnes ſuſtulêre, votóque nuncupato Paana cuncti cum plauſu citarunt.* Vſque adeò vnius gregarij militis ſternutamentum ad rem pertinere publicam arbitratæ ſunt Græco-

In Cyrõ min. lib. 6.

Sternutamenti indicio bellum ſuſceptum.

In Cyro min. lib. 3.

Sublatæ manus indicium.

rum copiæ, atque vt omen illud feliciter caderet, precibus votíſque à Deo popoſcerunt. Hanc igitur Veterum conſuetudinem ita excepêre conſecutæ tunc ætates, vt hanc ipſam ob cauſam ad ſternutamenta ſubiungerent ſolemne precationis carmen. Certè ſuo æuo idcirco ſalutari ſolitos ſternuentes indicat Plinius, eo quem initio laudaui loco, quòd vulgò crederetur, ea ſalutarium religione verborum omina fortunari. In Chriſtianorum porrò mores immigrauit ea precatio, retentáque eſt non augurij, ſed officij causâ: & vt illi ad omen auertendum, ſic nos omnium ſecuri ad ſalutem implorandam officioſa hæc obſequia & ſalutationes ſapientiùs ſanctiúſque tranſtulimus.

Expoſui hactenus, Auditores, quæ mihi dicenda conſtitui de conſuetudine ſternutamenta ſalutandi: quæ ſi priuatim meos apud Rhetores ſolus cum ſolis voto dixiſſem meo; equidem nonnullam (quid enim diſſimulem?) in re præſertim noua laudem expectaſſem. At verò in hac luce doctrinæ, in hoc flore nobilitatis, apud vos omnis eruditionis genere præſtantes Viros, quos hîc intueor ſanè plurimos, ſi veniam condonationémque pro veſtra humanitate retulero, ego quidem operam hodiernam haud malè poſui.

Finis Libri Tertij, & Vltimi.

INDEX

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX RERVM ET VERBORVM, QVÆ IN HIS PROLVSIONVM Academicarum libris continentur.

A

ACADEMIÆ Romæ reſtitutæ. 277
Academicorum exercitatio. 278
eorundem factiones in veterum Poëtarum iudicio. ibid.
Inuentum dirimendæ controuerſiæ. 280
Pompa Poëtarum Academiam adeuntium feriis Bacchanaliorum. 281
ſecunda eorundem pompa. 299
Academici Furfurarij. 333
Acumina ſententiarum. Vide *Sententia.*
Adoleſcentis pertæſi mores priſtinos deſcriptio. 383. ad 385
Adriani moles. 320
eiuſdem ludi miſſilium flammarum. 321
Adulatores Principum. 334
Æmulationis vis. 310
Ætatis noſtræ faſtus. 289
Vide *Tempus.*

de Affectionibus animi diſputatio cui pernecesſaria. 15.16
eorum deſcriptio. 180
Affectus an eſſe poſſint in ſacris argumentis. 145
Agri deſcriptio. 110
Agri infortunia. 387.388
Agrippæ vituperatio. 49
Albertus Magnus. 408.416
Alchimia. 248
Alchimiæ mira effecta. ibid.
Alexander Burgius. 276
Alexandri Magni laus. 164
Allegorias quas fugiant iuuenes. 84
Alphonſus Cartheiæ obſeſſæ Dux. 303
eiuſdem facinus aduersùs filium. 304
eiuſdem præconium. 305
Alpium deſcriptio. 224
Amores duo apud Platonem. 145
commendatio cœleſtis Amoris. 146
cur cœleſtis Amor multis non ſapit. ibid.
quid agendum cum iis quibus cœleſtis Amor minùs ſapit. ibid.
ex Amore ſacro quantũ excitare poſſit homines Poëſis. 151
vis Amoris cœleſtis. ibid.
qualis Amor cœleſtis. 153
Amor in Patriam ſingularis 305
pluuiæ ſimilis. 384
Andreas Naugerius. 383.384
infenſus Martiali. 278
infenſus Statio. 279
carmina ſua comburit. ibid.

Animo

Animorum concitatio. 16.180
Apollonius Tyanæus. 60
Archipoëta. 291.292
eius pompa ad Academiam contendentis. ibid.& 302
corona eiuſdem & acclamatio. 292
ſubitarium ingenium. 320
ſtylus eiuſdem. ibid.
de Archipoëta iudicium. 321
Architecturæ leges. 116
Arcturi Ducis res geſtæ. 197.ad 199
Arcturi ſtellæ exploratio. 398
Argumentorum tractatio poſtulat ingenij vim. 12
quantùm artificij ſit in profanis Argumentis. 147
Argumentorum tractatio quanti facienda. 165
quid in tractatione Argumentorum cauendum. 166
Ariſtoteles balbutiens. 79
eiuſdem de Homero iudicium. 118
Armamentarium Cæli. 140
Ars dicendi ciuitatum commodis vtilis. 25
vitia cum bonis Artibus ſubcreſcentia. 26
Artium finis. 67
an Ars pernicioſa hominũ bono Ars ſit. 103
propter quid conſtituta. 104
Ars abſque fructu quid. 105
Artis opera quæ. 106
iudicium doctorum virorum de Arte. ibid.
quem finem habuêre Artium inuentores. 104
à ciuium commodo an ſeparari queat. ibid.
Artis negligentia apud Tullium quæ. 169

Digitized by Google

Artifex malus qui appellandus. 68
Auari deſcriptio. 376.377
Auari cuſtodia ridicula. 381
differendi modus cum Auaro domino. 391. ad 393
Auaritia. 312
Eius finis inſania. 381
Auguſti prudens monitum de non propagando Imperio. 55
Authoritatis venenum. 268

B

BAiulus è ſaxo fabrefactus. 386.387
& Baiulorum deſcriptio. ibid.
eorum ſalutationes. ibid.
cuius rei ſimiles. ibid.
Balthaſar Caſtilionius. 282.300
Barbarici concio ad milites. 228
eiuſdem mors. 229
eiuſdem præconium. ibid.
Baronij Card. querela in Ludouicum Arioſtum. 154
Bellatoris glorioſi deſcriptio. 375
Beneficentia non intermittenda. 397
Bibliotheca Parnaſſi. 333.334
ratio admittendorum in eam librorum. ibid.
plura vide in *Libri.*
Boni malíque ſcripti in Iouis tabulis. 398

C

CÆſaris laus. 222
cum Calumniatoribus quid agendum. 265

Eorum

eorum deſcriptio. 267
ratio agendi cum iis. ibid.
Camillus Quernus, Vide *Archipoëta*.
de Cantabri Comitis errore hiſtoria. 360
ruſtici dictum de eodem. ibid.
Capitolini finis Tragicus. 267
Caput cur olim ſacrum. 407
Certaminis ſingularis deſcriptio. 313. 314. Vide *Prælium*.
Chryſomagnes. 311
Ciceronis laus. 164
quanti fecerit Cicero Latinam dictionem. 165
eius ſermo gradarius, non præceps. 162
de orationis profluentia quid ſenſerit. 166
ſententiarum acumina apud illum. 170. ad 174
Plura in *Oratio, Orator, Hiſtoria, Stylus*.
Circulator Agonalis. 175
Eius merces. ibid.
eiuſdem callida cogendæ concionis via. 176
Citharœdi & Philomelæ deſcriptio. 308. ad 310.
Ciues non boni inter hiſtoricos. 28
pars ciuitatis ciuis. 31
duplex ciuium conſideratio. 32
qui malus ciuis. 38
Ciuitas hoſtilis quo tempore non inuadenda. 258
Eius inuadendæ occaſio. ibid.
res priſtinæ quatenus mutandæ in Ciuitate. 261
Claudiani deſcriptio. 282. 300
ſtylus eiuſdem. 308

de eo iudicium. 310
Clemens VIII. 273
Clypei triplicis poëtica molitio. 140
Comœdia cur inuenta. 115
Conciones quomodo hiſtoricis ſcribendæ. 226
Concio Barbarici ad milites. 228
Coniecturæ. Vide *Tacitus.*
Conſcientia. 365
Conſilia media rarò ſalutaria. 269
in re ancipiti quæ Conſilia ſequenda. ibid.
Cornelius Tacitus. Vide *Tacitus.*
Crepitacula ſulphurei pulueris. 320.329
Curiæ Poëtarum deſcriptio. 326.327
Curioſitas aliquorum damnanda. 194
Cypriæ puellæ facinus memorabile triplici ſtylo narratum. Hiſtoricè. 236
Oratoriè. 238
Poëticè. 240
eiuſdem puellæ præconium. 238.240.244

D

DEmoſthenis calamus. 156
Deſperatione inſtauratæ vires. 258
Diſciplinæ diſcentibus noxiæ. 76
Diſcordias tollendi principium vnde capiendum. 264
Doctrinæ diſſimulatio. 390
Dominatus vnius quid commodi habeat. 250
plurium quid commodi habeat. ibid.
Domus & carminum molitio. 113
Domus deſcriptio. ibid.
Ducis optimum conſilium. 259

Elocu

E.

ELocutio ſola non facit Oratorem. 12
Latinæ elocutioni quantum tribuendum. 165
Eloquentiæ vis. 17
Eloquentia tripartita in Menelao, Neſtore, atque Vlyſſe. 160
Eloquentiæ decrementa quando cœpêre. 163
quæ via eius recuperandæ. 264
Plura vide in *Oratio, Orator, Rhetorica, Stylus.*
Eloquentis opera quantum proſit ciuitatibus. 19
Epopœia quid. 114
Equi Platonici animas vehentes. 149.150
Equus ſuperbè incedens; 281
Equus gradarius. 282
Equulus agitatus. ibid.
Equus refractarius. 383
Equi triumphales. ibid.
Euphraſiæ ingenioſum conſeruandi pudoris inuentum. 152
Euripides quare in iudicium vocatus. 87
cur reprehenſus. 88
Exempla Principum. 87
quomodo Exempla fiant quæ eſſe facinora deſtiterunt. 95
Exempli vis. 228.318
Exercitus contumacis deſcriptio. 255
Exercitus reconciliatio. 257
laſciuiens Exercitus. 263

Exitus difficilis deſcriptio. 33
Expilatores veterum Poëtarum. 339

F.

FAbula quid ſit. 136
eius virtutes duæ. ibid.
nouitas Fabulæ rara in profanis. ibid.
vſurpatio veterum Fabularum non magni ſpecimen ingenij. ibid.
nodus in Fabula. 142
quomodo ſoluatur in rebus profanis. ibid.
quomodo in rebus ſacris. 143
Poëticæ fabulæ cur inuentæ. 112
edicta de tabulis Fabuliſque obſcœnis. 124
Plura vide in *Poëſis, Poëta, Imitatio.*
Facultates Theoricæ & Practicæ. 67.68
Fati nomen. 366
Felicitas breuis. 365
Fictor cerarius. 333
mira eius in fingendo celeritas. ibid.
cerarij & Poëtæ comparatio. 338
Fides in hominum ſocietate neceſſaria. 32
quid adiumenti habeat Fides in aliquorum hiſtoriis. ibid.
Fidei moneta. 34
Filij à parentum poteſtate diſcedentes. 384
Fontis deſcriptio. 214
Fortuna apud Superos quomodo appelletur. 138
in bonis diſtribuendis quæ eius ratio. 139
Fortunæ nomen. 366
Franciſcus Bencius Dialogi perſona. 183
eius laudes. 185
Glo

Digitized by Google

G

GLorioſi hominis appellationes. 375.411
Gregorius XIII. 173
Guiniſiorum villa. 169

H.

HErcules Strozza. 282.301
Heliodori Æthiopica. 123
Heros quid ſit. 86
quid virtus Heroica. 114
Heſiodi pœnæ apud inferos. 119
Hieronymus Card. Alexander. 277
Hieronymus Alexander Iunior. 379
Hieronymi Amalthei laudes. 276
Hieronymus Magius. 353
Hieruſalem vnde dicta. 47
Hippolyti caſtum dictum. 129
de Hiſtoria iudicium. 25
ab ea quid aliqui peruersè colligant. 26
Hiſtoria à quibus fiat mendoſior. 27
lectores vates reddit. 34
veritas in Hiſtoria neceſſaria & qualis. 40
cur Hiſtoria dicta vitæ magiſtra. 38
cur dicta imago rerum. 84
vnde nomen accepit. ibid.
diſcrimen inter eam & Poëſim. 52
Cyri vita à Xenophonte compoſita an ſit hiſtoria. 53
Hiſtoriæ nonnullorum noxiæ per ſpeciem

tradendæ prudentiæ. 61
duplex errantium claſſis in hiſtoria. 190
eius definitio. 187
finis eius duplex. ibid.
veritas eius virtus maxima. 189
comparatio regulæ cum Hiſtoria. ibid.
diſcrimen inter Annales & Hiſtorias. 202
ſimilitudo Philoſophiæ moralis & hiſtoriæ. 203
eius initia quæ. 204
quæ ſpecies. 217
de ornatu Hiſtoriæ quid cenſeant aliqui. 224
eius munus. 247
quando ornari ſe patitur hiſtoria. 225
iudicium antiquorum de ea. 235
veteris Hiſtoriæ lex. ibid.
Plura vide in *Hiſtoricus, Stylus, Tacitus.*
Hiſtoricus quid mutuetur à Poëta, ab Oratore, & à Philoſopho. 39
an qui coniecturales ſcribunt Hiſtorias boni ſint hiſtorici. 38
an ij quidquam peccent in Hiſtoriæ legibus. 39.
Hiſtorici qua ratione fidem faciant. 40
quæ lex eis propoſita. 49.86
politicorum Hiſtoricorum lectio quam pernicíem creet. 64
cur Hiſtoricis non licet fingere. 189
an omnia narranda. 190
an etiam turpia. ibid.
quale ſeligendum argumentum. 191

an liceat eis euulgare aliorum flagitia occulta. ibid.
turpia quando omittenda. 192
quando euulganda. 193
ius hiſtorici quale. 195
comparatio eius cum pictore. 196
figmenta aliquorum Hiſtoricorum. ibid.
iudicia & coniecturas an adhibere debeat hiſtoricus. 199.ad 204
præceptíſne, an factis erudiant poſteros. 202
quid ab eis narrandum, quid lectori relinquendum. 205
diſcrimen inter Poëtas, & Hiſtoricos. 206
Hiſtorici oratio quæ. 220
vitium aliquorum hiſtoricorum. 221
incultum aſperúmque dicendi genus an eis aptum. 230. Plura vide in *Hiſtoria*, *Stylus*, *Tacitus*.
Homeri laus. 83.91.415
quid ei detur vitio. 83
quàm cautè Heroas ſuos ſeparauit ab omni obſcœnitate. 87
de Homero iudicium. 118
reprehenditur à nonnullis. 119
eius pœnæ apud inferos. ibid.
quid amatorij in Homerica Poëſi. 82
an eius carmen vtrumque amatoriè ſit ſcriptum. 80.ad 82
Homo cui rei ſimilis. 383.384
Hominum verſutiſſimi qui. 395
Homo trium litterarum. 396
Homo quid à ſingulis animantibus habeat. 412

Homo multorum nominum. 358
eiuſdem deſcriptio. 359
ingentis & minimæ ſtaturæ. ibid.
breuis hominum felicitas. 365
Honos incitamentum rerum omnium. 265
Horatius Flaccus quæſitor librorum in Parnaſſo. 333
Bibliothecæ in Parnaſſo cuſtos. ibid.
eius teſtimonium de ridiculo Plautino. 355. 356
Horatij Turſellini dictum. 157
Horologij poëtica deſcriptio. 215
Horologij ſolarij deſcriptio. 352
Hortorum deſcriptio. 214

I

IAcobus Sadoletus. Vide *Sadoletus.*
Ianus Parrhaſius. 283. 301. 303
Ignes per vrbem nocturni. 320
Ignea miſſilia tubuliſque ſulphurei pulueris. 321
Ignis Perſianus. 341
Imitatio quælibet an ſit finis Poëſeos. 71
Poëtica imitatio vtilitate metienda. 73
in veterum ſcriptis non omnia imitanda. 118
peruerſa nonnullorum imitatio cum Chamæleonte comparatur. 120
Imitationis poëticæ formæ. Vide in *Poëſis, Poëta, Obſcœna, Fabula.*
Imitatores vitiorum. 79. 120
Incendium nauigiorum atque hominum hiſtoricè deſcriptum. 236. 237

Orato

Oratoriè. 238
Poëticè. 240.241
Inductio aptiſſimum docendi inſtrumentum. 390
Infamia ſupplicium improborum. 122
Ingenio & memoria præſtantes. 8
an memoria cum Ingenio conſtet. ibid.
de Ingenio Oratoris quid ſentiendum. 11
argumentorum tractatio poſtulat Ingenij vim. 12
inuentio rerum eſt opus Ingenij. 13
munus Oratoris quod eſt delectare, an ſit ab Ingenio. ibid.
cur tranſlationes ſint Ingenij argumentum. 14
ſententia an ſit Ingenij ſignum. ibid.
tertium Oratoris munus, quod eſt mouere, quantum requirat Ingenium. 15
ab Ingenio quid iudicium differat. 18
hominis Ingenium. 22
Promethei fabula docet Ingenium hominum. 12
comparatio Ingenij cum generoſo vino. 26
Ingenij vbi ſpecimen. 148
extemporale Ingenium pueri. 214.215
Iniuriarum condonatio. 363
Inſignium leges poſtulantur. 345.356
Inſignium condendorum maxima exercitatio. ibid.
Inſtrumenti natura. 77
Inſtrumentorum bellicorum deſcriptio. 141

Inuentio rerum eſt opus ingenij. 13
Inuentionis partes & munera. ibid.
Iocus in naſum. 405
Iocus Ariſtophanis. 409
Ioca & ſcommata. 338
Ioſephi Hebræi laudes. 47.57.58
quando ſcripſit. 57
eius ſcripta Bibliothecæ publicæ tradita. 47
Iouianus Pontanus. 281.300
Iudæi vnde dicti. 47
Iudæorum origo. ibid.
Iudicium quid ſit. 18
ab ingenio quid differat. ibid.
conſultatio quatenus opus habet Iudicio. 19
Iudicio Oratoris ampliſſimus campus. 22
ſuaſio cur magno egeat Iudicio. 20
Iuditha. 152
Iulius Strozza. 347
Iuſtus Lipſius. Vide *Tacitus*.

L

LAbor hominis inſanus. 110
Laboris & quietis vices. 185
Laurentius Cenamius. 167
Legumlatores quare Poëtis vtantur. 76
Leonis X. mors. 209.& 211
eiuſdem elogium. ibid.
amor erga Poëtas Academicos. 277
humanitas erga Poëtas. 298
idem in ſpecula meditantes Poëtas audit. 302

Libri

Libri & liberi parentibus ſimiles. 97
quantum malorum vno in Libro. 127
finis nonnullorum Librorum. 332
de Libris in Parnaſſi Muſæum non admittendis. 333
quò deſtinandi aliquorum Libri. 334
ex admiſſis Libris in Parnaſſi Bibliothecã deterrimus quomodo plectendus. 335
quomodo periculum faciendum de nõnullorum furtis. 340.341
Plura vide in *Bibliotheca*.
Littera longa apud Plautum quæ. 377
Litteræ ſacræ. Vide *Sacra*.
Litterarum trium homo. 395
Liuij commendatio. 247
an poſthabendus ſit Tacito in ciuili doctrina. ibid.
Liuij, & Salluſtij comparatio. 225
Lucani deſcriptio. 301
eius ſtylus. 303
de eo iudicium. 305
Lucretij deſcriptio. 282.300
ſtylus eiuſdem. 306
de eo iudicium. 307
Lyricorum initia apud quos. 115
qui finis eorum. 116

M.

MAffei laus & eiuſdem nota. 223
Magnes. 306
cur ferrum aut aurum trahat. 312
Mali quò amandandi. 388
Mali ſcripti in Iouis tabulis. 398
Manu

Manumiſſionis inſignia. 394
Marius Tragicæ fabulæ argumentum. 366. ad 372
mirum de Mario facinus. 368
Marij reſponſum. 369
Martialis malè acceptus à Naugerio. 278
de Mathematica iudicium. 26
Mediolanum captum. 208
Medicus an in conficiendo veneno & propinando bonus ſit Medicus. 73
Memoriæ deſcriptio. 6
præconium eiuſdem. 7
vis Memoriæ duplex 9
Memoria valet Orator. 6
an Memoria cum ingenio conſtet. 8
Memoria & ingenio præſtantes. ibid.
diſcrimen Memoriæ & reminiſcentiæ. 10
oſtenſio Memoriæ. ibid.
Myoparonis deſcriptio. 242
Momus in Poëtarum Senatum introductus. 239
Momi libelli. 330
Mores ætatis, fortunæ, & nationum. 22
ludionum & circulatorum Mores. 71
Mores peruerſi ex impudica lectione. 95
Mores mali vbi ſerendi. 388
Morum varietas vnde. 311
cur aliqui durioribus Moribus. ibid.
Mortis admirandæ genera. 401.402
Motus animorum acres & lenes. 163. Vide *Affectus*.
Multitudinis iratæ voces aduersùs Principem. 261
Majeſtas inermis non exponenda multitudini inſolenti

inſolenti. ibid.
cum incitata quomodo agendum. 262
iratæ aliquid permittendum. 263
diſtrahendæ ratio. ibid.
anceps eius iudicium. 322
Muretus Dialogi perſona. 183
Muſica huius temporis. 287

N.

NAſi magnitudo. 406
Naugerij ſolemne facinus in Martialem. 278
idem infenſus Statio. 279
Nauium prima. 344
Nodus in Catullo de prima naui. 345
Nauis & mulier. 364
Nicolaus Tuccius. 167
Nicoſia capta. 336.337.338
Nili incrementa notari ſolita. 204
Nobilium appellationes. 395
Nomina tria quid apud Iuuenalem. 394. ad 396
Nuntiandi aliquid abſentibus ratio abſque litteris. 306

O.

OBſcœnis in legendis adoleſcentium temeritas. 125
Obſcœnus liber veneno nocentior. 127
cum Syrenibus Obſcœni Poëtæ comparantur. 120
aſylum impudica ſcribentium. 84
Obſcœna qua cautione narranda. 88
quantùm obſint Obſcœna ſcribentes. 150
Plura in *Poëſis, Poëta, Imitatio.*

Octauius Corſinus. 402
Officioſæ concertationis deſcriptio. 327.328
Orationis exaggeratæ vitia. 289
quæ apta ad faciendam fidem. 161
de Orationis profluentia quid ſentiendum. 165
quid ſenſerit Cicero. ibid.
quæ Oratio omnium optima. 180
Oratio argumentis conſtans. 162
genus dicendi ſeuerum ac triſte. 166
artificium Orationis ſuſpectum. 221
comparatio Orationis compoſitæ cum vinis permiſtis. ibid.
veteris ac ruinoſi templi cum rudi Oratione comparatio. 231
picturæ & Orationis ſimilitudo. 233
veſtis & Orationis ſimilitudo. 284
granditas & tumor Orationis. 288
Plura vide in *Orator*, *Eloquentia*, *Stylus*, *Rhetorica*.
de Oratoribus nonnullorum aſſertio. 3
quid tribuant, quid adimant Oratoribus aliqui. 5
memoria valent. 6
de ingenio eorum quid ſentiendum. 11
cauſidicus & Orator. ibid.
triplex munus Oratoris. ibid.
non eſt totum eius munus ornatè & eleganter dicere. 12
ſola elocutio non facit Oratorem. ibid.
de affectibus animi diſputatio perneceſſaria Oratoribus. 15.16
de Oratoris iudicio quid ſentiendum. 18
præ

præ cæteris ad conſultationem admittũtur. 20
induſtria qualis. 21
Oratoris cum Philoſopho comparatio. ibid.
ampliſſimus Oratoris iudicio campus. 22
maius prudentiæ ſpecimẽ Orator quàm Philoſophus oſtendit. 21
omnium delectus, atque ſolertia decet Oratorem. 22
eius maximè proprium decorum. 23
cum variis nationibus ei variè agendum. ibid.
finis Oratoris, & duplex ad eum via. 161
contrariæ Oratorum claſſes duæ. 162
vetus inter Oratores diſſidium. 163
Oratores aliqui circulatorum ſimiles. 176
Oratoris dictio qualis. 179
iudicium perfecti Oratoris. 180
Oratori quare additus in foro Romano fiſtulator. 287
Plura vide in *Oratio*, *Eloquentia*, *Rhetorica*, *Stylus*.
Ouidij deſcriptio. 281.301
ſtylus eiuſdem. 311
de eo iudicium. 312

P

Paraſiti dictum. 358
deſcriptio eiuſdem. 382.383
eiuſdem mater. ibid.
Parnaſſum refert Rupes in aquis ſe ipſa mobilis. 299.300
Parnaſſus cur ſex rotis mobilis. ibid.
quam Parnaſſi partem Poëtæ ſinguli obtineant. 300.301
Paulus V. 171

Pax difficilior bello. 251
Periodus hiſtorica. 220
Periurij vindices Dij. 87
Petrus Bembus. 282.301.305
Philomelæ,& Citharœdi deſcriptio. 308. ad 310
Philoſophi cum Oratore comparatio. 21
minus prudētiæ ſpecimen Philoſophus quàm Orator oſtendit. ibid.
Philoſophiæ moralis ſimilitudo,& hiſtoriæ. 203
Piſtores quando Romæ cæperint. 351
Piſtor Suburranus. 400
Pius V. 172
Platonis ingenioſum commentum. 148
eius explicatio. 150
de Homero iudicium. 118
Plautus Senatu motus. 329
eius ſcurriles luſus aduersùs Ennium & Statium. ibid.
Plauti patria. 340
nomen Plauti. ibid.
tempus quo floruit. 350
eiuſdem vita & conditio. ibid.
Plautus piſtor. ibid.
eiuſdem mors. 351
Comœdiarū eiuſdem numerus. 352.353.354
in piſtrino aliquæ Comœdiæ ſcriptæ. 354
iudicium de Plautinis fabulis. ibid.
earum elegantia. ibid.
ridiculum earundem. 354
an Plautus ridiculo nimis indulſerit. 355
virtutes Plautinarum fabularum. 357
vis in Plautinis verbis. ibid.
in iiſdem varietas. 360

verberandi vox quot modis ab eo expolita. 360.361
Italorum oratio Plautinæ ſimilis. 362
cautio in vſu Plautinarum vocum. ibid.
ſententiæ Plautinæ. 363.ad 366
ſententiæ & ſales eiuſdem. 374
decorum in iiſdem. 375
diſputatio de Plautina littera longa. 377. ad 381
Poculum Cruce ſignari ſolitum in menſa. 410
Poëſis quo differat ab hiſtoria. 52
quid Poëſi obiiciant aliqui. 65
Poëſeos finis. 67
Poëſis quomodo Politicæ ſubiecta. 68
picturæ germana. 70
Dei afflatu cur egere dicitur. 71
finis intrinſecus qui,& qui remotus. 75
politicæ facultatis inſtrumentum. 76
impura an apta ciuium felicitati. 78
vtilitas poëticarum commentationum. 88
impudicè poëſim tractare haud difficile. 97
vtilitas, an voluptas ſit finis Poëſeos. 108. ad 110
quæ mala ab impura Poëſi importentur. 114
an formæ quatuor Poëſeos abſque vtilitate fingi poſſint. ibid.
quæ poëſis maximè à turpitudine immunis ſeruanda ſit. 115
impura Poëſis an officiat morum honeſtati. 117
cur vitæ ſpeculum, ibid.

virtutes vitiis longè plures in antiquis Poëmatibus. 119.120
quæ Poëſis impudica innocens ſit. 122
aurium iudicium in Poëſi magniſaciendum. 286
comparatio Muſicæ cum Poëſi. 288. Plura vide in *Poëta, Imitatio, Obſcœna, Fabula.*
Poëtæ cum annulis comparantur à magnete tractis. 72
Poëta medius inter Deum & homines. ibid.
architecti & Poëtæ par ratio. 73
quid impudici Poëtæ de imitatione ſentiant. 70
aliquorum execratio Poëtarum. 83.84
præcipui quique veterum Poëtarum pudicè ſcripſerunt. 84
dedecus aliquorum. ibid.
inſectatio turpium. 88
quomodo tractaſſent aliqui noſtrorum Poëtarum locos aliquot Homerici carminis. 89
nugæ ſordéſque impudicorum. 90.147
cur euitandi obſcœni. 97
de obſcœnis iudicium. 98
ad obſcœnorum fugam adhortatio. 99
cum inſaniente quodam ſene comparatur Poëta qui voluptatem tantummodo in carminibus ſequatur. 110
Poëtæ laudes. 111
magna Poëtarum capita falli etiam poſſunt. 118
circulatorum ſimiles Poëtæ obſcœna narrantes. 124

è ſacris

è ſacris litteris quàm multa deſumpſerint veteres Poëtæ. 133
Poëtarum munus. 136
querela de obſcœnis. 143
pœna Poëtæ ſacra ad obſcœna transferentis. 154
in obſcœnos obiurgatio. 155
impuri aliis perniciem creant. ibid.
Poëtæ de re, non de metro ſolliciti. 186
de metro magis quàm de ſententia laborantes. 288
quibus ſimiles Poëtæ. 294
turpium carminum conditores cum idolorum fictoribus comparantur. 297
Poëtæ tum veteres, tum noui, tum inter vtroſque. 327
pœna impudici Poëtæ. 408
furacium calliditas. 328
Poëtæ & Cerarij comparatio. 335
furta Poëtarum. 339
Poëtarum curia in Parnaſſo. 326. 327
diſcrimen inter imitatores & furaces Poëtas. 340
quid decretum in Parnaſſo cõtra furaces Poëtas. ibid.
Poëtis ſcabioſis medicina. 341
inuentum ad Poëtarum furta deprehendenda & caſtiganda. ibid.
Plura vide in *Poëſis*, *Imitatio*, *Obſcœna*, *Fabula*.
Politicum agere quid ſit. 31
Politici nomen olim laudabile, nunc odioſum. ibid.

qui Politici nomen odioſum fecerunt. ibid.
Politicorum Hiſtoriæ quæ ferant mala multitudini & vrbibus. 38
an proſint ciuitatibus qui ſe ciuiles ſcriptores vocant. 31
Politica præcepta. ibid.
Politica fraus. ibid.
artium Regina Politica. ibid.
Politicæ imperium in cæteras artes. ibid.
finis Politicæ cognatus Rhetoricæ. 76
Politica monita. 249. *vſque ad finem Proluſionis.*
Pompei Magni laus. 363
Pomponius ſecundus. 297
Populus optimus rerum æſtimator. 280
Populi iudicium cur magni factum. 296
Præcones edicta proclamantes. 147
Prælia potiſſimùm & conciones quomodo hiſtorico ſcribenda. 225
naualis Prælij deſcriptio. ibid.
Vide *Certamen.*
Principes optimi potiùs augent dignitatem quàm imperium. 56
Principum exempla. 87
Principum facta dictáve cum horologio comparantur. 216
varietas, an excellentia Principum plus conferat ciuitati. 170
exempla Regum Romanorum pro eadem varietate. 171
Romanorum etiam Pontificum. 172. 173
Princeps in nouo principatu quâ ſe gerat. 260
Probitatis gradus. 365
Prodigi & nepotes. ibid.

Digitized by Google

Promethei figmentum. 412
furtum eiuſdem. 413
Promethei hominis inſtauratio. 414
Prudentia quibus in rebus ſit. 20
Prudentiæ maius ſpecimen Orator quàm Philoſophus oſtendit. 24
Prudentiæ cauſæ memoria & vſus. 24
Prurigo ſcribendi. 331
Pudicitiæ præconium. 399
Vide *Virginitas*.
Puluinaris deſcriptio. 344

Q.

QVinti Curtij laus. 122
eiuſdem nota. ibid.
Quintilianus quid ſentiat de memoria & ingenio. 8
quid de ſententiarum acuminibus. 178

R.

REceptaculi ſulphurei pulueris deſcriptio. 242
Recitatores. 281.297
Recitantium proſopopœia. 290
Recitantibus quid acclamari ſolitum. 310 315.321.
Regni comparatio cum corio. 102
Religio inſtrumentum regendorum populorum. 37
abſque ea quo ſe modo gerat cum Principe multitudo. ibid.
quanti facienda ad rem militarem. 254
Religionis contemptores ignari militiæ. 253
Religionis cura Romanis ante pugnam, & in

in pugna. 254
poſt victoriam. ibid.
Religionis & modeſtiæ pulcherrimum argumentum. 255
Reminiſcentia quid ſit. 101
diſcrimen memoriæ & Reminiſcentiæ. ibid.
Rhetores olim ciuiles Magiſtri appellati. 19
Politici nuncupati. 65
Rhetorica cum omni hominum genere aliquid habet commercij. 2
vſus eiuſdem in ciuitate. 69
Politicæ ſoboles. 75
eiuſdem inſtrumentum. ibid.
Rhetorica trilinguis. 57
Plura vide in *Orator, Oratoria, Eloquẽtia, Stylus.*
Romani & Pœni à pluuia diſtracti. 143
cur Populus Romanus foris, quàm domi felicior. 252
Romulus quid in re Romana fundanda percenſuerit. ibid.

S.

SAcris è litteris quàm multa deſumpſerint veteres Poëtæ. 131
Sacris è rebus fabulæ nouitas quanta. 137
exempla tum inueniendæ fabulæ è rebus ſacris, tum nodi ſoluendi ex eiſdem rebus poëticè confictà. 143
Sacra ſuſſurantes ad obſcœna ſcribenda. 154
Sadoletus Academiæ Princeps. 279
Saltatoris peccata exſibilari ſolita. 160
Salluſtij laus. 212
eiuſdem nota. ibid.
Salluſtij & Liuij comparatio. 214

Satyræ aliquorum. 325
Seditionis ac torrentis comparatio. 262
quid remedij aduersùs creſcentem populi ſeditionem. ibid.
Seditionibus nobiles. 265
Senecæ argutum dictum. 287
Senis deſcriptio. 325
Sententia an ſit ingenij ſignum. 14.15
de Sentẽtiis dictorũq; acuminibus diſputatio. 167
quàm multæ huius generis Sententiæ reperiantur apud Ciceronem. 169. ad 172
icunculæ Belgicæ cum ſententiarum acuminibus comparatæ. 172. 174
iudicium de iis. ibid.
an ſint ingenij argumentum. ibid.
duplex in earum vſurpatione cautio. 175. 178
ſatietas ex nimio earum vſu. 177
Quintiliani iudiciũ ſuper hiſce Sentẽtiis. 178
Ciceronis teſtimonium de iiſdem. ibid.
an Sententiarum acumina recens inuentum dicenda ſint. 169. acumina ſententiarum ſecretiora an probanda in hiſtoria. 235
de iiſdem in Poëſi. 287
Sericum quanti olim erat. 289
Serui deſcriptio. 376. 385. Seruilium morum deſcriptio. ibid. Seruorum ſalutationes. ibid.
Seruius Tullus in Regum cenſu à Virgilio relictus. 344
Seueritate milites regendi. 255. qui apti ad hanc Seueritatem exercendam. ibid.
Seueritas ſine aliis virtutibus nulla. 256
Siluius Antonianus Dialogi perſona. 183
eius extemporale carmen. 185

idem

idem fidicen ſuper menſam. 214
vaticinatio futuri Principatus. 215
Soccus ante officinam penſilis. 291
Somni deſcriptio. 317
Spectaculis dum intereſt fœmina à dæmone corripitur. 128
Statij deſcriptio. 282. 300. ſtylus eiuſdem. 313
de eo iudicium. 316
à Plauto deluſus. 329
ei Naugerius infenſus. 279
Sternutamento mortuus. 400
Sternuentem ſalutandi mos vnde. 402
Sternuentium oſcitantiúmque mortes. 403
an ex hoc conſuetudo bene precandi. ibid.
quanto antiquior Gregoriano æuo mos hic fuerit. 403, ad 406
excitatum ſulphure ſternutamentum. 403
quinque cauſæ cur ſternuentes ſalutentur. 406
Sternutamentum Æthiopici Imperatoris. 407
quid Sternutamentum. 409
Sternutamentum indicium valetudinis. 408
eius cauſa. ibid.
vnde Sternutamenti ſonus. ibid.
Sternutamentum cur adorari ſolitum. 407. 408
cur proſit dicitur Sternuenti. 410
Sternuentes Cruce ſignari ſoliti. ibid.
Scurrarum colloquium de cauſis Sternutamenta ſalutandi. 411
quibus crebrò Sternuendum ſit. ibid.
qui Sternuentium ſalutandi ſint. ibid.
Promethei hominis primum Sternutamentum. 412

ſenes

ſenes Sternuentes cur non ſalutandi. 415
Sternutamento inſidias detegi olim creditum. ibid.
Telemachi Sternutamentum. ibid.
obſeruatio temporis, & loci in Sternuendo. 417
Sternutamentum ad dexteram, & ad læuam. ibid.
Socratis genium pro Sternutamento. ibid.
Sternutamentum omen anceps. 418
obſeruationes ridiculæ de eo. ibid.
dens Sternutamento excuſſus quid ſignificauerit. ibid.
quantum ominis olim in Sternutamento. ibi.
Sternutamenti indicio bellũ ſuſceptum. 419.
Strozzæ gentis laus. 313
Stylum cur facilè permiſcerent ſcriptores. 159
libera Styli permiſſio coërcenda. 160
Styli modum hiſtoricis præſcribere cur difficile. 182
libertas aliquorum in Hiſtoriæ Stylo. 183
Stylus hiſtoricus à poëtico, & oratorio ſeparandus. 217
Sadoleti diſputatio de Stylo poëtico. 284
quid Stylo conferat tempus. 287
controuerſia Poëtarum de Stylo poëtico. 297. 298. Plura in *Oratoria, Orator, Hiſtoria, Hiſtoricus, Poëſis, Poëta, Eloquentia, Rhetorica.*
Suetonius Tacito æqualis. 54
poſt Tacitum ſcripſit eúmque interdum tacitè redarguit. ibid.
Suetonij nota. 143
laus eiuſdem. 222
Taci

T

Tacitus an quid obſit Religioni. 28
Iuſti Lipſij de eo iudicium. 30
Annibalis Scotti. ibid.
varia fraudum argumenta apud eum. 33
eius interpretationes plerúmque in deteriorem partem immeritò prolatæ. 34.35
an eius coniecturæ opem ferant Principi in rerum adminiſtratione publicarum. 36.37
eiuſdem Hiſtoria quantùm habeat voluptatis. 39
an verax. 41
de eius veritate iudicium. ibid.
errata. 42.ad 46
quæ vix excuſanda. ibid.
cur Hiſtoriam ſcripſerit. 48
in eius coniecturis quantùm inſit momēti. 49
expenduntur aliquæ. 49.ad 59
redarguitur à Suetonio Tacitus. 52
eius ingenium. 55.58.61
adulationis arguitur. 59.60
dignitas familiæ Taciti à quo inchoata. 61
veriſimilitudinem ſpectatam nō veritatem. 53
eiuſdem coniecturæ. 202
ſtylus eiuſdem. 231
exempla dictionis poëticæ. 232.233
quid in illo commendandum. ibid.
iudicium de eiuſdem ſtylo. 234
Politicus præceptor. 247
Taciti ſtylo conformata narratio. 209.ad 212
Templum ſuper cæleſtes orbes Poëticè fabricatum. 137
Temporis index catena poëticè fuſa. 139

belli

belli paciſque tempora legibus muniēda. 251
Temporis vitium augentis omnia. 289
Terroris figuratio. 141
Theutillæ puellæ facinus & præconium. 317
Tiberij laus. 50.57
cur ei mos rarò Præſides mutare. 56
de hac re eiuſdem reſponſio & Apologus. 57
Titus Liuius. Vide *Liuius*.
Tragœdia cur inuenta. 115
in Tragœdos obſcœnos querela. 95
Tranſlationes cur ſint ingenij argumentum. 142
audaces & inuerecundæ. Vide *Oratio*. 293
Tormenta bellica. 320
Torquati Taſſi caſus. 333
Tubulorum fortuita conflagratio. 320
Typographorum querela. 331.332
quid pro Typographis decretum. ibid.

V.

VEneris templum cur extra vrbem. 129
Veneres duæ. 145
Ventorum varia vis. 114
Vento concipientes. 395
Verborum officina. 217
quomodo inde extrahenda. 218
comparatio typorum verborúmque. ibid.
ex fine delectus verborum præfinitur ſcriptoribus. ibid.
quæ verba ad Oratoris finem apta. 219
quæ verba apta ad finem poëtæ, quæ ad Hiſtorici. ibid.
verba vaſorum inſtar. 289
portenta verborum. 148
de

de Veſpaſiano Imperatore mira. 59.60
Veſtium genera. 384
Veſtis variè conſarcinata. 340
Vetulæ deſcriptio. 401
Victus liberalitas. 393
Vini reprehenſio. 364.365
Virgilij deſcriptio. 283.301
ſtylus eiuſdem. 317
de eo iudicium. 319
Virginitatis conſeruandæ inuentum. 152
pro ea mirum facinus. 237.239.241.ad 245.
pro ea non admittenda conatus. 317
Vide *Pudicitia*.
Virginius Cæſarinus. 323
Virginius Vrſinus. 168
Virginum par amantium. 152
Viri grauis honeſtique deſcriptio. 387
Virtutum exercitatio. 396
Vitia cum bonis artibus ſubcreſcentia. 26
Vlyſſis facinus eloquentia patratum. 16
Voluptas Helenæ ſimilis. 98
an Poëtæ finis. 108
Vrnæ deſcriptio in Poëtarum Senatu. 330
deſcriptio Zodiaci in Vrna. 331

X.

XEnophon an hiſtoricè ſcripſerit. 52
Xyſtus V. 273

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google